[illegible] 2,50

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN REGULAS ET USUM CRITICES,

In quibus expenduntur Epocha mortis Jeſu Chriſti; quædam Inſtitutiones Sabbati Sancti, & temporis Paſchalis; veteres Liturgiæ; Linguæ in Sacris Myſteriis adhibitæ; Reliquiæ Jeſu Chriſti, & Sanctorum; & nonnulla Monumenta profana, in quibus de Jeſu Chriſto mentio fit.

ACCESSIT

Diſſertatio de Inſcriptione S. Faciei Monſtrolienſis.

ADDE HIS NOTATIONES HISTORICAS, CRONOLOGICAS, ET CRITICAS.

AUTORE

R. P. HONORATO A S. MARIA,

CARMELITA DISCALCEATO EX PROVINCIA AQUITANIÆ;

INTERPRETE E GALLICIS

Viro Religioſo ejuſdem Familiæ ex Provincia Veneta.

TOMUS TERTIUS.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

VENETIIS, CIↃIↃCCXXXIX.

EXCUDEBAT FRANCISCUS PITTERI, *15.*

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PROŒMIUM

Tertio Voluminni præfixum in Editione Pariſienſi.

CUM in utriuſque antecedentis Voluminis Procœmio conſilium explicaverim, propoſitum mihi in Animadverſionibus in Regulas, & Uſum Critices, nec non rationem, qua illud perficere conatus ſum; illud hoc loci duntaxat reliquum eſt, ut generalem Voluminis hujus notionem in medium afferam: deinde paucis quædam argumenta refellam, quæ mihi adverſus loca nonnulla alterius Voluminis objecta ſunt.

Non erat itaque ſatis vias, & rationes multiplices indicaſſe ſecernendi veras Traditiones a falſis, ſed oportebat quoque regulas iſtas Factis accommodare, atque exemplorum vi illarum accurationem oſtendere. Id ſane præſtare cœpi tribus poſtremis Libris ſecundi Tomi, expendens legum iſtarum præſcripto Oracula, quæ Jeſu Chriſti adventum præceſſerunt, & ceteras Traditiones pias, quæ nobis reliquæ ſunt de ejus Vita, a Conceptione uſque ad Mortem.

Tertius hic Tomus unicum Librum complectitur, conſtantem Diſſertationibus VII., in quibus examinare pergo plures e veteribus Traditionibus ad ea ſpectantibus, quæ attingunt res Jeſu Chriſti, ab ejus Morte ad adventum uſque Spiritus Sancti.

In Diſſertatione prima laboro, ut ſtatuam annum, menſem, & diem mortis Jeſu Chriſti. Quodcumque etenim commodum ſibi viſum fuit Eruditi recentiores percepiſſe ab Aſtronomiæ, & Chronologiæ luminibus ad hanc Epocham conſtituendam, non dubitavi tamen alias inire vias. Quatuor etenim Tabulas affero, per quas opinor, me oſtendiſſe, fieri nullo modo poſſe, ut certo aſſequamur diem, menſem, & annum Mortis Chriſti, niſi alios nobis duces adſciſcamus, præter ratiocinationes Aſtronomicas, & ſupputationes Chronologicas.

Juxta itaque conſilium meum ne latum quidem unguem

abſceſſi ab altera, quæ reliqua eſt, via, ut cum Epocham iſtam, tum alia multa Facta hiſtorica teneamus. Nunquid non viginti quinque, aut triginta Scriptorum Eccleſiaſticorum ſuffragium ſatis pro hac veritate ſpondebit? Nunquid tenuis lux Ævi noſtri Doctorum, fulgentibus iſtis Eccleſiæ Syderibus anteferenda erit? Verum quidem eſt, Factum iſtud ad Fidem non pertinere; ſed ipſorum antiquitas, atque eruditio nonne teſtimonio pondus afferunt? Nonne dicendus erit ludere de credulitate populorum, ſi quis in ſuſpicionem, vel contemptum adduceret ſummorum Virorum iſtorum teſtimonium eo prætextu, quod e falſis Pilati Actis rem hauſerunt, in evolvendo Calendario hallucinati ſunt, vel non ſatis Solis, & Lunæ motus calluerunt? Hæc ſunt momenta, aliaque his ſimilia, quæ perſuaſerunt Autori Chronologiæ Sacræ, aliiſque Sapientibus, qui plus ſatis docti hujus Scriptoris eruditione fulti ſunt, ut venerandam Antiquitatem desererent, & fucata novæ opinionis lumina conſectarentur.

Quare ex magis communi, & recepta Patrum Eccleſiaſticorum Traditione tres Epochas confirmo, nimirum Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti in hunc modum.

NATIVITAS.

Jeſus Chriſtus natus eſt duobus annis ante Æram Chriſtianam, anno 44. Juliano, 752. ab Urbe condita, 4712. periodi Julianæ, tertio 194. Olympiadis, 42. a Conſulatu Auguſti, & Triumviratu, Auguſto Cæſare XIII., & Plantio Sylvano Conſulibus, (huic ſuffectus eſt Caninius Gallus.)

BAPTISMUS.

S. Joannes cœpit annunciare Pœnitentiam, & Baptizare anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, 26. Æræ noſtræ, 71. Juliano, 779. Urbis conditæ, Cornelio Lentulo Getulico, & Calviſio Sabino Conſulibus. Anno vero inſequente, nimirum Æræ noſtræ 27. Licinio Craſſo, & Calpurnio Piſone Conſulibus, Jeſus Chriſtus e Galilea ad Jordanem venit, ut Joannem inviſeret, atque ab eo baptizaretur.

MORS

MORS.

Poſtquam Jeſus Chriſtus baptiſma ſuſcepit, ductus eſt in deſertum a Spiritu, in quo moratus fuit quadraginta dies, & quadraginta noctes. Cumque doctrinam ſuam hominibus tradidiſſet duorum circiter annorum ſpatio, & tria Paſchata celebraſſet, Cruci ſuffixus eſt anno ætatis ſuæ circiter 30., octavo Calendas Aprilis, Feria ſexta, quintadecima Luna menſis Niſan, anno 29. Æræ vulgatæ, duobus Geminis Conſulibus, 74. Juliano, 4742. Periodi Julianæ, anno primo 202. Olympiadis, & 782. ab Urbe condita.

Non me latet, ſupputationes haſce difficultatibus ſuis haud vacare. Sed quænam ſententia his minime obnoxia eſt? Omnium maxima, quæque aliarum fundamentum eſſe poteſt, recidit in duplicem Epocham Imperii Tiberii; ſed ſpero fore, ut poſt meam opinionis hujus illuſtrationem neceſſe ſit confiteri, unanimem Patrum Traditionem omnibus eſſe calculis anteferendam. In fine Diſſertationis hujus, ubi S. Irenæi de Jeſu Chriſti ætate ſententiam expendi, concludo, loca, in quibus aſſeritur, Salvator quadraginta annos attigiſſe, cum mortem tulit, vel ſuppoſititia eſſe, vel corrupta.

Quædam conſuetudines Sabbati Sancti, & Temporis Paſchalis materiem ſecundæ Diſſertationi ſuppeditant. In ea ſermo eſt de Origine, & Benedictionibus Cerei Paſchalis; de Tabellis ipſi appoſitis; de miro Igne Sabbati Sancti; de initio, & rationibus Traditionis hujus; de Agnis cereis, quos benedicebant; deque Baptiſmo, quem eo die conferebant. Poſtquam vero in trutina poſui, an Clodoveus Baptiſmate lotus fuerit in Feſtis Natalitiis, & veterem Eccleſiæ morem non baptizandi extra ſolemnitates Paſchatis, & Pentecoſtes, Diſſertationi finem facio, diſputando de Ceremonia Παννυχὶς, Græcis uſitata tempore Paſchali.

Per occaſionem primæ Miſſæ, ab Apoſtolis poſt inſtitutam Euchariſtiam celebratæ, cogor duas graviſſimas Traditiones in judicium vocare. Prima attinet ad Liturgias, quibus uſi ſunt Apoſtoli, & Eccleſia Græca, & Latina a primis ſæculis ad noſtra tempora. Secunda ſpectat

ctat ad Linguas, quæ adhibitæ ſunt in Officiis publicis Orientis, atque Occidentis. Operam pono in tertia Diſſertatione, ut Liturgias veras a falſis ſecernam. Quamquam quæ Sanctis Jacobo, & Clementi tribuuntur, omnium ſententia ſpuriæ ſunt; id tamen non prohibet, quominus illas habeam, tamquam fundamentum & fontem omnium Liturgiarum Eccleſiæ Orientis, ne exceptis quidem Liturgiis Sanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi. Non præterii Liturgias Eccleſiæ Latinæ, Romanam, veterem Gallicanam, Mozarabicam, Africanas, Anglicas; præſertim vero *Miſſa Latina* amplam nobis diſſerendi ſegetem præbuit.

Neſcio equidem, an Eruditi probaturi ſint conjecturas meas de poſtrema hac Liturgia, in vulgus edita a Matthia Flacco Illyrico Lutherano, per quas contendo, eam fontem eſſe omnium Occidentis Eccleſiæ Liturgiarum, ne demptis quidem Gelaſina, & Gregoriana. Evidens eſt antiquitas ejus, ſique judicium ferendum ſit ex viſceribus hujus Miſſæ, confecta eſt ſub finem quarti Sæculi, vel, ut ſerius, ſub initium quinti. Fateor quædam in ea ſenſa eſſe, quæ de illius vetuſtate ſuſpicionem injiciunt; ſed omni ope ſtudui, ut illa, quam maxime potui, illuſtrarem. Quod ſi extra omnem dubitationis aleam eſſet Liturgia hæc, inter elegantiora Antiquitatis Chriſtianæ monumenta recenſeretur. Quot enim eruerentur ſolida momenta ad Dogmata multa conſtituenda, quæ nobis inficiantur Heterodoxi, atque exiſtimant primis ſæculis ignota, & poſterioribus tantum conflata.

In quarta Diſſertatione aggredior ad diſputandum de Linguis, ab Eccleſia in rerum Divinarum celebratione adhibitis ab ætate Apoſtolorum ad nos uſque; atque an ævis primis ſacrum conficerent Lingua Populis vernacula. Diſſertatio hæc in duas partes dividitur. In prima ſtatim ac oſtendi, Crucis Titulum adhuc cuſtodiri, oſtendere pergo, Eccleſiam ab omni vetuſtate non adhibuiſſe in Sacris peragendis Linguas alias, præter Hebraicam, vel Syriacam, Græcam, & Latinam, quæ in Crucis Titulo deſcriptæ fuerant. In ſecunda parte examino nonnullorum Scriptorum placita de variis Bibliorum Verſionibus, initio Eccleſiæ elaboratis; atque utrum res Divi-

na

na conficeretur Lingua populorum, Chriſti Fidem recipientium.

Legendarum Scriptores quamplurimas collegerunt opiniones pias de Reliquiis, vel pretioſis exuviis Jeſu Chriſti, deque Inſtrumentis Paſſionis ejus. Priſcæ Traditiones iſtæ pertinent ad argumentum propoſitum Animadverſionibus meis. Quare non poſſum abſtinere ab illis aliqua ratione hoc loci tractandis. Non tamen animus eſt, omnes ſingillatim, ſed aliquas tantum Lance Critica ſuſpendere; atque adeo V. hac Diſſertatione me circumſcripſi iis, quæ veriſſimillima omnium nobis ſervavit Traditio de pretioſo Sanguine Jeſu Chriſti, de Lacrymis, quas ferunt ex ejus oculis manaſſe, deque aliis Paſſionis ejus Inſtrumentis.

Maximæ utilitati futura eſt res VI. Diſſertationi ſubjecta. Agitur nanque de tollendis difficultatibus multis, quæ oriri poſſunt ſuper cultu Reliquiarum, quæ nobis exhibentur nomine Mariæ Virginis, Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum. Hæc fortaſſe pars eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ magis implicata, anceps, & lubrica; quæque moderatiſſimam, æquiſſimamque Criticen poſtulat. Tam enim periculoſum eſt, plus ſatis piæ credulitati concedere, quam Criticæ ſeveriori. Cum ergo in Diſſertatione antecedenti egerim de Reliquiis Jeſu Chriſti, mihi neceſſe viſum eſt, hanc addicere judicio omnium Reliquiarum in univerſum, atque in ea fontes aperire confuſionis Reliquiarum; nec non ſimul aſſerere nonnullarum venerationem rectiſſimam eſſe, quæ in dubiis vel ſuppoſititiis haberi ſolent. Deinde ſubjicio quaſdam regulas, quibus germanarum Reliquiarum a ſuſpicioſis delectus fieri poſſit.

Inter pias omnes opiniones, quæ Jeſum Chriſtum attingunt, nihil ſupereſt, niſi ut diſputem de Monumentis profanis, in quibus ejus mentio fit.

Cardinalis Baronius in Annalibus, Pagius in Critice ad Opera Cardinalis illius, Huetius in Demonſtratione Evangelica, aliique Sapientes multi, qui in Chriſtiana Religione propugnanda laborarunt, Libros ſuos argumentis quamplurimis elegantiſſimis referſerunt pro Jeſu Chriſto, ab Ethnicorum Scriptis, atque Hiſtoria profana collectis.

lectis. Sed eruditus Jeſuita Opus vulgavit, in quo totam rem iſtam penitus hauſit. Liber hic e prelo ſubductus anno 1718. inſcriptus eſt: *Religio Chriſtiana confirmata teſtimoniis veterum Autorum Ethnicorum. Gall.* In priore volumine probat, Scriptores Paganos teſtatos fuiſſe de miris quibuſdam factis, quæ Jeſu Chriſti Divinitatem, noſtræque Religionis veritatem evincunt. In altero autem efficit, Scriptores Gentiles teſtimonium dicere pro ſanctitate Chriſtianæ Fidei, atque innocentibus moribus Chriſtianorum. Decolonia quoque argumentum iſtud eruditione tanta tractavit, ut ab eo retractando ſuperſedere poſſim: nihilominus præterire nequeo, quin poſtrema Diſſertatione excutiam Hiſtoriam mortis magni Panos; Epiſtolam, atque Acta Pilati, locumque celebrem Joſephi; quoniam tria hæc Facta ad argumentum meum omnino ſpectant.

In fine Operis hujus addidi Diſſertationem de S. Facie, quæ aſſervatur in Monaſterio Sanctimonialium, Monſtrolii prope Laudunum: ecce autem cauſſam. In ultima Diſſertatione alterius Tomi Animadverſionum mearum in Regulas Criticæ attuli effigiem Imaginis hujus, atque Inſcriptionem ſuppoſitam interpretatus ſum; conſultiſque Viris hac in re eruditiſſimis propugnavi, Inſcriptionem Moſcoviticam eſſe, non vero Græcam, ut conjectura aſſecutus fuerat Harduinus e Societate Jeſu. At cum rationes, a me allatæ eo loci adverſus explicationem Græcam, Jeſuitæ huic minime arriſerint, ipſe in Monumentis Trevoltienſibus Auguſti Menſis anni 1717. edidit Scriptum hoc titulo: *Explicatio Græca Inſcriptionis Veronicæ propugnata.* Gallice. Cui ſcripto hac Diſſertatione reſpondeo, quam duos ante annos ſeorſim typis emiſſam, modo in hoc volumen inferre placuit.

Nunc vero non eſt propoſitum mihi, abſolutam eorum apologiam inſtituere, quæ Eruditi nonnulli Scriptores de aliquibus partibus alterius Tomi Animadverſionum noſtrarum objecerunt. Cum etenim ſenſa, quæ mihi tribuuntur, a mente mea quam longiſſime abhorreant, eaque in Opere meo data opera reſutaverim, ſatis erit brevibus, quænam precipua moveant adverſum me, retuliſſe.

Queruntur ante omnia, *Principia mea ad nimiam credendi facilitatem*

cilitatem perducere. Plane fateor, id mihi merito in culpa poni; ſi modo credulitas illa digna ſit reprehenſione, qua alicui piæ opinioni, ut maxime probabili, aſſentimur, ubi ea teſtimonio Autorum non contemnendæ fidei roboretur, ſolidiſque conjecturis, atque antiquiſſima Traditione, vel Eccleſiæ conſenſu muniatur. Ceterum non video, quibus aliis credendi rationibus Critice ſeveriſſima innitatur.

Si hactenus non probavi, nemo pariter vereatur, me impoſterum probaturum piam aliquam Traditionem una Martyrologiorum, & *Breviariorum* autoritate; vel communi tantum Chriſtianorum exiſtimatione; aut popularibus, incertiſque ſermonibus, multo vero minus fide Scriptorum perditi nominis, exiguæque diligentiæ; neque pariter adverſus argumentum *negans*, ut ajunt, me pugnaturum. Nonne in priore Volumine illud tum oſtendi firmiſſimum eſſe, cum ſæcula multa præterierunt, quin Scriptor aliquis ejus Facti mentionem fecerit, quod pro vero venditatur? Optimis etiam Criticis non repugno, novas huic argumento vires addi, tum præſertim quando Facta, de quibus altum ſilentium fuit, ſingularia, atque illuſtria ſunt, nec non ii, apud quos primum illorum veſtigium eſt, plus æquo a fonte diſtant, aut Scriptores nimium creduli, vel minus accurati paſſim habentur. Ubi nam deprehendent, me hujus notæ Autores, vel Traditionem aliquam levibus hiſce præſidiis fultam in medium produxiſſe? Quibus poſitis, verendum ne eſt, *Principia mea ad nimiam credendi facilitatem perducere?*

Quam multi Litterati viri, qui nobis in exemplar caſtigatiſſimæ Critices proponuntur, ad quædam Facta hiſtorica conſtituenda peſſimos ſponſores, & non paucis ſæculis poſteriores appellarunt? Plura hujus rei in Operibus noſtris ſuppetunt documenta. Nihilominus hæc accurationis vitia nemo animadvertit, omnia in his Autoribus probata ſunt; modo veteres, ut putant, errores labefactent: contra autem quidquid momenti afferatur, ad tuendas pias, & antiquas Traditiones, quæ neſcio cujus Eruditorum generis ingenio minime placent, Fabulæ ſtatim, & Superſtitioni conclamant! Porro, quæ in me probra non jacerentur, ſi mearum Traditionum veritatem hujuſmodi monumentis confirmaſſem; cum licet pro meo munere omnia caverim, & providerim, quæ religioſior Critice poſtulare poteſt, urgent tamen aliqui

nulla ratione ducti, ut perſuadeant, *Principia mea ad nimiam credendi facilitatem perducere?*

Nonne millies in Opere meo teſtatum feci, quod cum in ſecundo, tum in hoc tertio volumine me præſtitiſſe confido, me videlicet nullam piam opinionem propugnaturum, quæ ſeveriſſima Critices trutina penſitata non ſit; neque hac de re ullam a Lectore meo veniam, & benevolentiam depoſcere? Quo itaque momento fit, *Principia mea ad nimiam credendi facilitatem perducere?*

Altera reprehenſio pertinet ad novem regulas, quas Diſſ. tertia Tomi ſecundi conſtitui, ut per has duo extrema vitare poſſemus, parum, vel nimium credendi; atque inter Criticen immoderatam, & ſuperſtitioſam credulitatem medium quiddam teneremus. *Criticis*, inquiunt, *aliquanto Religioſis præcepta iſta ſatis eſſe non videbuntur, ut inducantur ad ea omnia Facta amplectenda, quæ piarum Traditionum titulo haberi vellem.* Ego vero apello ad eorum Tribunal Doctorum, qui ſunt vetuſtis erroribus infenſiores, an non pia opinio ſatis habeat momenti, ut ei fidem adhibeat quicumque compos eſt rationis ſuæ: ſi ab Autoribus fide dignis teſtimonium habeat, & ita gravibus conjecturis fulta ſit, ut paſſim requiritur ad probabilitatem inducendam; ſi nihil fabuloſi, incredibilis, aut ſuperſtitioſi contineat; ſi merito cenſere poſſimus, illam ab Eccleſia, ejuſque Proceribus viris temere non fuiſſe receptam; ſi ipſius falſitas demonſtrari nequeat, aut apertis, & conſtantibus rationibus oppugnari; ſi nihil præſeferat, quod adverſetur moribus, temporibus, vel hominibus, qui in ea conſtituenda negotium habuerunt; ſi in rei ſumma nihil repugnet; ſi denique in eam non ſteterint Autores, qui nos de ejus falſitate perſuadere poſſint: tandem ſi ea, quæ in contrarium obſtant, commode poſſimus refellere.

Poſſunt ne Leges iſtæ vulgi narratiunculæ accommodari? Qui fiet, ut tot veluti luminibus ſe ſubducat? Nonne propterea cogimur, vel majorem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem ad fabulas amandare, vel maxime probabilia habere Facta, *quæ piarum Traditionum titulo haberi vellem*; ſi tamen in ea leges iſtæ conveniant?

Addunt præterea, nullum aliud videri propoſitum meum fuiſſe, quam *hiſtoricam veriſimilitudinem, vel probabilitatem conſtitue-*

ſtituere. Satis compertum eſt in Opere ipſo, conſilium meum alio non ſpectare, niſi ut oſtendam:

Primo, pias opiniones, quæ infra commenta, & populares fabellas contemptu, atque inſolentia tanta detruduntur, non minore affectas eſſe probabilitate, atque adeo non minore veneratione dignas eſſe, & loco inter Eccleſiaſticas Hiſtorias, quam ſint omnia ferme Facta, quæ ſeveriores Critici nulla hæſitatione amplexantur.

Secundo, quem gradum certæ veritatis, aut probabilitatis unumquodque Factum attingat.

Tertio, quatuor tantum eſſe certæ veritatis ſumma genera, Metaphyſicum, Phyſicum, Geometricum, & Morale; ita ut quodvis eventum ſi aliquo ex iſtis veritatis certæ generibus minime afficitur, magis aut minus probabilis fines haud egrediatur.

Quarto, veritatem certam Moralem, ad quam unam Critices uſu poſſumus pervenire, accedere nonnunquam Phyſicæ, & Metaphyſicæ, & validiſſimum ſuppeditare argumentum, quod poſt Demonſtrationem, & oculorum teſtimonium confici poſſit. Ceterum ut veritatem certam hujuſmodi aſſequamur, neceſſum eſſe, ut omnium ætatum Scriptores ſuper aliqua re in eandem ſententiam unanimi conſenſione loquantur; & conjecturæ, atque adiuncta hujuſmodi accedant, quæ ineluctabilem probationem efficiant, & nullum dubitandi locum relinquant, an res ita ſe habeat, vel acciderit Factum illud: Ex.gr., an Diocletianus Eccleſiam divexaverit; D. Auguſtinus Libros ſcripſerit de Civitate Dei; S. Ludovicus Galliarum Rex mare trajecerit; & his ſimilia.

Quinto, ſi fas eſſet ab Eccleſiaſtica, & Profana Hiſtoria Facta ſingula removere, quæ eam non capiunt certam cognitionem, quam modo explicavi, delere oportere majorem eorum partem, ut ſæpius a me probatum eſt.

Sexto, univerſa Eccleſiaſticæ, & profanæ Hiſtoriæ Facta, quæ hac morali cognitione certa non ſunt, magis tantum, aut minus probabilia judicanda eſſe, atque una circumſcribi ſimilitudine veri: adeoque majorem eventuum partem, qui inter firmos, atque indubios cenſentur, tales revera non eſſe ſecundum præcæpta hac de re tradita, quæque certa, & rata omnibus videbuntur, ſi abjecto quolibet præjudicio ad examen revocentur.

Poſtremo aggreſſus ſum, ut oſtenderem, pias Traditiones, quibus a me conditæ regulæ congruere poſſunt, nequaquam inter fabulas, vulgique errores rejiciendas eſſe, ut quidam Critici contendunt, quandiu ipſis non deerunt ea credibilitatis momenta, per quæ recipi mereantur. Id autem nemo illis denegare poterit, dum tamen regulis iſtis ſint conſentaneæ. Non eſt itaque ſatis, ut quis merito de illis detrahat, ad argumenta *negantia*, ad vagas probationes, & loca communia confugere, quod Scriptores nonnulli paſſim ſolent.

Alibi affirmavi, idemque rurſus affirmo, me æqui, bonique facturum, ſi quis pro humanitate ſua lumen aliquod mihi præferet. Non tamen is conqueratur, me ab eo exquiſitas rationes flagitare, cui non probatur conſilium noſtrum de aliquibus piis opinionibus propugnandis: idque præcipue cum ex accuratæ Critices pronunciatis exploratum habeo, eas æque defendi poſſe, ac infinitus pene Factorum numerus, quo noviſſime editæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ redundant.

Reijcienda igitur erunt tot egregia fragmenta, quæ attinent ad Jeſu Chriſti, Virginis Deiparæ, & Sanctorum Hyſtoriam, niſi quia hujuſmodi piæ opiniones fere omnes aliquibus Eruditis hominibus non ſapiunt? Nihilo ſecius parati ſumus, eas ad populares Traditiones, atque innocentes vulgi errores detrudere, ſtatim ac invictis argumentis conficient, a me hactenus propugnatas defenſionem non mereri ſæculo iſto, in quo videtur ſana Critice, præclariſſimum ipſius ornamentum, nullum non lapidem moviſſe, ut exularent inter barbarorum ſæculorum ſomnia, vetuſtaſque opiniones, quas excuſſiſſe putant, ex quo præclara Ars iſta ad ſummum faſtigium evecta eſt.

TA-

TABULA
DISSERTATIONUM
IN REGULAS, & USUM CRITICES,

Quas complectitur Tomus Tertius.

LIBER QUINTUS.

De Jeſu Chriſto ab ejus morte ad Pentecoſten.

DISSERTATIO PRIMA.

De anno, menſe, & die, in quibus Jeſus Chriſtus mortuus eſt. pag. 1

ART. I. *Fundamenta omnia, quibus ſtatuerunt annum, menſem, & diem Mortis Jeſu Chriſti, parum certa, & tuta ſunt.* 2

ART. II. *Expenduntur modi a ſapientibus Viris adhibiti, quibus Nativitatis, Baptiſmi, & mortis Jeſu Chriſti annum ſtatuerent.* 5

§. 1. *Non poſſumus e ſolis Chronologiæ principiis annum Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Salvatoris certo cognoſcere.* 6

§. 2. *Tabulæ Noviluniorum, & Pleniluniorum primi Menſis, quibus oſtenditur, ſupputationes Aſtronomicas non poſſe nobis Mortis Jeſu Chriſti diem patefacere.* 11

§. 3. *Tabula annorum Biſſextorum, qua efficitur, calculos Aſtronomicos non eſſe regulam tutam pro cognoſcendo anno Mortis Chriſti.* 16

§. 4. *Tabula pro inveniendis Cyclis Solis, & Lunæ, & Feſto Paſchatis ſecundum vetus Kalendarium.* 22

§. 5. *Alia pro eadem re argumenta.* 29

ART. III. *Audienda eſt Patrum Traditio, ut annum, menſem, & diem mortis Jeſu Chriſti teneamus.* 32

Propoſitio prima, *Jeſus Chriſtus mortuus eſt anno 29. Æræ vulgatæ, duobus Geminis Conſulibus, 74. Juliano, 4742. Periodi Julianæ, anno 1. 202. Olympiadis, & 782. ab Urbe condita, cum ætatis annum ageret circiter triceſimum.* ibid.

ART. IV. *Quæ afferuntur adverſus Traditionem iſtam.* 36

§. 1. *Argumentum Primum.*

Diviſio Scriptorum Eccleſiaſticorum Traditionem hanc funditus evertit. 37

§. 2. *Argumentum Secundum.*

A falſis Pilati Actis, atque a Patrum in Kalendario evolvendo deceptione deſcendit Traditio hæc. 40

§. 3. *Argumentum Tertium.*

Patres

Patres, minus periti de motu Solis, & Lunæ, nequiverunt aſſequi tempus Mortis Jeſu Chriſti: quod vitium alia ratione ſuppleverunt. 44

ART. V. *Traditio Veterum Patrum fert, Jeſum Chriſtum e vita migraſſe VIII. Kalendas Aprilis, Feria ſexta, decimaquinta Luna Menſis Niſan.* 48

ART. VI. *An opinio, ſtatuens mortem Jeſu Chriſti VIII. Calendas Aprilis, atque anno 29. Æræ vulgatæ, oppoſita ſit Traditioni Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ.* 51

§. 1. *Secundum Eccleſiæ Græcæ Traditionem Jeſus Chriſtus mortuus eſt X. Kalendas Aprilis.* ibid.

§. 2. *An cenſenda ſit Traditio Eccleſiæ Latinæ, Jeſum Chriſtum neci datum, egiſſe tum menſem tertium anni ſui 34.* 54

§. 3. *Examinatur conjectura Autoris Chronologiæ Sacræ, quare id opinati ſint, qui Salvatorem die 25. menſis Martii interiiſſe dicunt.* 56

ART. VII. *Traditio Patrum Eccleſiæ, ſecundum quam Chriſtus mortuus eſt anno 29. Æræ communis, Luna 15. menſis Paſchalis, Feria 6., 25. die menſis Martii, cum Tabulis Aſtronomicis conciliari poteſt.* 59

ART. VIII. *Epocha Nativitatis Jeſu Chriſti.* 63

Propoſitio 2. *Jeſus Chriſtus natus eſt duobus ante Æram Chriſtianam annis; 44. Juliano, 752. ab Urbe condita; 4712. Periodi Julianæ; 3. 194. Olympiadis; 42. poſt Conſulatum Auguſti, & Triumviratus; Auguſto Cæſare XIII., & Plautio Sylvano Conſulibus, (huic ſuffectus eſt Caninius Gallus.)* ibid.

ART. IX. *De anno Baptiſmi Jeſu Chriſti.* 66

Propoſitio 3. *S. Joannes cœpit annunciare Pœnitentiam, & Baptizare anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, 26. Æræ noſtræ, 71. Juliano, 779. Urbis conditæ, Cornelio Lentulo Getulico, & Calviſio Sabino Conſulibus. Anno vero inſequente, nimirum 27. Æræ noſtræ, Licinio Craſſo, & Calpurnio Piſone Conſulibus, Jeſus Chriſtus e Galilæa ad Jordanem venit, ut a Joanne baptizaretur. Deinde ſtatim ductus eſt in deſertum a Spiritu, in quo manſit quadraginta dies, & quadraginta noctes. Cumque doctrinam ſuam hominibus tradidiſſet duorum circiter annorum ſpacio, & tria Paſchata celebraſſet, Cruci ſuffixus eſt anno ætatis ſuæ circiter 30. duobus Geminis Conſulatum gerentibus.* 67

§. 1. *Autores profani cognoverunt duo initia Imperii Tiberii.* ibid.

§. 2. *Imperium Proconſulare Tiberii probatur ex iiſdem Sapientum principiis, qui illud oppugnant.* 69

§. 3. *Imperium Proconſulare Tiberii confirmatur exemplis depromptis e Sacris Litteris.* 71

§. 4. *Duplex Epocha Imperii Tiberii roboratur teſtimoniis Sanctorum Patrum, & firmiſſimis conjecturis.* 73

§. 5. *Argumenta objecta in duplicem Epocham Imperii Tiberii.* 76

ART. X. *Sententia S. Irenæi de ætate Jeſu Chriſti.* 81

§. 1. *Autores non idem ſentiunt de locis S. Irenæi, & ſatis veriſimile ſit, ea eſſe ſuppoſititia.* ibid.

§. 2. *Leviſſimæ ſunt Sapientum conjecturæ, quibus hæc loca S. Irenæi revera eſſe, evincere conantur.* 83

§. 3. *Quid ſecundum rectam rationem opinandum ſit de ſententia S. Irenæi.* 86

DIS-

DISSERTATIO II.

De quibuſdam Inſtitutionibus Sabbati Sancti, & Temporis Paſchalis.

ART. I. Cereus Paſchalis.
§. 1. Origo hujus Ceremoniæ. 88
§. 2. De Tabulis deſcriptis in Cereo Paſchali. 91
ART. II. De miro Igne Sabbati Sancti, quo Cereus Paſchalis olim accendebatur. 93
§. 1. De origine, & fundamentis hujus Traditionis. 94
§. 2. Sententia Baileti de miro Igne Sabbati Sancti. 97
ART. III. De Agnis cereis, qui Sabbato Sancto benedicebantur. 99
ART. IV. De Baptiſmate Sabbati Sancti, atque an apud Gallos in uſu fuerit die Nativitatis Dominicæ. 102
§. 1. Baptiſma ex conſtituto Eccleſiæ non poterat conferri, niſi in Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes. 103
§. 2. Animadverſiones in hanc conſuetudinem. 105
§. 3. Revocatur ad indicium, utrum Clodoveus tinctus ſit aqua Baptiſmatis in Feſto Nativitatis Domini. 107
§. 4. Ex exemplo Clodovei conſtituere poſſumus Traditionem in Galliis adminiſtrandi hoc Sacramentum die Nativitatis. 108
ART. V. De Ceremonia, Παννυχία dicta, quæ uſuvenit apud Græcos tempore Paſchali. 112

DISSERTATIO III.

Quandonam prima Miſſa celebrata ſit poſt Euchariſtiæ inſtitutionem. Qua Liturgia uterentur Apoſtoli, & de aliis Liturgiis, quæ adhibitæ ſunt cum in Eccleſia Græca, tum etiam Latina.

ART. I. Apoſtoli Myſteria Sancta non celebrarunt, antequam in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus ſuper illos deſcenderet. 115
ART. II. De Liturgiis, quibus uſi ſunt Apoſtoli in primi Sacri celebratione cum ante, tum poſtquam diviſi ſunt, & de iis, quæ adhibitæ ſunt ad quartum uſque ſæculum. 118
§. 1. In ortu primo Religionis Chriſtianæ Liturgia nihil aliud præter Orationem Dominicam, & Verba divina complectebatur. ibid.
§. 2. Sanctus Paulus primam nobis Liturgiæ Sacræ ſpeciem propoſuit. 119
§. 3. Animadverſiones ad cognoſcendam originem Liturgiarum omnium, quæ ab Apoſtolicis temporibus in Orientis, atque Occidentis Eccleſiis obtinuerunt. 121
§. 4. Liturgia S. Jacobi nomine vulgata, prima eſt, & fons ceterarum, quæ ab Orientalibus uſurpatæ ſunt. 123
§. 5. Epitome Liturgiæ S. Jacobi a S. Juſtino collecta. 125
§. 6. Aliud argumentum deductum a S. Cyrillo Archiepiſcopo Hieroſolymitano.

tano. 126
§. 7. *In Liturgia S. Jacobo adjudicata multa ſunt, quæ ab Apoſtolica Traditione procedunt, atque alia, quæ poſt eorum mortem adjecta ſunt.* 129
§. 8. *Liturgia S. Jacobo tributa fons eſt, vel ſumma earum, quæ confectæ ſunt a Sanctis Viris Baſilio, & Joanne Chryſoſtomo, nec non omnium, quotquot ab Eccleſia Græca uſurpatæ ſunt.* 133
ART. III. *De Liturgiis Eccleſiæ Latinæ.* 136
§. 1. *De Miſſa Eccleſiæ Romanæ.* ibid.
§. 2. *De Miſſa vetere Gallicana.* 140
§. 3. *Sequitur idem argumentum.* 142
§. 4. *De Liturgia Mozarabica.* 145
§. 5. *Liturgiæ Eccleſiarum Africæ.* 149
§. 6. *De Liturgia Eccleſiæ Anglicanæ.* 151
ART. IV. *De Miſſa Latina, quam Matthias Flaccus Illyricus Lutheranus in publicum edidit.* 155
§. 1. *Variæ de Liturgia iſta opiniones.* ibid.
§. 2. *Momenta, quibus Vvicclius, & Bona perducti ſunt, ut Liturgiam hanc oppugnarent.* 157
Prima, & quarta difficultas tolluntur. 158
Objectio ſecunda diſpellitur. 159
Reſponſum argumenti tertii. ibid.
Miſſa Latina, a Flacco Illyrico vulgata, eadem eſt, ac Miſſa Eccleſiæ Romanæ. Hoc loco fit Synopſis hujus Liturgiæ. ibid.
Præparatio Sacerdotis, atque alii ritus uſque ad Canonem. ibid.
A Canone uſque ad finem Miſſæ. 162
§. 3. *Judicium Thomaſii, & Mabillonii* de Miſſa Latina. 164
§. 4. *Objecta Menardi adverſus* Miſſæ Latinæ *antiquitatem.* 166
ART. V. *De Antiquitate* Miſſæ Latinæ, *ab Illyrico Flacco vulgatæ.* 167
§. 1. *De Miſſa Solemni, primis Eccleſiæ Sæculis uſitata.* ibid.
§. 2. Miſſa Latina *confecta fuit ſub exitum Sæculi IV., vel initium V.* 169
§. 3. *Efficitur teſtimoniis Patrum, conſuetudinem fuiſſe primorum ſæculorum offerre, & communicare ſingulis diebus in Miſſa ſolemni.* 171
§. 4. *Alia argumenta pro antiquitate Miſſæ Illyricianæ.* 172
§. 5. Miſſa Latina *vetuſtiſſima eſt omnium Liturgiarum tam Græcarum, quam Latinarum, quæ ad noſtram notitiam traductæ ſunt.* 175
§. 6. Miſſa Latina *fons eſt, & origo omnium Liturgiarum Eccleſiæ Occidentis.* 177
§. 7. *Liturgia Gelaſii Papæ eadem eſt, ac* Miſſa Latina, *nonullis immutatis.* 178
§. 8. *Miſſa S. Gregorii originem ducit a Miſſa Illyriciana.* 179
§. 9. *Argumenta objecta adverſus antiquitatem Miſſæ Latinæ.* 182

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Linguis, ab Eccleſia adhibitis in Sacris Myſteriis, atque Officio publico ab Apoſtolicis temporibus ad nos uſque; atque utrum primis Ævis Res divina celebrata ſit Lingua populis vernacula.

Pars prima. *De Titulo Crucis, deque tribus Linguis Hebraica, Græca, & Latina, quibus conſtabat.* 188

ART. I. DE *Titulo Crucis, & ſuppedaneo eiuſdem.* 189

§. 1. *Quomodo hic Crucis titulus ſervatus ſit, & cujuſmodi extet in præſenti.* ibid.

§. 2. *Sententia Bailleti de Titulo Crucis.* 192

§. 3. *Utrum pedibus Chriſti Crucifixi ſuppoſitum fuerit ſuppedaneum.* 194

ART. II. *Eccleſia quacunque ætate in Sacris perficiendis uſa eſt duntaxat Linguis Hebraica, Græca, & Latina, quæ in Crucis titulo deſcriptæ fuerunt.* 195

§. 1. *Ætate tum Apoſtolorum, tum hominum Apoſtolicorum, tum denique ad undecimum circiter uſque ſæculum Myſteria Sancta nunquam celebrata fuere, niſi Hebraice, vel Syriace, Græce, & Latine.* 196

§. 2. *Ab initio ſecundi Sæculi ad IV. uſque Eccleſia cum Græca, tum Latina, non uſurpavit in Sacris alias Linguas præter e tribus aliquam, quæ in Crucis titulo exaratæ fuerunt.* 198

§. 3. *A quinto ſæculo ad noſtra tempora Eccleſiæ Chriſtianorum, quæ cum Romana communicant, Sacra non confecerunt ſive in Oriente, ſive in Occidente, niſi Syriace, Græce, & Latine.* 200

§. 4. *Multa, eaque recta, in cauſſa fuerunt, cur Eccleſia noluerit Rem divinam facere Linguis aliis, præter iſtas tres. Quo in loco repetitur origo mutationum, quæ ſubrepſerunt.* 204

Secunda pars. *Quorundam expenduntur Scriptorum ſententiæ de Verſionibus Bibliorum, primis Eccleſiæ ſæculis elaboratis; atque utrum Res tum divina ſermone populis in univerſum uſitato celebraretur.* 207

ART. I. *Quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis non ſunt Fidelibus traditi Libri Novi Teſtamenti, Lingua paſſim vulgo uſitata, ut exiſtimat Simonius.* ibid.

§. I. *Apoſtoli ſcripſerunt Libros Canonicos eo ſermone, qui a populis paſſim non intelligeretur, neque ſcripturas interpretati ſunt ſecundum Linguas Nationum, quas ad Chriſtum convertebant.* 207

§. 2. *Si verum eſſet Simonii Principium, Scripturarum Verſiones magnopere quatuor primis Ævis multiplicatæ fuiſſent.* 210

§. 3. *Populi omnes ad Fidem converſi quatuor primis ſæculis Rem divinam minime celebrarunt eo ſermone, quem Populi promiſcue callerent.* 211

§. 4. *Quid veniat his vocibus: Lingua promiſcue propulo nota: Lingua uſitatior: Lingua cujuſque regionis: Lingua vulgata.* 214

ART. II. *Expenduntur argumenta probabiliora adverſus uſum trium duntaxat Linguarum Syriacæ, Græcæ, & Latinæ in rebus divinis celebrandis.* 217

§. 1. Argumentum Primum, *vim faciens in verbis D. Pauli, Origenis,* Con-

Concilii Lateranenſis, ex quibus probare nituntur uſum Linguæ vulgatæ in publicis Conventibus. ibid.
§. 2. Argumentum Secundum. *Verſiones Litterarum Sanctarum elaboratæ ſunt prioribus Ævis, ut in publicis concionibus uſum haberent.* 220
1. *Verſiones, de quibus loquuntur Eccleſiæ Patres, propoſitum non evincunt.* ibid.
2. *Objectum e Gothica Verſione deductum.* 222
3. *Verſio Coptica, ſive Ægyptiaca propoſitum non evincit.* 223
4. *Ad judicium revocatur Verſio Æthyopica.* 224
5. *Reſpondemus objecto, e Verſione Armenica deprompto.* 227
6. *De Verſionibus Chryſoſtomo, & Hieronymo tributis.* 229
7. *De Verſionibus Scripturarum Lingua Punica, atque Eſclavonica, quarum meminerunt D. Auguſtinus, & Ven. Beda.* 230
§. 3. Argumentum Tertium. *Opponunt quorumdam populorum morem, qui Scripturas vernaculis verbis editas publice legerunt.* 231
1. *Conſuetudo Slavorum non eſt opinioni noſtræ contraria.* 232
2. *Simillimum vero ſit, Armenos Officia publica Syriace celebraſſe.* 235
3. *Beſſæ Sacra Myſteria ſemper ſermone Latino recoluerunt.* ibid.
4. *Locus e Vita S. Theodori mutuatus, propoſitum non concludit.* 236

DISSERTATIO V.

De Reliquiis, ſive pretioſis rebus, quæ ſuperfuerunt, Chriſti Domini, atque de Inſtrumentis Paſſionis ejus.

ART. I. DE *Sanguine Jeſu Chriſti.* 238
§. 1. *De multis Traditionibus, quæ attinent ad modum, quo Sanguis Chriſti Domini poſt ejus mortem collectus fuit.* 239
§. 2. *De vera origine Sanguinis, qui in Eccleſiis multis colitur nomine Sanguinis Jeſu Chriſti.* 242
§. 3. *Animadverſiones in quædam loca Tractatus de Feria ſexta Majoris Hebdomadæ, ubi Bailletus de Sanguine Jeſu Chriſti ſermonem habet.* 245
ART. II. *De Lacrymis Jeſu Chriſti.* 248
§. 1. *Simillimum vero eſt, Lacrymas, quas veneramur titulo lacrymarum Jeſu Chriſti, non ab ipſius, ſed cujuſdam Crucifixi oculis deſtuxiſſe.* 249
§. 2. *Sequitur deſcriptio Officii Sanctiſſimi Salvatoris, celebrati in Eccleſia S. Petri, vulgo* le Pucillier. 251
§. 3. *Commoda, quæ ſequuntur opinionem de Lacrymis omnibus, ab Aurelianenſi Crucifixo manantibus.* 254
§. 4. *Quæ adverſus opinionem hanc objici poſſint.* 257
§. 5. *Argumenta alia.* 259
ART. III. *De Columna, cui opinio eſt, Jeſum Chriſtum, dum cædebatur, vinctum fuiſſe.* 262
ART. IV. *De Lancea.*
§. 1. *Recitatur Hiſtoria de mira Inventione Lanceæ Jeſu Chriſti, cujus ferri pars Pariſios delata fuit, & reliquam Pontifici Bajazethus Turcarum Imperator elargitus eſt.* 265
§. 2. *Hallucinatio Bailleti de translatione ferri Lanceæ Romam.* 268
§. 3. *Tolluntur objecta, quæ affert Simonius, ut evertat veritatem Hiſtoriæ de mira Lanceæ Domini inventione.* 269

§. 4.

§. 4. *Objectio Bailleti in miram Hiſtoriam de Lancea Jeſu Chriſti.* 273
§. 5. *Teſtimonium Autoris Chronici Paſchalis, a Bailleto relatum, Lanceæ falſitatem non probat.* 275
§. 6. *De Lanceis Conſtantini, S. Mauricii, & Caroli Magni.* 277
ART. V. *De Clavis, & nonnullis aliis Inſtrumentis Paſſionis Chriſti.* 279

DISSERTATIO VI.

De Reliquiis. 282

Pars Prima. *Fontes confuſionis atque incertæ veritatis plerarumque Reliquiarum.* 283

ART. I. *Ethnici, atque Hæretici conati ſunt, ut Sanctorum corpora diſperderent, Reliquias ſupprimerent, atque ignotas redderent.* 284
ART. II. *Qui Sanctorum Reliquias, vel ſuppoſuerunt, vel vendiderunt, vel furati ſunt, multas quoque incertas reddiderunt.* 286
ART. III. *Plerarumque Reliquiarum confuſio, & iactura tribui poteſt non modo negligentiæ Cuſtodum, ſed iniuriis temporum.* 288
ART. IV. *Pietas ipſa Fidelium erga Sanctorum Reliquias earum ſuſpicioni conferre potuit.* 289
ART. V. *Diviſio Corporum Sanctorum multas eorum Reliquias incertas reddidit.* 292
§. 1. *Ratio prima dividendi corpora Sanctorum.*
Miracula a Deo in ſingulis eorum minutis particulis patrata. ibid.
§. 2. *Secunda ratio. Dedicationes Eccleſiarum.* 294
§. 3. *Ratio Tertia.*
Conſecratio Altarium, & Sepulchrorum erectio in honorem Sanctorum. 296
§. 4. *Quæ incommoda conſecuta ſint morem iſtum, quod attinet ad authenticam Reliquiarum veritatem.* 297
ART. VI. *Uſus transferendi Corpora Sanctorum in Reliquiis confuſionem peperit.* 302
ART. VII. *Imagines germanarum Reliquiarum in cauſſa fuerunt, ut multæ ſuppoſitæ fierent vel ſuſpicioſæ.* 304
ART. VIII. *Haud raro Sanctuaria habita ſunt loco germanarum Reliquiarum.* 308
ART. IX. *Similitudo rerum, & nominum Reliquias multas incertas reddidit.* 312
ART. X. *Scriptores poſtremorum Sæculorum, qui pleraſque veteres Reliquias defendendas ſuſceperunt, in cauſſa ſunt ambiguitatis ipſarum.* 316
ART. XI. *Tribuenda eſt Criticis recentioribus perturbatio, quæ nunc in quampluribus Reliquiis emergit.* 132

Secunda Pars. *Regulæ ad diſcrimen habendum inter veras, & falſas Reliquias.* 323

Regula Prima. *Oportet attendere ad Dyptica Eccleſiaſtica, ad Membranas, tituloſque inſcriptos Capſis, vel Altaribus Sanctorum.* 324
Regula Secunda. *Teſtimonium virorum fide dignorum, nec non vetuſta, & conſtans Eccleſiarum Traditio.* 328
Regula Tertia. *Revelationes, & Miracula ſunt certa argumenta veritatis authenticæ Reliquiarum.* 330

Regula

Regula Quarta. *Approbatio Epiſcoporum, Actaque Viſitationum Reliquiarum veritati certum ſpecimen afferunt.* 331

DISSERTATIO VII.

De quibuſdam Monumentis profanis, in quibus de Jeſu Chriſto mentio fit. 335

ART. I. De *morte Magni Panos.*
§. 1. *Sententiæ ſcriptorum de hac Hiſtoria.* ibid.
§. 2. *Hiſtoria hæc fabuloſa eſt.* 337
ART. II. *De Actis Pilati, atque de ejus Epiſtola, ad Tiberium Imperatorem miſſa, pro Chriſto Jeſu.* 339
§. 1. *Hæc duo Monumenta ſuppoſititia non ſunt.* 340
§. 2. *Enervantur objecta argumenta adverſus authenticam Monumentorum iſtorum veritatem.* 342
ART. III. *De Teſtimonio, quod Chriſto dedit Joſephus.* 344
§. 1. *Sapientes apprime diviſi ſunt ſuper loci hujus autoritate.* 345
§. 2. *Si Traditionem audiamus, locus hic Joſepho aſſutus non eſt, & Judæus ille cognovit, Chriſtum Jeſum Meſſiam eſſe.* 346
§. 3. *Litterati Viri, qui loci huius legitimam veritatem agnoſcunt, ejus tamen authentico robori detrahunt.* 349
§. 4. *Si loci huius adverſarii rite argumentantur, deberent eum propugnare.* 353
§. 5. *Objecta argumenta refelluntur.* 356
§. 6. *Alia argumenta.* 361

FINIS.

ANI-

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

LIBER QUINTUS.

De Jeſu Chriſto, ab ejus Morte ad Pentecoſten.

DISSERTATIO PRIMA.

De anno, menſe, & die, in quibus Jeſus Chriſtus mortuus eſt.

CAPUT Fidei eſt, Filium Dei in Virginis Mariæ utero corpus ſibi atque animum noſtris ſimilem conjunxiſſe; Sanctum Joannem Baptiſtam eum in Jordanis aquis Baptiſmate abluiſſe, eumdemque Judæos actum in Crucem interemiſſe. Quanquam vero hæc omnia referant Evangeliſtæ, tempuſque in univerſum deſignent, quo myſteria iſta abſoluta ſunt, non tamen ſingula adjuncta illa deſcripſerunt, quibus de annis, menſibus, & diebus certiores fieri ſingillatim potuiſſemus. Propterea licere ſibi exiſtimarunt Eruditi, Facta hæc hiſtorica ad judicium revocare, atque adeo illorum Epochas ſtatuere, quæ certam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dirigendæ notam præberent.

Porro cum rationum vi, quas deinceps perſequar, perſuaſum mihi fuerit, vias omnes hactenus initas, non poſſe animis noſtris rectam ſatis notionem imprimere de anno Nativitatis, Baptiſmatis, & Mortis Jeſu Chriſti, mihi viſus ſum ex vetere propoſito noſtro, oportere ad conſtantem Eccle-

ſiæ Traditionem confugere, in qua fundamentum, ut apparet, aptum reperio cunctis Epochis iſtis definiendis.

Quandoquidem autem ſententia mea multorum hominum ingeniis ſub Paradoxi ſpecie poſſet obverſari, & reipſa ad hanc diem omnium Sapientum armis prematur; afferam primo in medium argumenta, quæ mihi probabiliora viſa ſunt, & depronta ex pia Eccleſiæ jandiu a ſæculis non paucis accepta opinione; deinde oſtendere conabor, ſententiam hanc non diſſidere magis a Chronologiæ, Aſtronomiæ, atque Hiſtoriæ principiis, quam ceteræ ſententiæ diſſideant, ipſiſque eorum calculis & ſupputationibus utar, ut noſtram confirmem: poſita tamen illarum ulla ad hanc quæſtionem diſſolvendam utilitate. Denique iis omnibus occurram, quæ magis conſentanea rationi, in rem quoque noſtram vim facere videbuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Fundamenta omnia, quibus ſtatuerunt annum, menſem, & diem, Mortis Jeſu Chriſti, parum certa & tuta ſunt.

INnumera pene vis hominum Litteratiſſimorum ab ineunte Chriſtiana Religione ad hæc uſque tempora eo incubuerunt, ut argumentum hoc extricarent; & prorſus ambigo, utrum ſit ullum aliud, in quo vehementius laboraverint, totque diſſimilibus modis verſaverint. Non modo innixi ſunt ſignis, in ſacris Litteris indicatis, Criticenque exquiſitiſſimam adhibuerunt; ſed ad accuratiſſimas quoque Aſtronomicæ facultatis præceptiones ſe contulere, atque Hiſtoriæ cum Eccleſiaſticæ tum profanæ operam commode dederunt. Neque item obliti ſunt vertere in cenſum ſuum, quæcumque ex Olympiadum ratiocinationibus, Judæorum Cyclis, Faſtis Conſularibus, Annis Julianis, Æris Auguſtis, ex autoritate demum & conjectura decerpere potuerunt.

Interea tamen verendum eſt, ne magnis iſtis contentionibus vix exiguos progreſſus fecerint. Qui nanque illorum jactare poteſt, ſe eum rerum ordinem excogitaſſe, qui revera expleret animum, atque aliorum ictibus non pateret? Nonne Aſtronomia & Chronologia cunctos ita ſcrupulos evellerunt, ut ne unus quidem ſuperſit? Lumina hæc, quæ celebrant adeo, nihil ne haud illuſtratum reliquerunt; aut ſpem omnem ponere debemus, aliis, præterquam ſuis, cognitionibus hanc Epocham aſſequi? Quantumvis ſane certa videantur eorum principia, tandiu tamen ambigua erunt atque incerta, quandiu careant aliquo veluti puncto præſtituto, cui diſci-

pli-

plinarum iſtarum calculi & ſupputationes firmiter hæreant. Porro momenta omnia, quibus de re, quæ eſt præ manibus, hærent, ita ſunt parum tuta, ut ſi ea penſitemus ingenua fide, pronunciare neceſſe ſit, non poſſe nos illorum ſubſidio verum Mortis Salvatoris annum deprehendere.

Veritas hæc altiſſime inſederat Petavio, Chronologo Ævi præteriti periciſſimo. Cum etenim adhibuiſſet in hac quæſtione dirimenda quidquid accuratius & ſolidius per Aſtronomiam & Chronologiam ipſi ſuppetere poterat: *Deſinant itaque*, ſubjicit, *Chronologi, in anno dieque Paſſionis eruendo, Mathematicorum calculis, Noviluniorum & Plenilunorium minutis ac ſcrupuloſis ratiociniis ſibi ac Lectoribus ſuis negotium facere*. Cui concinens Baronius ait, *Viros harum facultatum conſultiſſimos, deſperatione penitus ſuperatos, certum quid affirmare impoſſibile ratos, rem inabſolutam aliis reliquiſſe*.

Petav. de Doctrina temp. l. 12. cap. XI.

Baron. ad Ann. 34. num. 153.

Sunt, qui putent, ſe magnas utilitates ab Judæorum Cyclis percepturos, cum Scriptores præſtantiſſimi tueantur contra, Domini noſtri ætate Aſtronomiam non magnopere excultam fuiſſe, in ſumma illius ignoratione Judæos verſatos fuiſſe, Cycloſque, quibus utabantur, vitiis non paucis notari. Ii quidem mihi abſurde facere videntur, ſcribit Antonius Capellus, qui Aſtronomicis Judæorum calculis ineunt rationem diei, quo celebratum eſt Paſcha anno Chriſti patientis. Non crediderim, ſubdit Tillemontius, magna ab Aſtronomiæ regulis commoda comparare nos poſſe; niſi ſi certo teneamus, Judæos fuiſſe in cognoſcendis perſpicaciores, atque in ſectandis diligentiores nobis, qui Epactas habemus, non ſemel uno aut duobus diebus à certo atque Aſtronomico Lunæ calculo diſtantes.

Epiſt. ad Lamium Gall.

Oſtendi equidem, inquit Petavius, Menſes Judæorum Lunares non tam accurate fuiſſe diſpoſitos, ut Neomeniæ ad amuſſim reſponderent Noviluniis, & quam ipſi appellabant 14.am, ad decimam quartam Lunæ diem in cœlo referretur. Id ſane compertum eſſe non potuit ex eorum Cyclis, primis temporibus confectis, in quibus obſcura erat Aſtronomica diſciplina. Immo vero quamvis ultro concederem, ſequitur, annum eorum civilem fuiſſe ad Lunæ curſum recte accommodatum, fieri non poterat, ut temporum conſecutione non aliquando deficeret, uti poſt Concilium Nicænum inter Chriſtianos ipſos probatum eſt. Fit itaque veriſimile, Neomenias Civilis eorum anni abfuiſſe aliquando a Noviluniis uno vel altero die ob unum Cyclorum vitium, quibus utebantur, annumque civilem non diligenter fuiſſe diſpoſitum. Quod tandem Petavius confirmat S. Epiphanii teſtimonio: *Epiphanius in Alogorum Hæreſi 51. teſtatur, vitioſo calculo per id tempus uſos eſſe Judæos, ac biduo tum Neomeniam Niſan ab exacto Novilunio diſceſſionem feciſſe*.

Petav. de Doctrin. Temp. l. 12. c. 11. pag. 428.

Non eſt dubitandum, tempus Nativitatis & Mortis Jeſu Chriſti magnam habere cognationem cum annis ab Orbe condito; ſi nanque hoſce probe calleremus, illud ſeſe ultro nobis offerret. Verum quidnam momenti ponere poſſumus in Sapientum ratiocinationibus, irritaque contentione ab ipſis adhibita ad cognoſcendum, in quem ab Orbe condito annum Myſterium Incarnationis inciderit. De cujus viæ & rationis incerta veritate judicium facile ferre poſſumus, ſi ad quamplurimas ſententias hac de re excogitatas tantiſper attendamus.

Fridericus Huſmanus in quadam Epiſtola, ad Palatinum Electorem data, quadraginta varias opiniones recenſet de anno mundi, in quo Chriſtus hanc lucem hauſit. Calviſius Germanus Chronologiæ callentiſſimus declarat, ſe nullum Autorem reperiſſe, qui alteri de Nativitatis Jeſu Chriſti Epocha ſatis congrueret. Moeſtlinius, qui ætatem ſuam in Mathematicis & Chronologicis ſtudiis contriverat, teſtatur ſe centum triginta duas ſuper hac quæſtione ſententias legiſſe, non habito earum calculo, quas vel ipſe non viderat, vel illo vita functo emerſerant.

Calviſius de annis mundi c. 27.

Hiſtoria, Faſti Conſulares, Olympiades *, atque Epochæ ceteræ, quæ Controverſiæ hujus judices dirigunt, tandiu fundamenta erunt labentia; quandiu non conveniet inter Doctos de tempore, quo Facta contigerunt, de Conſulum numero, de Olympiadum annis, in quibus eventa collocanda ſunt; & præcipue quandiu minime rationem aſſequantur hæc omnia in ſemetipſis emendandi, eorumque uſum æquabiliorem reddendi.

Poſtremo neque autoritas neque conjectura ſatis perſpicacem celebris Epochæ hujus intelligentiam nobis ſufficere poſſunt. Conſtat etenim apud omnes, cum Eccleſiæ Patres, tum veteres Scriptores Eccleſiaſticos de annis Ortus, Baptiſmi, atque Interitus Jeſu Chriſti in varias ſententias eſſe diſtractos. Non poteris itaque quibuſdam adhærere, quin deſeras alios; ſtatimque ac in duorum vel trium, invicem conſentientium, opinionem deſcendes, tum ceterorum omnium teſtimonio redargueris.

Quod ſi conjectura ulla conferre poſſet ad difficultatis hujus deciſionem, ea eſſet maxime Litteratorum elapſi ſæculi, quibus placuit, Jeſum Chri-

* Sycellus *Chronographia pag.* 196. ait, *Non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem, nec Eccleſiaſticis hiſtoriis concordem in his ſententiam eſſe, eorum evolventibus ſcripta haud difficulter conſtabit.* Tria præſertim varia Olympiadum initia referuntur. Quæ appellatur *Iphitea*, ſive vulgata, ſtatuitur anno 3938. periodi Julianæ, 18. Cycli Solis, 5. Cycli Lunæ, & F. Litteræ Dominicalis. Altera, *Euſebiana* dicta, quod ea paſſim Euſebius & Hieronymus utantur, affingitur anno 3937. periodi Julianæ, 17. Cycli Solis, 4. Cycli Lunæ, A. G. Litteræ Dominicalis. Tandem periodus Olympiadum, quas Julius Africanus, Georgius Syncellus, aliique Veteres adhibuerunt, exordium habet ab anno 3936. periodi Julianæ, 16. Cycli Solis 3. Cycli Lunæ, B. Litteræ Dominicalis. Autores vero referunt Olympiadum initium in alios annos, uti animadvertit *Pagius Diſſ. de Periodo Græco-Romana numer.* 87. *Tomo* 1. *Critica.*

ſtum

TABULA PRIMA.

Anni ab urbe condita.	Anni Juliani	Laterculum Annorum, & Conſulatuum, intra quos natalis Chriſti, ac vita ejus omnis, & Paſſio coercetur, ut neque natus ante omnes illos, neque poſt eoſdem paſſus videri poſſit.	Olympiades.	Annus Actiacus à Januario.
746.	38.	*C. Marcius Cenſorinus.* *C. Aſinius Gallus.* Hoc Anno Kalendarium Pontificum depravatum. Auguſtus emendare inſtituit, ac 12. Annos ſine biſſexto tranſire juſſit.	193. I.	22.
747.	39.	*Ti. Claudius Nero* *Cn. Calpurnius Piſo.* *Tiberius de Germanis triumphavit.*	II.	23.
748.	40.	*D. Lalius Balbus.* *C. Antiſtius vetus.* Auguſtus Tiberio in Quinquennium Tribunitiam poteſtatem dedit. Ex calculo Joſephi, ac Dionis Sacerdoti de vice Abia Suffitum adolenti Angelus obtulit ſeſe, ac Joannis ortum nunciavit. Hoc Anno natum Chriſtum aſſerit Marcus Antonius Cappellus.	III.	24.
749.	41.	*Auguſtus Caſar XII.* *2. Cornelius Sulla.* Joannes primum, tum Chriſtus hoc Anno nati. Per idem tempus cenſus extra ordinem à Quirinio fuit inſtitutus. Quintilius Varus Syriæ præeſt ex Joſepho.	IV.	25.
750.	42.	*C. Calviſius Sabinus* II. *C. Paſſienus Rufus.* Hoc Anno mortuum Herodem circa Paſcha cenſet Joſephus, cujus obitum defectio Lunaris anteceſſit Martij XIII. hora 2. 45. mi. à media nocte. Archelaus Romam venit, ut ex Patris teſtamento Regnum ab Auguſto conſequeretur, Auguſtus de Conſilii Sententia, cui & Caïus interfuit Regnum partitus eſt, exinde Caïus profectus in Provincias. Cum ineunte Anno Magi Chriſtum adoraſſent. ac metu Herodis Joſeph cum Chriſto, ac Beata Virgine in Ægyptum receſſiſſet, Herode mortuo, Nazarethum reverſus eſt.	Olymp. 194.	26.
751.	43.	*Cn. Cornelius Lentulus.* *M. Valerius Meſſalinus.* Hic Annus natali Chriſti à Baronio, Scaligero, aliiſque præfigitur.	II.	27.
752.	44.	*Auguſtus Caſar XIII.* *M. Plautius Sylvanus, eique ſuffectus C. Caninius Gallus.*	III.	28.
753.	45. Anni Chriſti	*Coſſus Cornelius Lentulus* *L. Calpurnius Piſo* His Coſſ. vulgo natus eſſe Dominus creditur. ÆRA CHRISTI COMMUNIS	IV.	29.
754.	1. 46.	*C. Julius Caſar* *L. Aemilius Paulus*	Olymp. 195.	30.

755.	2. 47.	*P. Vinicus Nepos* *P. Alſericus Varus*	II.	31.
756.	3. 48.	*L. Aelius Lamia* *M. Servilius Geminus*	III.	32.
757.	4. 49.	*Sex. Ælius Catus* *C. Sentius Saturninus* Tiberius adoptatur ab Auguſto, & Tribunitiam poteſtatem iterum obtinet.	IV.	33.
758.	5. 50.	*L. Valerius Meſſala* *Cn. Cornelius Cinna.* Defectio ſolis hoc anno contigit Martij 28. fer. 7. Hora 4. 13. poſt meridiem Romæ.	Olymp. 196.	34.
759.	6. 51.	*M. Aemilius Lepidus.* *C. Arruntius Nepos* Archelaüs à fratribus ſuis accuſatus Romam arceſſitur, ac relegatur. Judææ pars, quæ illi parebat, in formam provinciæ redigitur. Quirinus ad cenſus deſcriptionem, & Archelai bona in fiſcum redigenda cum Coponio procuratore venit in Syriam.	II.	35.
760.	7. 52.	*Q. Cæcilius Metellus Creticus.* *L. Licinius Nerva.*	III.	36.
761.	8. 53.	*M. Furius Camillus* *Sex. Nonius Quintilianus.* Chriſtus Annum agens ætatis duodecimum in templo cum doctoribus diſputans à matre deprehenditur	IV.	37.
762.	9. 54.	*P. Sulpitius Camerius* *C. Poppæus Sabinus*	Olymp. 197.	38.
763.	10. 55.	*P. Cornelius Dolabella* *C. Julius Silanus.*	II.	39.
764.	11. 56.	*M. Aemilius Lepidus* *T. Statilius Taurus*	III.	40.
765.	12. 57.	*Tib. Germanicus Cæſar.* *C. Fonteius Capito.* Senatus, Populuſque R. poſtulante Auguſto, æquum Tiberio in omnibus Provinciis, exercitibus, quàm erat, decrevit. Inde regreſſus in urbem Tiberius dilatum triumphum ex Pannoniis ac Dalmatiis egit.	IV.	41.
766.	13. 58.	*C. Silius Nepos.* *L. Munatius Plancus.* Auguſtus Reip. adminiſtrationem in decennium jam quietam accepit. Tiberio poteſtas Tribunitia prorogata.	Olymp. 198.	42.
767.	14. 59.	*Sex. Pompejus.* *Sex. Apulejus.* Auguſtus Nolæ in Campania moritur. Aug. 19. cum vixiſſet Annos paulo plus 76. Hic Annus Tiberii primus incipit, qui quidem imperavit An. 22. m. 6. d. 26. Annius Rufus Judææ Procurator.	II.	43.
768.	15. 60.	*Druſus Cæſar Tib. F.* *C. Norbanus Flaccus.*	III.	44.

769.	16. 61.	*T. Statilius Siſenna Taurus.* *L. Scribonius Libo.* Valerius Gratus Judææ Procurator à Tiberio mittitur.	IV.	45.
770.	17. 62.	*C. Cælius Rufus.* *L. Pompeius Flaccus.*	Olymp 199.	46.
771.	18. 63.	*Cl. Tiberius Nero Cæſar Aug. II.* *Germanicus Cæſar II.*	II.	47.
772.	19. 64.	*M. Junius Silanus.* *L. Norbanus Balbus Flaccus.*	III.	48.
773.	20. 65.	*M. Valerius Meſſala.* *M. Aurelius Cotta.*	IV.	49.
774.	21. 66.	*Tiberius Cæſar Aug. IV.* *Druſus Cæſar Tib. F. II.*	Olymp 200.	50.
775.	22. 67.	*C. Sulpitius Galba* *D. Haterius Agrippa.*	II.	51.
776.	23. 68.	*C. Aſinius Pollio* *C. Antiſtius Vetus.*	III.	52.
777.	24. 69.	*Sex. Cornelius Cethegus.* *L. Vitelius Varro.*	IV.	53.
778.	25. 70.	*Cn. Lentulus Iſauricus.* *M. Aſinius Agrippa.*	Olymp 201.	54.
779.	26. 71.	*Cn. Cornelius Lentulus Getulicus.* *C. Calviſius Sabinus.* Tiberius in Campaniam profectus, neque Romam amplius reverſus.	II.	55.
780.	27. 72.	*M. Licinius Craſſus.* *L. Calpurnius Piſo.* Pilatus Judææ procurator hoc Anno eſſe cœpit.	III.	56.
781.	28. 73.	*Ap. Junius Silanus.* *P. Silius Nerva.* Anno XV. Tiberii Joannes Zachariæ Filius in deſertum prodiit, ac pœnitentiam prædicans baptizare cœpit.	IV.	57.
782.	29. 74.	*C. Rubellius Geminus.* *C. Fuſius Geminus.* Chriſtus his Coſſ. baptizatur à Joanne tum Apoſtolos ſingulatim adſciſcit ſibi. Joanne verò in carcerem miſſo, in prædicationem pœnitentiæ acrius incumbit.	Olymp 202.	58.
783.	30. 75.	*M. Vinitius Quartinus.* *C. Caſſius Longinus.*	II.	59.
784.	31. 76.	*Cl. Tiberius Nero Cæſar Aug. V.* *Ælius Sejanus.* Chriſtus Dominus in Crucem pro humani generis ſalute ſublatus eſt Martii 23. Fer. 6. Luna 15. populari: cum pridie Legitimum Paſcha cum diſcipulis obiiſſet, ac Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſet. Reſurrexit martii 25. feria 1. Aſcendit in cœlum Maij 3. Spiritum Sanctum à cœlo miſit Maij 13. exinde Diſcipuli Chriſtum magna cum fiducia prædicare cœperunt.	III.	60.

785.	32. 77.	C. *Domitius Aenobarbus* *A. Vitellius.*	IV.	61.
786.	33. 78.	*Ser. Sulpicius Galba.* *L. Cornelius Sulla.* Saulus acceptis à Pontifice Litteris, cum Damaſcum proficiſceretur, ad Chriſtum convertitur.	Olymp 203.	52.
787.	34. 79.	*Paulus Fabius Priſcus.* *Q. Vitellius Nepos.*	II.	63.
788.	35. 80.	*C. Ceſtius Camerinus.* *M. Servilius Rufus.* Tiberius Vitellium Syriæ Præſidem mittit. Philippus Herodis Filius moritur cum regnaſſet Annos 38.	III.	64.
789.	36. 81.	*Q. Plautius Plautianus.* *Q. Papinius Gallienus.* Vitellius Syriæ Præſes Marcellum Procuratorem Judææ mittit. Ac per eundem Pilatum à Judæis accuſatum Romam ad Tiberium navigare juſſit.	IV.	65.
790.	37. 82.	*C. Aceronius Proculus.* *C. Pontius Nigrinus.* Moritur Tiberius 17. Kal. Aprilis: ſuccedit Caïus, qui imperavit An. 3. m. 10. *Ex Patavio de Doctr. temp. Lib. 12.*	Olymp 204.	66.

ſtum anno Biſſextili natum eſſe. Verum præterquamquod conjectura hæc leviſſima eſt, atque argumento nullo munita; neque Aſtronomi ipſi concinunt inter ſe de anno Juliano, cui adſcribendus ſit primus annus Biſſextilis; ſive inquam poſt emendationem initam a Julio Cæſare, ſive poſt inſtaurationem annorum Biſſextilium, Auguſti Decreto imperatam.

ARTICULUS II.

Expenduntur modi, a Sapientibus Viris adbibiti, quibus Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Jeſu Chriſti annum ſtatuerent.

NON eſſet autem ſatis in rem noſtram, univerſe indicaſſe, fundamenta omnia, quibus ſuperſtruxerunt Litterati homines Epochas, de quibus diſputatio ſit, parum firma atque ambigua eſſe, niſi idipſum oſtenderem ſingillatim. Quod ut rite atque ex ordine præſtem, refero modos omnes, quibus uſi ſunt, ad eos, quos ex Chronologiæ atque Aſtronomiæ principiis deduxerunt.

Utque etiam argumenta mea ſenſibus magis obnoxia ſint, quatuor Tabulas ponam locis ſuis. Prima complectitur annos quadraginta quinque, extra quos annum Nativitatis & Mortis Jeſu Chriſti collocare nequimus. Altera, octo vel decem annis conſtans, nos docet, Jeſu Chriſti Mortem ex Aſtronomiæ legibus in annorum iſtorum aliquem incidere debuiſſe. Attexam his tertiam, referentem annos Biſſextiles ab emendatione kalendatii, ab Julio Cæſare facta, ad eorundem annorum Biſſextilium inſtaurationem, ab Auguſto imperatam. Quartam tandem continet Cyclos Solis & Lunæ, quorum uſu Paſchatis Feſtum poſſumus reperire. Quæ ſane Tabulæ perſuadere cuique poterunt, omnia Chronologiæ atque Aſtronomiæ lumina non ſufficere, ut nos, in accuratam anni, menſis, & diei Mortis Jeſu Chriſti cognitionem inducant.

§. I.

§. I.

Non poſſumus e ſolis Chronologiæ principiis annum Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Salvatoris certo cognoſcere.

Vide Tabulam primam.

HANC enunciationem ſtatuo in Tabula ſequente, quæ confecta eſt ex quinque ſupra quadraginta annis, qui fluxerunt ab anno Romæ conditæ 746. ad 790. atque a quadrageſimo octavo anno Juliano ad totum uſque octogeſimum ſecundum. Hi ſunt duo fines, extra quos egredi non poteſt annus Nativitatis & Mortis Chriſti, ut probabimus ex Evangelio. In hanc porro Tabulam intulimus annos ab Urbe condita, eos, quos Julianos vocant, annos Olympiadum, & ludorum Actiacorum; & annis ſingulis Conſulum nomina ſubjecimus.

I. Quo autem perſpicuæ ſint omnibus difficultates indiſſolubiles in reperiendis Epochis, a nobis inquiſitis, ope ratiocinationis initæ ex annis, in hac Tabula notatis, quibuſque fidunt Chronologi in tempore Nativitatis & Mortis Chriſti ſtatuendo; ante omnia animadvertas velim, *Luca 2.* 1. S. Luca docente, *Exiiſſe Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis; hancque deſcriptionem primam factam eſſe a preſide Syriæ Cyrino*; quod Judæos omnes coegit, ut in locum originis ſuæ proficiſcerentur: adeoque Joſephus cum Maria Virgine Bethleemum ſe contulit, Civitatem nimirum Davidis, ubi Chriſtus Dominus in ſpecu ortus eſt. Ex quo Lucæ teſtimonio dilucide fit, Jeſum non editum in lucem fuiſſe ante Deſcriptionem iſtam.

Deinde animadverte, enumerationem iſtam; annum interitus Herodis; initium Imperii Auguſti & Tiberii; annum Baptiſmi Salvatoris capita ſumma eſſe, ex quibus Chronologi repetunt annos Nativitatis & Mortis Chriſti, licet incertiſſima ſint. Id itaque opus eſt demonſtrare.

II. Mirum eſt, ne verbum quidem Hiſtoricos feciſſe de Imperio univerſo, ab Auguſto ante Chriſti nativitatem recenſito; quod tamen non *Juſtin. Apol. 2. Tertull. in Marc. lib. 4. c. 7.* poterat non eſſe celeberrimum; quandoquidem S. Juſtinus & Tertullianus ad Acta publica ejus rei, quæ Romæ ſervabantur, Ethnicos revocabant.

Ceterum ſub Auguſto non una Recenſio facta eſt, & ſatis difficile fit dignoſcere, de qua S. Lucas loquatur. Conſtat etenim tres Cenſus habuiſſe Auguſtum ex animadverſione Suetonii. Primus imperatus fuit 18. anno Juliano; Secundus anno 38. Marcio Cenſorino, & Aſinio Gallo Conſulibus; Tertius anno Auguſti poſtremo, & 59. Juliani. Prior atque ultimus horum Cenſuum a tempore Nativitatis Jeſu Chriſti plus

æquo

æquo diſtant. Ille nanque Æram Chriſtianam 28. annos antecedit; atque hic non contigit, niſi poſt annum ab illa decimum quartum. Secundus vero Cenſus magis accedit ad annum, quo in hanc lucem prodivit Jeſus Chriſtus. Et quamvis acciderit octo annos ante Æram vulgatam, id non prohibet, quominus Auctores aliqui crediderint, hanc eſſe enumerationem, de qua meminit S. Lucas: quo factum eſt, ut Nativitatis Domini tempus quatuor aut quinque annos anteverterent.

S. Lucas ait, Deſcriptionem hanc factam fuiſſe in Judæa a Cyrino, *Tertull. l. 4. c. 19.* ſive Sulpicio Quirinio Præſide Syriæ. Nihilo tamen minus animadvertit Tertullianus, eam perfeciſſe Sentium Saturninum, per id temporis ſecundum Joſephum Syriæ Præfectum. Qui nodus ut ſolvatur, alii dicunt, potuiſſe Quirinium legatam ſibi in Judea Saturnini nomine & juſſu Recenſionem illam habere. Aliis placuit, fuiſſe fortaſſe Quirinium *Petav. de doctr. Temp. lib. 12. c. 8.* ex 24. Præpoſitis extraordinariis, ab Auguſto renunciatis, cui in partitionem advenerit Syria & Paleſtina; neque id obſuiſſe, quin Saturninus proprius adhuc eſſet Provinciæ Præſes.

Tillemontius nullo negotio ſeſe expedit ab hac difficultate his verbis: „ Videor mihi præſtare citius ab uno Tertulliano deficere, qui *Tillem. notat. 4. in Jeſ. Chriſt.* „ tum in Hyſtoria, tum in aliis multis peccare aliquando accuratione „ potuit; & Noriſio aſſentiri dicenti, Varum jam tum Syriæ præfuiſſe, „ cum Chriſtus natus eſt. „ Quod autem Divus Lucas Quirinii Deſcriptionem in Nativitate Chriſti primam appellet, id referendum eſſe exiſtimant non pauci ad eam, quam decrevit Auguſtus, poſtquam Archelaus exularit, ſexto aut ſeptimo videlicet anno Æræ vulgatæ.

Aliis inſedit opinio, Quirinium & Saturninum eodem tempore hunc Cenſum feciſſe: Saturninum quidem in ea Syriæ parte, quæ proxima eſt Judeæ; Quirinium vero in reliqua Syria. Item quamvis narret Joſephus, Varum ſucceſſiſſe Saturnino in Syriæ Præfectura; nihilo ſecius auctor eſt Cardinalis Baronius, Quirinium præfuiſſe antea Ciliciæ, deinde Syriæ; Saturninum excepiſſe, & Varum Succeſſorem habuiſſe. *Baron. in Appar. num. 86.* Atqui ſi parum adeo conſtat, quiſnam eſſet Syriæ Præfectus, cum natus eſt Jeſus Chriſtus, ſique latet in incerto tempus Recenſionis, quanam ratione ex factis tantæ ambiguitatis annum Ortus Jeſu Chriſti enunciare poterimus?

III. Evangelium S. Matthæi nos certos reddit, in vitam hanc introiſſe Jeſum ante obitum Herodis. At quis modus ſtatuendi annum hunc? Joſephus duas Epochas ponit Regni Principis hujus. Prima reſpondet ſexto anno Juliano, cum Marcus Antonius eum Judæorum Regem a Senatu deſignandum curavit, 714. ab Urbe condita anno. Secunda occurrit poſt annum tertium, ſcilicet anno nono Juliano, & 717. Urbis

con-

conditæ. Tum etenim Marcus Antonius capitis damnavit Antigonum Herodis competitorem, quod hunc non interpellatum Regni poſſeſſorem effecit. Propterea ſcribit Joſephus, Herodem vita exceſſiſſe, *cum regnaſſet, poſt quam Antigonum ſuſtulit, annis triginta quatuor; poſtquam vero a Romanis regnum obtinuit, ſeptem & triginta.*

Joſephus antiq. lib. 17. c. 10. & l. 1. Bell. c. ult.

Hoc itaque loco Joſephi Viri Docti de Herodis interitus anno in varias ſententias abierunt. Quidam aſſerunt, eum obiiſſe 37. Regni ſui anno, inita ratione temporis ab Antigoni morte, & menſe non uno poſt Nativitatem Jeſu Chriſti. Alii contendunt, incipiendos eſſe hoſce 37. annos a 714. Romæ conditæ, qui ſextus Julianus eſt, & concludendos anno 750. vel 751., qui reſpondet 42. aut 43. Juliano, tertio vel quarto ante Æram vulgatam anno: cui ſententiæ ſubſcribunt Epiphanius, Petavius, aliique multi. Sulpicius Severus collocat Herodis fatum quinque ante Domini Ortum annis; & Baronius octavo Æræ vulgatæ.

Keplerus ait, Herodis mortem contigiſſe Sabino & Ruſo Conſulibus, anno Juliano 42. Tirinus Lentulo & Meſſala Conſulibus, anno nimirum inſequente. Torniellus anno Juliano 44. Auguſto tertio Conſule cum Silvano. Salianus & Scaliger Cornelio Lentulo & Calphurnio Piſone Conſulibus, 45. anno Juliano. Paulus Mildeburgenſis anno 46. Juliano. Alcuinus tandem eam differt ad uſque 54. Annum Julianum. Quæ cum ita ſint, non crediderim, prodigioſam hanc Sapientum de anno obitus Herodis diviſionem admodum conferre ad illum ſtatuendum, quo natus eſt Salvator noſter: immo in ſequentibus probaturi ſumus, Ecclypſim Lunæ, quæ viſa eſt paullo ante interitum Herodis, quæque omnium certiſſima Epocha eſſe deberet, diſſidia multa inter Litteratos peperiſſe.

IV. Communis Hiſtoricorum ſententia fert, Auguſtum obiiſſe diem extremum Nolæ in Campania Menſe Auguſti, anno 767. ab Urbe condita, 59. Juliano, & 14. Æræ vulgatæ, ætatiſque ſuæ ſeptuageſimo ſexto. Diſcrepat ſpatium Regni ejus, quatenus diſcrepant opiniones de initio Imperii ſui. Si Regni Auguſti exordium ducas a morte Julii Cæſaris, ipſe Regnum adminiſtravit 57. annos, menſes quinque, & dies quatuor: atque id tempus tribuit illi Joſephus. Quod ſi ordiaris Imperium Auguſti a die XI. ante Kal. Septembris anni 711. Urbis conditæ, poſtquam extinctis duobus Conſulibus Hirtio & Panſa, ſe ipſis in Conſulatum ſubrogandum curavit, ſupputantur 55. anni, menſes undecim, & dies 28. vel anni 55. menſes octo, & dies 22. ex quo cum Marco Antonio & Lepido Triumvir renunciatus eſt. Qui porro calculus, aut huic proximus, eſt Suetonii, Euſebii, & S. Epiphanii, qui Auguſti annos numerant 56.

Si vero referas Monarchiam Auguſti ad pugnam Actiacam, ſpatium Imperii ejus quadrageſimum quartum attigit annum citra tredecim dies.

Ac

At ſi initium ducas a morte Antonii & Cleopatræ, quæ Regno Ægyptiorum finem dedit, imperavit Auguſtus 43. annos. Propterea cum S. Clemens Alexandrinus ait, Jeſum Chriſtum in lucem editum fuiſſe anno Imperii Auguſti 28. ideo eſt, quia rationem habet imperii eius a victoria de Antonio lata. Martyrologium Romanum ex adverſo, qui annos Imperatoris hujus recenſet ab ejus Triumviratu, ortum Salvatoris ponit anno 42. Imperii Auguſti. Alii denique Salvatoris Nativitatem vel protrahunt vel retrahunt ſecundum initia varia, a quibus petunt Imperium Auguſti.

V. Neque vero magis conveniunt Autores inter ſe de annis Imperii Tiberii. Quidam etenim eos ineunt ab obitu Auguſti, alii autem ante duos annos; quod nimirum, ajunt, tum erat Collega Auguſti: adeoque 23. Imperii annos ipſi tribuunt; videlicet, cum regnaſſe unum ſupra viginti annos poſt fatum Auguſti, duos autem ante ejus exceſſum: denique contendunt nonnulli, Tiberium imperaſſe 23. annos ab exitu Auguſti, & propterea in univerſum 26. annos & menſes 7. ipſi annumerant. Quæ diſſimilia Chronologorum ſenſa eos de anno Imperii Tiberii, quo vitam dedit Chriſtus Dominus, non modice diſtraxerunt. Quidam etenim Salvatoris mortem adjungunt anno 17. hujus Principis, cum quinto Conſul fuit; alii eam ſtatuunt 18. non pauci 19. Galba & Sulla Conſulibus; Paulus Mildeburgenſis eam promovet ad 36. annum Æræ vulgatæ, atque 81. Julianum ſub Conſulatu Plantii, & Papinii. Tandem communis Patrum ſententia in id conſpirat, ut opinetur, Servatorem e vivis ereptum fuiſſe anno Imperii Tiberii decimoquinto.

VI. Sanctus pariter Lucas, parum aperte locutus de ætate Jeſu Chriſti Baptiſma ſuſcipientis, occaſionem dedit aliis exiſtimandi, illum tum annos natum fuiſſe 30. incæptos, aliis 31. & dies tredecim, aliis tandem 34. Locus ſane Divi Lucæ nihil tradit nobis, niſi S. Joannem initium feciſſe nunciandi verbi divini anno Tiberii decimoquinto; noſque incerti ſumus, quantum temporis elapſum ſit ab exordio prædicationis ad Baptiſma Chriſti. Si nanque diligenter perpendas verba Evangeliſtæ, facile deprehendes, Baptiſma Salvatoris non recenſeri ſub anno Imperii Tiberii decimoquinto, ut paſſim credunt; ſed Lucam indicare tantummodo tempus, quo Præcurſoris Officium Joannes auſpicatus eſt. Poſtremo ſcire nullo modo poteris, num S. Lucas enumeret annos Tiberii a die prima Januarii, qua incipiebat annus Julianus, aut a Menſe Niſan, aut a 19. Auguſti, qua vivere deſiit Auguſtus; neque an quindecim anni ſupputandi ſint ab ejus Conſulatu, vel a Morte Auguſti. Inſuper cum ait Divus Lucas, Jeſum Chriſtum fuiſſe tum *quaſi annorum triginta*, nihil certi decernit de tempore, quo ad triceſimum annum accederet.

VII. Ex qua enumeratione a nobis facta colligere quiſque poterit, omnia, quæ fundamentum habent in annis Conſulum, aliiſque eventis a nobis allatis, ambigua eſſe & incerta, ut ex illis annum Nativitatis & Mortis Jeſu Chriſti accurate cognoſcamus. Non quidem quia Chronologiæ Leges in ſe ſe deficiant, ſed quia primo Evangeliſtæ annos ſingillatim non enunciarunt; 2. quia Epochæ Cenſuum, quos fecit Auguſtus; annorum obitus Herodis; initii Imperii Auguſti, aliorumque, ad tempora apprime diverſa referri commode poſſunt; 3. quia Litteratorum aliqui idem Factum hiſtoricum affinxerunt cuidam Olympiadum, atque Urbis conditæ anno, ſubque quibuſdam Conſulibus; interim dum alii propugnant eventum illud ad alia plane tempora pertinere. Qua de re Pagius ſolertiſſime in ſuo Apparatu Chronologico animadvertit: *In Chronologia, quemadmodum & in aliis quibuſdam ſcientiis quædam certa, quædam probabilia, quædam prorſus obſcura incertaque.*

Tomo I. num. CLX. & ultimo.

VIII. Inde oriuntur tot ſententiæ maxime diſparatæ inter ſe, atque omnes ſimiliter incertæ, quippe nulla alia re conſtitutæ, niſi Epochis arbitrariis, & per ſe ſe indefinitis. In quo illud eſt probe conſiderandum, ſingulas iſtas opiniones varias de Nativitate & Morte Jeſu Chriſti omnem fere probabilitatem amittere, ſive quia Puncta fixa, quæ Autores ſelegerunt, incerta ſunt; ſive quia unamquamque opinionum iſtarum, ſeorſim acceptam, controverſantur omnes alii Chronologi, qui illorum Epochas minime certas eſſe cenſent; & quiſque ſingillatim alios deceptos eſſe demonſtrat in delectu, quem habuerunt, ex. gr. anni, quo incepit Imperium Auguſti, vel contigit mors Herodis.

Vix reperias Chronologos duos, qui in omnibus conſentiant capitibus facultatis ſuæ; ſed contra ubi de uno convenerint, diſſident de alio. Unde factum eſt, Eruditos, neſcientes, ut ita dicam, cui firmiter adhærerent, eventa ideis animorum ſuorum accommodaſſe, cum ex adverſo ideas ex eventis effingere oportuiſſet. Quibus omnibus promtum eſt colligere, Chronologiam ſolam, quantocumque demum in pretio per ſeſe habenda ſit, & cujus nunquam utilitatem atque accurationem diffitebimur, leviſſimo tamen adjumento eſſe ad ſtatuendum Nativitatis & Mortis Dominicæ annum: quod interea ne referas in ſcientiæ hujus principia, ſed in Facta hiſtorica dubia, quibus fulcit Concluſiones ſuas. Cum igitur via hæc tot rationibus ſit minus tuta, alia argumenta conquirenda ſunt, ut conſtet de anno Jeſu Chriſti morientis.

IX. Illud vero me non latet, ſapientes hujus ætatis Criticos, Aſtronomiæ lumina Chronologiæ luminibus addidiſſe, ut certius immane hoc Chaos extricarent de tempore, quo humanam carnem ſumſit Deus, & pro nobis mortem paſſus eſt. At ſupputationes Aſtronomorum tandiu nihilo-

nihilominus incertæ erunt, ac ratiocinationes Chronologorum, quandiu fundamenta, quibus fidunt, æque, uti revera ſunt, ambigua erunt. Quod ut Lectori liqueat, deſcribo hoc loci quaſdam Tabulas, confectas a peritiſſimis poſtremorum ſæculorum Aſtronomis, & univerſe Eruditis omnibus probatas.

§. II.

Tabulæ Noviluniorum & Pleniluniorum primi Menſis, quibus oſtenditur; ſupputationes Aſtronomicas non poſſe nobis Mortis Jeſu Chriſti diem patefacere.

I. EX hac Tabula cognoſcitur qua ratione Paulus Mildeburgenſis calculum iniverit mediarum & verarum Lunarum menſis Paſchalis ab anno 31. Æræ noſtræ ad totum uſque annum quadrageſimum. Petavius ſupputationes iſtas intulit in Opus ſuum de Doctrina Temporum l. 12. c. 9. In Chronologia Sancta, appoſita in fine Bibliorum Vitræi, c. 33. leguntur rationes quinque annorum a 31. ad 35. quas hujus Chronologiæ Autor fatetur, ſe depromſiſſe a Paulo Mildeburgenſi, & revera eædem pene ſunt, ſi quædam Editorum menda excipias. Propterea non laboro de hac Vitræi Tabula, hoc loci ponenda. *Vide Tabulam Secundam.*

Illud unum addam, Pauli Mildeburgenſis Tabulam nimis ſero incipere ordinem ſupputandi; cum opus fuerit, annos quoque 29. & 30. in ea collocare, quod ſcilicet Aſtronomi multi annorum iſtorum alterutri Mortem Salvatoris aſſignent. Eadem Tabula longius, quam par ſit, profert Noviluniorum & Pleniluniorum numerum: quandoquidem certum eſt, Mortem Jeſu Chriſti nullo modo produci poſſe poſt mortem Tiberii; quæ incidit in annum 37. Æræ communis. Contra vero Tabula Autoris Chronologiæ Sacræ non videtur ſatis extendi, cum annos duntaxat quinque complectatur a 30. ad 35. Æræ noſtræ; & tamen haud deſunt Scriptores, qui non ſine magna probabilitate Mortem Domini noſtri vel ante vel poſt quinque iſtorum annorum fines ſtatuerunt.

II. Quod ſane coegit ætatis hujus Aſtronomos, ut rationem inirent annorum octo, extra quos Salvatoris noſtri mortem collocare nemo poteſt. Atque hoc pacto argumentantur: Ait Evangeliſta, Joannem Præcurſoris munere fungi cœpiſſe in Deſerto, anno quintodecimo Imperii Tiberii. Igitur Jeſus Chriſtus occumbere non potuit eo anno. Si numeres decimum quintum Principis hujus annum a morte Auguſti, quem excepit Tiberius, reſpondet certe anno 29. Æræ Chriſtianæ. Alii enumerant annos Tiberii a die, quo Auguſti Collega renunciatus eſt ad annum circiter Æræ noſtræ undecimum.

Cum pariter Dominus noſter poſt Baptiſma vel duos certe annos Verbum Divinum nunciaverit; ſiquidem S. Joannes duo Paſchata perſpicue notat, præter illud, quod celebravit pridie mortis ſuæ; conficitur inde, Jeſum neci tradi non potuiſſe ante 29. annum Æræ noſtræ, qui primus omnium eſt in quæſtione, habuitque Conſules duos Geminos, ſub quibus Tertullianus, Lactantius, & Divus Auguſtinus inquiunt, Servatorem noſtrum Crucem aſcendiſſe. Ecce itaque prior annorum terminus.

III. Pilatus Jeſum Chriſtum capitis damnavit. Mortuus eſt ergo, antequam Præſes hic dimitteret munus ſuum, atque e Judæa demigraret; quod contigit ante mortem Tiberii. Porro convenit, Imperatorem hunc fatis ceſſiſſe 37. Æræ noſtræ anno. Quamobrem omnes inſequentes anni a diſputatione, quam inſtituimus, excluduntur. A qua item removere poſſemus annos 36. & 37. quoniam Pilatus ex opinione magis vulgata Hieroſolyma diſceſſerat tempore Paſchatis anni 36. adeoque in alio Paſchate adverſus Jeſum Chriſtum ſententiam tulit. Qua de re anni 29. & 36. Æræ communis, non excluſi, duo termini ſunt Mortis Salvatoris.

Supputationes Noviluniorum & Pleniluniorum pro hiſce octo annis confectæ ſunt a Fabro, Viro eruditiſſimo in Regiam Scientiarum Academiam cooptato, atque hunc laborem obivit celeber hic Aſtronomus Lamii rogatu, qui uberrime illas refert cap. 6. primæ partis Tractatus ſui de Paſchate. Beſſinus quoque eaſdem attulit c. 2. §. IX. Tractatus ſui *de Animadverſionibus in novam Sententiam Lamii* ſuper poſtremo Paſchate Jeſu Chriſti. Bernardinus Savinus ex Inſtituto Doctrinæ Chriſtianæ cap. 7. *Canonis de Temporibus*, Calviſius *in Iſagoge Chronologica c.* 49. aliique multi eidem rei operam dederunt.

IV. Habeto igitur Synopſin ſupputationum iſtarum, in qua non referam niſi Novilunia & Plenilunia Menſis Niſan; dieſque Menſis & Hebdomadæ, in quibus contigerunt, quod pro re noſtra ſatis eſt.

Anno 29. Æræ Chriſtianæ, & 74. Juliano Littera Dominicalis B. Novilunium Hieroſolymis, ex Fabro, 2. Aprilis, hora 8. veſpertina, & 38. Minutis. Primum Phaſe 4. Aprilis hora 6. veſpertina. Plenilunium 17. Aprilis, hora 6. matutina, quodam die Dominico.

Anno 30. Æræ noſtræ, & 75. Juliano Littera Dominicalis A. Novilunium Hieroſolymis 22. Martii, hora 8. veſpertina, minutiſque 42. Phaſe 24. Martii, hora ſexta veſpertina. Plenilunium 6. Aprilis, hora 10. veſpertina, minutiſque 55. die Jovis.

Anno 31. Æræ vulgatæ, & 76. Juliano Littera Dominicalis G. Novilunium 12. Martii, hora 1. matutina, & minutis ſex. Phaſe 13. Martii, hora 6. veſpertina. Plenilunium 27. Martii, hora 2. poſt meridiem, minutis 10. die Lunæ, ſive Martis.

Anno

No-
veſ-
vel

ovi-
lar-
na,

ilu-
ora
:.
ilu-
29.
itu-

. G.
nu-
ho-

ſtri
na-
ſen-
ite-
oci-

Ve-
Eræ
ac-
no,

mi-
eve
na-
en-

Aſſumtio nihilo evidens minus eſt; ſi namque oculos conjicias in octo annos, quos complectitur Tabula Fabri, liquido conſtabit tibi, nullum

* Autor Chronologiæ Sanctæ *cap.* 34. *Gall.* Alexander *tom.* 1. *Diſſ.* 2. *qu.* 3. *prop.* 2. Lamius *Tractatu de Paſchate* 1. *p. c.* 6. Savinus *Canon Temp. c.* 7. Calviſius *Iſagoge Chronologica c.* 49. Pagius, & alii.

eſſe,

C
bum
nota
Jeſu
omn
Tert
noſti

II
tequ
quo
ſatis
a di
poſſ
Hie
chat
Ære

St
conſ
dem
Lam
ſui
de
te J
cap.
que

IV
xam
dom

A
vilu
Min
Apr

A
niun
24.
pertina, minutiſque 55. die Jovis.

Anno 31. Æræ vulgatæ, & 76. Juliano Littera Dominicalis G. Novi-Junium 12. Martii, hora 1. matutina, & minutis ſex. Phaſe 13. Martii, hora 6. veſpertina. Plenilunium 27. Martii, hora 2. poſt meridiem, minutis 10. die Lunæ, ſive Martis.

Anno

Anno 32. Æræ communis, & 77. Juliano Littera Dominicalis F. E. Novilunium 29. Martii, hora 2. veſpertina. Phaſe 31. Martii, hora 6. veſpertina. Plenilunium 14. Aprilis, poſt meridiem, Die Dominico, vel Lunæ.

Anno 33. Æræ vulgaris, & 78. Juliano Littera Dominicalis D. Novilunium 19. Martii, hora 1. poſt meridiem, minutis 30. Phaſe 20. Martii, hora ſexta veſpertina. Plenilunium 3. Aprilis, hora 5. veſpertina, minutis 50. die Veneris.

Anno 34. Æræ noſtræ, & 79. Juliano Littera Dominicalis C. Novilunium 9. Martii, hora 5. matutina, minutis 50. Phaſe 10. Martii, hora 6. veſpertina. Plenilunium 23. martii, hora 6. veſpertina, die Martis.

Anno 35. Æræ vulgatæ, & 80. Juliano Littera Dominicalis B. Novilunium Hieroſolymis 28. Martii, hora 6. matutina, minutis 4. Phaſe 29. Martii, hora 6. promeridiana. Plenilunium 11. Aprilis, hora 6. matutina, die Lunæ, vel Martis.

Anno 36. Æræ Chriſtianæ, & 81. Juliano Littera Dominicalis A. G. Novilunium Hieroſolymitanum die 6. Martii, hora 6. veſpertina, minutis 42. Phaſe 18. Martii, hora 6. veſpertina. Plenilunium 1. Aprilis, hora circiter 6. veſpertina, die Sabbati, vel Dominico.

V. Sapientes homines poſtremi hujus ævi, qui mortem Domini noſtri affinxerunt anno 33. Æræ communis, die 3. Aprilis, ſibi videntur magnam capere utilitatem ab hiſce Aſtronomicis ſupputationibus pro ſententia ſua ſtatuenda, atque aliorum oppugnanda, qui Redemtoris interitum ponunt aliquo ex ceteris ſeptem annis. Atque hoc pacto ratiocinantur. *

Annus Mortis Jeſu Chriſti ea nota affectus eſt, ut contigerit die Veneris, Luna 15. primi menſis. Atqui inter omnes annos totos a 29. Æræ communis uſque ad 36. nullus eſt, in quo Luna 15. Menſis Paſchalis acciderit die Veneris, niſi anno 33. Mortuus eſt igitur Chriſtus hoc anno, non autem 29. 30. 31. 32. 34. 35. 36.

Propoſitio extra controverſiam poſita eſſe videtur; quandoquidem innixa partim eſt Evangelio, docente, Chriſtum in Crucem actum Paraſceve Paſchæ, qui erat dies Veneris; Traditione Eccleſiæ conſtanti; atque unanimi Sapientum conſenſu, qui locant obitum Salvatoris Luna primi menſis decima quinta.

Aſſumtio nihilo evidens minus eſt; ſi namque oculos conjicias in octo annos, quos complectitur Tabula Fabri, liquido conſtabit tibi, nullum

* Autor Chronologiæ Sanctæ *cap.* 34. *Gall.* Alexander *tom.* 1. *Diſſ.* 2. *qu.* 3. *prop.* 2. Lamius *Tractatu de Paſchate* 1. *p. c.* 6. Savinus *Canon Temp. c.* 7. Calviſius *Iſagoge Chronologica c.* 49. Pagius, & alii.

eſſe,

eſſe, in quo Luna decimaquinta menſis Niſan concurrerit cum Feria ſexta, niſi anno 33. unde fit perſpicue, non poſſe commode ad aliud tempus rejici mortem Jeſu Chriſti.

Hæc argumentatio fulta Tabulis Aſtronomicis tam firma viſa eſt, ut plerique noſtrorum celeberrimorum Chronologiſtarum Redemptoris mortem ſtatuant die Veneris, tertia menſis Aprilis, anni 33. Æræ communis. In hunc cenſum venire poſſunt Rogerius Baconus, Paulus Brugenſis, Toſtatus, Lucidius, Scaligerus, Sethus Calviſius, Mulerus, Langius, Perrerius, Vecchiettus, Uſſerius, Patres Grandami, Labbæus, Ricciolus, quibus addere potes Autorem Chronologiæ Sanctæ, poſitæ in fine Bibliæ Vitræenſis, qui quidem maximam huic opinioni exiſtimationem peperit, Tillemontium, Lamium, Alexandrum, Savinum, Doctrinæ Chriſtianæ alumnum, Bailletum in Chronologia Sanctorum, alioſque multos, ut demum affirmare poſſimus, hanc eſſe ſententiam ſæculis hiſce maximopere pervagatam.

VI. Interim vero non crediderim, opinionem Scriptorum iſtorum magis ad veritatem accedere, quam placitum aliorum Chronologiſtarum, qui alio ex his ſeptem anno interitum Salvatoris contigiſſe putant. Hanc enunciationem duco: 1. ex mira diviſione Litteratorum, qui contendunt, Jeſum Chriſtum animam dediſſe 3. die menſis Aprilis anni 33. 2. ex Tabula Biſſextili, quam deinceps ſubjiciam.

VII. Primo exploratum eſt, inter Scriptores iſtos non convenire, num Luna decimaquinta menſis Paſchalis recenſenda ſit ab ejus conjunctione cum Sole, vel a primo Phaſe: quod continuo maxime diſcrepat inter ſe; decima nanque Luna menſis Niſan non potuit in alterutrorum ſententia occurrere die Veneris; cum neminem lateat, ſæpius uno die vel duobus diſtare invicem conjunctionem Lunæ cum Sole, & primum ejus Phaſe.

Secundum Tabulam Aſtronomicam Fabri anno 29. ex. gr. Æræ vulgatæ Novilunium incidit in diem 2. Aprilis, hora octava veſpertina, & minutis 38. nihilo tamen minus haud apparuit, ſive ejus Phaſe non contigit, niſi quarta die Aprilis, hora 6. veſpertina. Similiter anno 36. quamquam recens Luna extitiſſet 16. Martii, non tamen prodiit in conſpectum noſtrum ante diem 18. Ex quo fit, ſcripſiſſe Lamium, falli Paulum Mildeburgenſem, cum ait, Jeſum Chriſtum hoc anno obiiſſe die Veneris; quod videlicet non ſubducat calculum menſis a primo Phaſi Lunæ, ſed ab hujus cum Sole concurſu. Interim vero Lamius, & qui ab eo ſunt, decipiuntur ipſi quoque in ſententia illorum, qui menſem initium habere volunt a coitu Lunæ cum Sole, non vero a Phaſi.

Lamius Tract. de Paſch. 1. p. c. 5.

Tandem mira diſſenſio Eruditorum de anno, menſe, & die mortis Chri-

Chriſti, argumento validiſſimo ſunt, non poſſe Controverſias iſtas ex Aſtronomiæ luminibus confici. Poſtquam etenim ſcientiæ hujus Magiſtri accuratione ſumma Facta hæc hiſtorica meditati ſunt, parum adeo inter ſe conſentiunt, ut opiniones diſſimillimas propugnaverint de anno, menſe, & die Chriſti patientis: tametſi utrique jactent, ſe nihil omiſiſſe ejus, quod magis religioſe conquirit Aſtronomia *. Dicendum erit itaque, principia & Tabulas ſcientiæ hujus, quas tantopere hac in re magnificare ſolent, apta non eſſe ad eam diſſolvendam, vel non rite a Sapientibus noſtris adhiberi?

Cum etenim Aſtronomi omnes pro certo ponant, annum Mortis Jeſu Chriſti affici notis iſtis, ſcilicet accidiſſe die Veneris, Luna decimaquinta menſis primi; ſi Aſtronomicæ ratiocinationes aptæ eſſent ad duo hæc capita decidenda, qui fieri poſſet, eos hoc pacto non reperire unanimes, ex. gr. Jeſum Chriſtum mortuum fuiſſe 3. die menſis Aprilis, die Veneris, Luna decimaquinta menſis Paſchalis? Quamobrem, licet ex mente Scriptorum poſtremæ ſententiæ ab anno 29. Æræ vulgatæ uſque ad totum 35. Luna decimaquinta menſis Niſan non emerſerit die Veneris; niſi anno 33. tamen tot præclari Aſtronomi collocant interitum Jeſu Chriſti vel, anno 29. vel 30. vel 31. vel 32. vel 34. vel 35. Æræ communis.

Quam igitur poſt hæc rationem habebimus harum Demonſtrationum Mathematicarum, ut eas vocare placet Lamio, ſed quæ in rei ſumma nihil niſi purum putum ſophiſma ſunt? Si Jeſus Chriſtus, inquit Lamius, e vivis ſublatus eſt anno 33. Æræ communis, & ineundus ſit numerus dierum menſium Hebraicorum a Phaſi Lunæ, demonſtratione tunc Mathematica concluditur, 14. Menſis Paſchalis incidiſſe eo anno in diem Veneris. At vero qui contendunt, Jeſum Chriſtum deceſſiſſe eodem anno, & ſupputant dies menſis Niſan ab Lunæ concurſu cum Sole, efficere poterunt Demonſtrationem Mathematicam huic omnino repugnantem, nimirum 14. Lunam menſis Paſchalis fuiſſe diem Jovis, & Jeſum Chriſtum obiiſſe die Veneris, qui erat menſis decimusquintus. *Lam ibid. c. 6.*

Clarius itaque eſt luce meridiana, non poſſe nos Aſtronomicis & Chronologicis luminibus aſſequi accurate diem, menſem, & annum Mortis Chriſti, quandiu capita ſumma, e quibus pendent facultatum iſtarum calculi & ſupputationes, incerta erunt, atque ambigua.

VIII. Sed nonnihil Eruditis iſtis concedamus, ponamuſque cum eis, ut lubet, illos revera tenere annum Deſcriptionis, de qua loquitur S. Lucas; alium Nativitatis Jeſu Chriſti; & mortis Herodis; tum quoque

* Henſchenius profitetur, ſe vidiſſe 24. genera Tabularum Aſtronomicarum in Gallia, Germania, alibique pro ſtatuendo tempore Mortis Chriſti, atque haſce omnes invicem maxime differe paſſe. *Henſ. T. 3. Mart. ad diem 25. p. 540.*

quot

quot annos natus eſſet, cum baptizatus fuit; verbo, quodnam ſit verum initium Imperii Auguſti & Tiberii: ponamus etiam congruere inter ſe Aſtronomos & Chronologos omnes ſuper his, atque argumenta omnia, quæ ſtatuunt ſubſidio Chronologiæ & Aſtronomiæ in ſemetipſis inconcuſſa eſſe, & quod attinet ad nos concluſa & certa. Interea tamen propugnare poſſumus, non eſſe locum ex accuratiſſimis Aſtronomiæ documentis probandi, decimamquintam Lunam primi menſis, anni 33. Æræ communis contigiſſe die Veneris, & 3. menſis Aprilis.

Ut autem in perſpicuo lumine ſtatuamus pronunciatum noſtrum, opus eſt hoc loci collocare Tabulam omnium annorum Biſſextilium, qui interceſſerunt ab emendatione Calendarii, facta a Julio Cæſare, anno 708. ab Urbe condita, ad uſque annum 5. Julianum, quo Auguſtus anno 759. Romæ conditæ Biſſextos annos ad priſtinum ordinem revocavit. Majoris autem claritatis gratia ſubtexui annos Julianos, Olympiadum, Urbis conditæ, atque eos, quos Auguſtos vocant: denique Conſulum nomina unoquoque anno.

§. III.

Tabula annorum Biſſextorum, qua efficitur, Calculos Aſtronomicos non eſſe regulam tutam pro cognoſcendo anno Mortis Chriſti.

Vide Tabulam Tertiam. I. EX hac Tabula in promtu eſt demonſtrare, fruſtra Aſtronomos in eo enniti, ut ex rationibus ſuis reperiant menſem, diem menſis, atque hebdomadæ, quibus Redemtor noſter paſſus eſt. Ut decima quinta dies Lunæ Paſchalis anni 33. prodierit die Veneris, 3. menſis Aprilis, neceſſum erat, Cyclum Solis hujus anni fuiſſe 14. & Cyclum Lunæ 15. & Litteram Dominicalem D. Porro Chronologi nullum habuerunt Punctum certum & conſtans, quo tuerentur, anno Æræ noſtræ 33. Cyclum Solis fuiſſe 14. & Litteram Dominicalem D, & propterea ex Artis ſuæ doctrina non potuerunt apponere 15.am Lunæ Menſis Paſchalis anni 33. diei Veneris menſis Aprilis.

Prima harum trium Enunciationum extra controverſiam poſita eſt, quippe ſola probatio Scriptorum nobis adverſantium. Neque enim alia eis ſuppetit, ut probent, Mortem Jeſu Chriſti occurrere non potuiſſe altero ex his ſeptem annis a nobis memoratis; niſi diem 15. primi menſis non potuiſſe incidere in diem Veneris.

II. Omnis igitur difficultas pertinet ad ſecundam enunciationem, quæ in duas partes dividitur; in hoc nanque §. eam Cycli Solis ſupputationibus fulciam; in ſequenti eandem Solis & Lunæ ſimul connexis Cyclis roborabo. Nullum aliud extat punctum fixum, quod oſtendat, deci-

ma-

TABULA TERTIA. Pro pag. 17.

Annorum Urbis conditæ. exordiũ. a. d. X. Kalend. Maij. olimpiadum, à ſolſtitio æſtivo Julianorum ab ineunte Januario, Auguſtanorum ab Idibus Mart., quibus Cœſar Interfectus eſt.

Anni Juliani	Olimpiades	Anni Urbis	CONSULES	Anni Auguſti	Biſſexta, ut obſervari debebant	Biſſexta ex errore Sacerdotum.
		707.	*Q. Calenus. P. Vatinius.*			
		708.	*C. Julius Cæſar* III. *M. Æmilius Lepidus.*			
1.		709.	*C. Julius Cæſar* IV. *Sine collega.*			
2.	184.	710.	*C. Julius Cæſar* V. *M. Antonius.*	1.		
3.		711.	*C. Vibius Panſa. A. Hirtius.*	2.	B.	B.
4.		712.	*M. Æmilius Lepidus* II. *L. Munatius Plancus.*	3.		
5.		713.	*L. Antonius. P. Servilius Iſauricus.*	4.		
6.	185.	714.	*Cn. Domitius Calvinus. C. Aſinius Pollio.*	5.		2. B.
7.		715.	*L. Martius Cenſorinus. C. Calviſius Sabinus.*	6.	B.	
8.		716.	*Ap. Claudius Pulcher. C. Norbanus Flaccus.*	7.		
9.		717.	*M. Agrippa. L. Caninius Gallus.*	8.		3. B.
10.	186.	718.	*L. Gellius Publicola. M. Cocceius Nerva.*	9.		
11.		719.	*L. Cornificius. Sex. Pompeius.*	10.	B.	
12.		720.	*M. Antonius* II. *L. Scribonius Libo.*	11.		4. B.
13.		721.	*C. Cæſar Octavianus* II. *L. Volcatius Tullus.*	12.		
14.	187.	722.	*Cn. Domitius Ahenobarb. C. Soſius Nepos.*	13.		
15.		723.	*C. Cæſar. Octavianus* III. *M. Valerius Meſſala.*	14.	B.	5. B.
16.		724.	*C. Cæſar Octavianus* IV. *M. Licinius Craſſus.*	15.		
17.		725.	*C. Cæſar Octavianus* V. *Sex. Apuleius Nepos.*	16.		
18.	188.	726.	*Imp. Cæſar Octav.* VI. *M. Agrippa II.*	17.		6. B.
19.		727.	*Imp. Cæſar Octav.* VII. *M. Agrippa* III.	18.	B.	
20.		728.	*Imp. Cæſar Auguſtus* VIII. *T. Statilius. Taurus* II.	19		
21.		729.	*Imp. Cæſar Auguſt.* IX. *M. Junius Silanus.*	20.		7. B.
22.	189.	730.	*Imp. Cæſar Auguſt.* X. *C. Normanus Flaccus.*	21.		
23.		731.	*Imp. Cæſar Auguſt.* XI. *Cn. Calpurnius Piſo.*	22.	B-	

Hoc anno intercalari cœpit, ut vult Baronius, non ſequente, qui quartus erat ab emendatione, propter quadrantem diei, de quo Solinus.

Cenſorino. & gallo coſſ. Auguſtus annum correxit, & Sextilem Auguſtum appelavit Cenſor. Suet. 32. Annus Chriſti natalis.

24.		732.	M. Claudius Marcellus. L. Arruntius.	23.		8. B.
25.		733.	M. Lollius. Q. Æmilius lepidus.	24.		
26.	190.	734.	M. Apulejus. P. Silius Nerva.	25.		
27.		735.	C. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Veſpillo.	26.	B.	9. B.
28.		736.	P. Lentulus Marcellinus. Cn. Cornelius Lentulus.	27.		
29.		737.	C. Furnius. C. Junius Silanus.	28.		
30.	191.	738.	L. Domitius. P. Cornelius Scipio.	29.		10. B.
31.		739.	M. Livius Druſus Libo. L. Calpurnius Piſo.	30.	B.	
32.		740.	Cn. Lentulus. M. Licinius Craſſus.	31.		
33.		741.	Ti. Claudius Nero. P. Quinctilius Varus.	32.		11. B.
34.	192.	742.	M. Valerius Meſſala. P. Sulpitius Quirinus.	33.		
35.		743.	Paulus Fabius. Q. Ælius Tubero.	34.	B.	
36.		744.	Julius Antonius. Q. Fabius Maximus.	35.		12. B.
37.		745.	Nero Claudius Druſus. T. Quintius Criſpinus.	36.		
38.	193.	746.	C. Martius Cenſorinus. C. Aſinius Gallus.	37.		
39.		747.	T. Claudius Ner. II. Cn. Calpurnius Piſo. II.	38.		1.
40.		748.	D. Lalius Balbus. C. Antiſtius Vetus.	39.		2.
41.		749.	Imp. Cæſar Auguſtus XII. L. Cornelius Sulla.	40.		3.
42.	194.	750.	C. Calviſius Sabinus. L. Paſſienus Rufinus.	41.		4.
43.		751.	L. Lentulus. M. Meſſalinus.	42.		5.
44.		752.	Imp. Cæſar Auguſtus. XIII. M. Plautius Silvanus.	43.		6.
45.		753.	Coſſus Cornelius Lentulus. L. Calpurnius Piſo Augur.	44.		7.
46.	195.	754.	Imp. Cæſar Auguſtus XIV. L. Æmilius Paulus.	45.		8.
47.		755.	P. Vinicius Nepos. P. Alfinius Varus.	46.		9.
48.		756.	L. Ælius Lamia. M. Servilius Geminus.	47.		10.
49.		757.	Sex. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus.	48.		11.
50.	196.	758.	L. Valerius Meſſala. Cn. Cornelius Cinna.	49.		12.
51.		759.	M. Æmilius Lepidus. L. Arruntius Nepos.	50.	B.	*

Hic annus 36. ab Hirtio & Panſa Coſſ. Sive à primo Biſſexto, quo temporis ſpatio anni 12. à Sacerdotibus intercalati, cùm novem tantum debuerint. Ideo Auguſtus, ut tres dies reſecaret, duodecim anno ſine intercalatione tranſigi juſſit. Anni duodecim ſine biſſextis Auguſti juſſu tranſacti. * Hoc anno Biſſextum Reſumptum eſt, primumque omnium legitime obſervatum, & in inde cætera ad noſtram ætatem.

mamquintam Lunam primi menſis anni 33. fuiſſe diem Veneris, & tertiam menſis Aprilis, niſi Cyclus Solis, affixus anno 33. Atqui Cyclus Solis hujus anni, qui erat 14. & Littera Dominicalis D. non potuerunt dirigi, niſi a primo Biſſexto poſt emendationem Calendarii juſſu Julii Cæſaris. Porro annus hujus primi Biſſexti incertiſſimus eſt, ut pote ab Aſtronomis ad varios annos relatus.

Petavius, Calviſius, Pagius, atque omnes fere Litterati Viri, qui Mortem Domini noſtri collocant anno 33. Æræ noſtræ, ponunt item primum annum intercalarem primo anno Juliano, Julio Cæſare IV. & Lepido Conſulibus. Baronius, Cointius, Chriſtmanus, aliique multi ſuſtinent, ſtatuendum eſſe primum annum Biſſextilem anno 3. Juliano ſub Conſulatu Vibii Panſæ atque Hircii. Scaliger, Savinus, & non pauci credunt, opus eſſe Biſſextum primum affingere anno quarto Juliano, Æmilio Lepido, & Munatio Planco Conſulibus. Alii demum illum faciunt eundem eum anno 5. Juliano.

III. Quæ diverſæ opiniones incertiſſimas efficiunt Aſtronomicas ſupputationes, & hujuſmodi, ut nihil in eis momenti jacere poſſimus, donec primum punctum ratum & firmum fluctuabit. Non inficior, poſito cum Petavio, aliiſque, primum Biſſextum annum concurriſſe cum anno, qui habebat 21. Cycli Solis, & C B. pro Littera Dominicali, conſtare, annum 33. Æræ vulgatæ habuiſſe D. pro Littera Dominicali, & 14. Cycli Solis; atque hinc facile conſequi, Lunam 15. Paſchalem ejuſdem anni fuiſſe diem Veneris, & tertiam menſis Aprilis.

At vero ſi ex. gr. figatur primus Biſſextus annus cum Baronio 3. Anno Juliano, quidquid hactenus dedimus, tum evertitur. Hac nanque poſitione primus Biſſextus debuiſſet habere 23. pro Cyclo Solis, & G. pro Littera Dominicali; atque adeo annus 35. Æræ Chriſtianæ, Cyclus Solis, & Littera Dominicalis in maxima eſſent perturbatione. Littera D. non reſponderet 14. Cycli Solis, ſed Littera B. quæ conjungitur 16. Cycli Solis; proindeque Plenilunium menſis Niſan non potuiſſet incidere in diem Veneris, 3. menſis Aprilis, ſed in diem Sabbati, vel Dominicum, 9. aut 10. menſis ejuſdem Aprilis. Non eſt itaque cur concludamus ſecundum accuratas Aſtronomiæ leges, Jeſum Chriſtum occubuiſſe decimaquinta menſis Paſchalis, die Veneris, 3. menſis Aprilis, niſi pro certo habeamus illud, quod incertiſſimum eſt, nimirum primum annum Julianum fuiſſe Biſſextilem, Cyclum Solis 21. Lunæ 14. & Litteram Dominicalem C B.

IV. Licet autem Sapientibus noſtris daremus ultro, primo anno Juliano Cyclum Solis fuiſſe 21. cui reſpondet annus Biſſextus, indicatus Litteris Dominicalibus C B; nunquid non poſſemus tueri, Annum hunc

minime fuiſſe Biſſextilem? Annus Julianus continet dies 365. atque horas ſex, quæ poſt quatuor annos diem integrum conſtituunt, qui additur menſi Februarii, hicque annus vocatur Biſſextus, propterea quod bis diceretur *ſexto Kalendas*. Non ſunt itaque ponendi anni Intercalares, niſi quarto quoque anno, in quorum ſingulis ſex horæ ſucreverunt 365. diebus. Porro id accidere non potuit primo anno Juliano; annus namque, qui dictus fuit annus Perturbationis, & 708. ab Urbe condita, Julio Cæſare III. & Marco Æmilio Lepido Conſulibus, conſtititque diebus 445. annus, inquam, hic Perturbationis proxime præceſſit annum primum Julianum, atque hoc anno Julius Cæſar Calendarium emendavit, gerens III. Conſulatum cum M. Æmilio Lepido. *

Quare licet poneremus, in anno Confuſionis, qui primo anno Juliano anteceſſit, ſuperfuiſſe ſex horas, id ſatis non eſſet, ut inſequens annus, nimirum primus Julianus, in Biſſextum evaderet. Neque item dicere poſſumus, Biſſextum hunc compoſitum fuiſſe ex horis ſex, quater repetitis, quæ illum præceſſiſſent: quandoquidem anno Confuſionis Julius Cæſar intercalavit menſes omnes, dies, immo ſex etiam horas, quæ forte ex annis antecedentibus ſuperfuiſſent. *Factum eſt*, inquit Macrobius, *ut annus confuſionis ultimus in quadringentos quadraginta quinque dies protenderetur*. *Cæſar*, ſubjungit Suetonius, *inter Novembrem & Decembrem menſem interiecit duos alios, fuitque is annus, quo hac conſtituebantur, quindecim menſium cum Intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat, & etiam quadrantem ſimul intercalavit*. Quæ verba ſatis monent, poſt annum Confuſionis minime fuiſſe ſex horas, quæ interſerendæ eſſent, quia idem ille annus futurus erat Biſſextus, ut animadvertit Suetonius; adeoque annus proxime inſequens poſt Emendationem Calendarii, qui primus Julianus fuit, Biſſextus eſſe non potuit.

Macrob. l. 1. c. 14.

In Julio c. 40.

V. Hæc autem argumentatio nihil conficit minus, Baronium, Cointium, & ſectatores eorum non debuiſſe 3. annum Julianum Intercalarem nuncupare; id enim proferunt ſine teſte, immo adverſus apertum Sue-

* Poſſumus referre in Romulum Urbis Romæ conditorem originem primam perturbationis hujus, quæ Calendarium invertit. Initio annum compoſuit ex decem duntaxat menſibus, ex quibus edebantur dies 304. Numa Pompilius, ejus ſucceſſor, ad normam Græcorum exegit annum, ſcilicet ad 12. Menſes Lunares, conſtantes 30. & 29. diebus ſibi ſuccedentibus, quo emergebant dies 354. at Numa numeri imparis amator annum ad 355. redegit. Uſus pariter eſt intercalatione Græcorum, qui altero quoque anno addebant menſem extra numerum, qui alternatim coaleſcebat ex 22. vel 23. diebus, ut annum civilem ad Solis curſum moderarentur: Sed Summi Pontifices, quorum erat indicare modum interpoſitionis hujus menſis, res adeo miſcuerunt, ut verno tempore Feſta Autumnalia celebrarentur, & Feſta Meſſis ſumma hyeme. Quæ perturbatio duravit uſque ad Inſtaurationem Calendarii, ab Julio Cæſare peractam.

tonii

tonii teſtimonium, videlicet ſuperfuiſſe ſex horas ex anno Confuſionis, quæ adjunctæ horis ſecundi anni Juliani, Biſſextum annum tertium conficiebant. Atqui quamvis ipſis concederemus, reliquas fuiſſe ex anno Confuſionis ſex horas, quas interponere oportuiſſet, quod reipſa non eſt, cum annus ille foret Biſſextilis; adhuc non erat 3. annus Julianus, ſed tantum quartus intercalandus.

Immo ne quidem quartus; quoniam ab anno primo Juliano ad quartum, tres anni duntaxat intercedunt. Cum autem neceſſum eſſet intercalare diem compoſitum ex horis ſex, quater repetitis, id fieri non poterat niſi poſt quatuor annos expletos, non vero tantum incæptos. Atque id in cauſſa fuit, referente Macrobio, cur Sacerdotes Calendarium ſus deque verterint; intercalarunt etenim initio quarti anni, cum intercalandum fuiſſet initio quinti.

VI. Sed aliæ quoque nos urgent difficultates, quas ut perſpicua ratione deſcribamus, meminiſſe juvabit, Julium Cæſarem, emendato Calendario, caviſſe, ut poſt quartum annum dies interponeretur; quod videlicet annus Julianus 365. dies, & ſex horas comprehenderet, ex quibus conflandus dies erat, ut annus Civilis curſui Solis accommodaretur. Porro Sacerdotes loco anni quarti tertium intercalarunt; qui error 36. annos proceſſit, adeoque pro novem, duodecim Biſſexti numerati ſunt, annuſque tres dies exceſſerat. Anno vero 38. Juliano, Martio Cenſorino & Aſinio Gallo Conſulibus, Auguſtus errorem deprehendit; juſſitque, duodecim inſequentibus annis ne ulla fieret interpoſitio, ut tres dies reſarciret, qui Sacerdotum vitio elapſi fuerant.

Poſt hanc igitur admonitionem fateri fide ingenua neceſſe eſt, quoquo demum te vertas, undequaque confuſionem eſſe in Cyclis Solis, & Litteris Dominicalibus tempore 36. annorum, emendationem Calendarii conſequentium; & duodecim aliorum, qui ſine intercalatione fluxerunt.

1. Quandiu Biſſexta facta ſunt tertio quoque anno, ſatis apparet tum poſuiſſe illos duas Litteras Dominicales; ut tandem poſt 36. annos Litteræ Dominicales non amplius Cyclis Solaribus reſponderint. Si Cycli Solis ſibi viciſſim ſucceſſerunt, tum referri debebat ad annum quintum primi Cycli; & poſito Sacerdotum errore, C. B. reſpondit quarto Cyclo Solis, & A. quinto. Propterea inverſio Litterarum Dominicalium proceſſit ſemper ad annum 36. quo compertum de illa fuit. Liquet enim per ſeſe, intercalando duodecim pro novem vicibus, Litteras Dominicales Cyclis Solaribus non amplius reſpondiſſe.

2. Quamquam tempore duodecim annorum, in quibus abſtinuerunt ab interpoſitione ex Auguſti Decreto, reſtituerint tres dies, perperam

intercalatos; error tamen Cyclorum & Litterarum Dominicalium non modo ſublatus non fuit, ſed crevit magis. Si nanque duodecim annorum iſtorum ſpatio nullum Biſſextum poſuerunt, neceſſe etiam non fuit notare duas Litteras Dominicales quarto quoque anno. Atqui, cum Cyclus Solis ſignet duas Litteras Dominicales ſingulis Biſſextis, fatendum erit Cyclos Solis, Litteraſque Dominicales non minus confuſas fuiſſe duodecim annis haud intercalatis, quam triginta ſex, tribus Biſſextis redundantibus.

VII. Quæ cum ita ſint, interrogo Aſtronomos noſtros, quo puncto fixo aſſecuti ſint, anno 33. Æræ noſtræ decimamquintam Lunæ contigiſſe 3. die menſis Aprilis; quæ Feria ſexta eſſet? Reſpondebunt ſine ulla dubitatione, eo anno Cyclum Solis fuiſſe 14. & Litteram Dominicalem D. At cur, cedo, anno 33. Æræ communis apponunt pro Cyclo Solis 14. & pro Littera Dominicali D? Quia revera, inquient, aſcendentibus ab anno 33. uſque ad primum Julianum, Cycli Solis, & rectus Litterarum Dominicalium ordo occurrunt ſine ulla intermiſſione.

Hoc plane pacto Chronologi direxerunt Biſſexta, & ſpatio cum 36. annorum, a Sacerdotibus viciatorum, tum duodecim inſequentium, quibus error ſublatus eſt, rite atque ordine collocarunt Cyclos Solis, Litteraſque Dominicales, ut ab anno primo collocandæ erant uſque ad mortem Chriſti; non habita ratione trium dierum, a Sacerdotibus plus æquo interpoſitorum, vel duodecim annorum, quibus nulla habita eſt interpoſitio. Quamobrem, reponent Litterati Viri noſtri, anno 33. Cyclus Solis, & Littera Dominicalis in legitima ſua ſede fuerunt.

VIII. Hoc tamen reſponſum oſtendit quidem ordinem, quem tenere debebant Cycli Solis & Litteræ Dominicales, niſi error in Biſſextilium annorum poſitione irrepſiſſet; non tamen evincere poteſt, res hoc modo ſe habuiſſe. Verum eſt, Petavium, Pagium, Calviſium, alioſque Chronologos diſpoſuiſſe Cyclos Solis Litteraſque Dominicales eo ordine, quem habere debebant, atque habuiſſent citra errorem Sacerdotum; atque Aſtronomos exiſtimaſſe, ſe rite agere, ubi normam Cyclorum Solis, & Litterarum Dominicalium anni 33. acceperunt ab aliis Cyclis Litteriſque, locatis ea ratione, quæ ipſis ineſſe debebat ab anno primo Juliano. Sed cum diverſo plane modo res contigerint, Aſtronomis fas non fuit, aſſumere in punctum fixum Biſſextilem primum annum ab emendatione Calendarii, citra quam aperte laberentur.

IX. Cur etenim Calendarium turbatum fuerit 36. annis quibus intercalati ſunt dies duodecim pro novem, & duodecim annis carentibus intercalatione; licitum non fuit Chronologis & Aſtronomis moderari Cyclos & Litteras Dominicales pro libito ſuo, quin fateri cogantur, ſe non

po-

potuiſse ſtatuere ex puncto aliquo certo, decimamquintam Lunam primi menſis incidiſse anno 33. Æræ Chriſtianæ in diem Veneris, 3. menſis Aprilis. Quod ſi dicant, ſe propterea affinxiſse mortem Jeſu Chriſti huic citius anno, menſi, & diei, quam aliis, quod ſcilicet putaverint, jus eſse ſibi, ita ſe gerere ex lege uſitata Chronologis, ut Calendarium inſtaurarent; ſibi conſtantem redderent; & certas regulas haberent Epocharum inveniendarum, atque ineundi rationes neceſsarias, ne hiſtorica Facta multo magis involverent: etſi minime improbem hanc agendi rationem, omnino neceſsariam; illud tamen verum ſemper erit, fundamenta, quibus ſententiam ſuam ædificaverunt, arbitraria fuiſse; ipſoſque mortem Domini noſtri deſignaſse eo tempore, quo eſse potuit, non eo, quo revera fuit.

X. Supereſt autem adhuc expendere opinionem Baronii, Cointii, & Savinii, nec non aliorum multorum, queis placet, Jeſum Chriſtum in lucem editum anno quodam Biſſextili, qui alius non potuit eſſe, inquiunt, niſi 43. Julianus, Cornelio Lentulo, & Valerio Meſſaliano Conſulibus. Sententiam ſuam confirmant ex Biſſexto primo, quod per illos occurrit anno 3. Juliano. Audi qui id probent. Solinus teſtatur, Julium Cæſarem reſervaſſe ab anno Confuſionis horas ſex, quæ cum non poſſent in diem deſinere, additæ ſunt aliis ſex horis, quæ ſuperfuerunt tribus inſequentibus annis: ut demum quater repetitæ ſex horæ diem conſtituerint, qui 3. anno Juliano intercalatus fuit, atque adeo hic Biſſextus dictus eſt. *Ex quadrante illo*, inquit Cointius, *& tribus aliis ſequentium trium annorum dies exurgeret, qui tum demum per Biſſextum intercalaretur.* *Annal. Franc. Tomo 1. ad annum 464. pag. 94.*

Videntur Autores iſti non diſtinxiſſe propriam Jeſu Chriſti Nativitatem ab ea, quæ Dionyſiana, vel communis ſive vulgata appellatur. Prima eſt ea, quæ cuique Scriptori probabilior viſa fuit; ſecunda illa, que placuit Dionyſio exiguo, & poſt ipſum Eccleſiæ. Hic alter ortus addicitur 45. anno Juliano, qui primus eſt Æræ Chriſtianæ. Prima vero Nativitas conficere non potuit Æram peculiarem: alias tot eſſent Æræ Chriſtianæ, quot ſunt de anno Nativitatis Chriſti ſententiæ diſſentientes.

Quæ animadverſio nos efficit certiores, primum annum Æræ communis, qui reſpondet 45. Juliano, Biſſextilem fuiſſe; id tamen referre non poſſumus ad Jeſu Chriſti Nativitatem, quæ propria dicitur; cum ignoremus, quo reipſa anno Salvator natus ſit. Præterea *incertum eſt*, ex Petavio, *quoto Julianæ editionis anno primus Biſſextus inciderit*. Nos etenim latet, an voluerit Julius Cæſar, primum Biſſextum futurum quarto anno Juliano, qui quintus fuit ab anno Confuſionis; ſimiliter, an *Petav. de doctrina Temp. l. 4. c. 2.*

hic

hic Confuſionis annus Biſſextus fuerit, ut 8. 12. & ceteri quoque Biſſextiles eſſent, vel, an primus Julianus fuerit intercalaris, & deinde 5. 9. 13. &c.

Neque item magis certum eſt, nonne ponendus ſit annus primus Biſſextus tertio Juliano: illud ſaltem liquet, poni non poſſe, ut ſibi viſi ſunt Baronius, & Cointius, ex verbis Solini dicentis: Julium Cæſarem reſervaſſe ab anno Confuſionis ſex horas intercalandas. Sive etenim ſex horæ iſtæ ſervatæ ſunt, ut intercalarentur, ineunte anno Confuſionis, ſive exeunte, ſive ſub initium anni primi Juliani. Dicere non poſſunt, ſervatas fuiſſe ineunte anno Confuſionis; quandoquidem ſi annus hic Biſſextus eſſe debebat, ut ſcribit Suetonius, tum ſex illæ horæ contulerunt ad Biſſextum perficiendum, adeoque detractæ non ſunt, ut adderentur ſex horis duorum priorum annorum Julianorum. Deinde ſine ulla ratione tradit Solinus, Julium Cæſarem haſce horas ſex reſervaſſe; non ſit enim credibile, ipſum anno Confuſionis multos non modo dies, ſed menſes etiam interpoſuiſſe, ſex autem horas reliquiſſe.

Quod ſi ſex horæ iſtæ intercalandæ pertineant ad finem anni Confuſionis, vel initium primi anni Juliani; tum Biſſextus neceſſario evaſiſſet annus 4. Julianus, non vero 3. ut putant Baronius, & Cointius. Ab exitu ſiquidem anni Confuſionis ad exordium anni 3. Juliani, ter tantum repetuntur ſex horæ, nec diem integrum efficere poſſunt. Quare ex ipſo Autorum iſtorum calculo, opus fuiſſet præſtolari 4. annum Julianum, ut Biſſextus primus ſuccreſceret.

§. IV.

Tabula pro inveniendis Cyclis Solis, & Lunæ, & Feſto Paſchatis ſecundum vetus Calendarium.

Vide Tabulam quartam.

I. IN ſuperiore parte Tabulæ hujus, quæ dicitur Cyclus Dionyſii Exigui, apparent ſtatim Termini Paſchales; deinde Litteræ, reſpondentes in Calendario his menſis diebus; poſt hæc Numerus aureus, vel Cyclus Lunæ. A latere, deſcendendo, Litteræ Dominicales, & Biſſexta, quæ ſunt e regione annorum Cycli Solaris. Tabula hæc uſum habet in inveniendis Menſibus, & diebus Menſium, quibus Paſcha celebratum eſt, vel celebrandum erat. Continuo oportet tenere annum Numeri aurei, vel Cycli Lunæ, & Cycli Solis, qui reſpondent anno perquiſito: Angulus vero communis, cui occurrunt hi duo Cycli, indicat menſem & diem menſis, quo fuit Paſcha, vel eſſe debebat.

Ambr. Ep. ad Epiſcop. Æmiliæ.

Exempli gratia D. Ambroſius ſcribit, anno LXXVI. Diocletiani, qui eſt

.

I.	IX.	XXIX.	XVII.
t.	Apr.	Mart.	Apr.
	A.	D.	B.
I.	XVII.	XVIII.	XIX.
	a. 14	m. 31	a. 21
	a. 13	m. 30	a. 20
	a. 12	a. 5	a. 19
	a. 11	a. 4	a. 18
	a. 16	a. 2	a. 23
	a. 15	a. 1	a. 22
	a. 14	m. 31	a. 21
	a. 13	m. 30	a. 20
	a. 11	a. 4	a. 18
	a. 10	a. 3	a. 24
	a. 16	a. 2	a. 23
	a. 15	a. 1	a. 22
	a. 13	m. 30	a. 20
	a. 12	a. 5	a. 19
	a. 11	a. 4	a. 18
	a. 10	a. 3	a. 24
	a. 15	a. 1	a. 22
	a. 14	m. 31	a. 21
	a. 13	m. 30	a. 20
	a. 12	a. 5	a. 19
	a. 10	a. 3	a. 24
	a. 16	a. 2	a. 23
	a. 15	a. 1	a. 22
	a. 14	m. 31	a. 21
	a. 12	a. 5	a. 19
	a. 11	a. 4	a. 18
	a. 10	a. 3	a. 24
	a. 16	a. 2	a. 23

eſt Jeſu Chriſti CCCLX. Paſcha celebratum fuiſſe die XXIII. menſis Aprilis. Eo anno Cyclus Lunæ erat XIX. & Solis V. In Tabula itaque requiratur Angulus communis ſuis duobus Cyclis, atque emerget XXIII. Aprilis.

II. Quo animadverſo, tria alia conſidera. Primum eſt, Chronologos attendere ad annos Julianos, tanquam ad Punctum fixum ratiocinationum ſuarum, non modo quod eſt temporum, quæ fluxerunt ab emendatione Calendarii deinceps, ſed ab eo etiam anno, ad Mundi creationem aſcendentes. Qua de re Petavius annos Julianos appellat Normam Temporum & Hiſtoriæ: *Hic igitur eſt Chronologiæ Canon, ac norma temporum, ad quam omnis hiſtoria dirigitur.* *Petav. de doctr. temp. lib. 7. c. 2.*

Secundum eſt, Chronologos, ne tempora perturbarent, quibus hiſtorica Facta contigerunt, cuique anno Juliano notas quaſdam appinxiſſe, quæ ſimul junctæ, alteri anno accommodari nequeunt, niſi poſt longam ſæculorum conſecutionem. Inter has notas præcipuæ ſunt Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis.

In mentem pariter veniat, a primis Eccleſiæ ſæculis Concilia, & Præſules, ſollicitos de æquabilitate celebrandi Feſta Paſchalia, quaſdam Leges generales condidiſſe, quæ vim habent in curſibus Solis & Lunæ. Prima fuit, non eſſe celebrandum Paſcha ante Æquinoctium Menſis Martii: Secunda, fore illum ſemper diem Dominicum: denique Solemnitatem traducendam eſſe ad diem Dominicum, qui conſequitur Lunam decimamquartam primi Menſis. Porro de his omnibus certiores eſſe non poterimus ſine ſubſidio Cyclorum Solis, & Lunæ.

Denique Lector meminerit, quæſo, me non inficiari, ex Tabulis Aſtronomicis cognoſci poſſe Novilunia & Plenilunia; ſed hic agi tantum de menſe, die menſis, atque de hebdomada, qua incidit Luna 15. menſis Paſchalis: nimirum affirmare me, hæc non poſſe reperiri per Cyclos Solis & Lunæ.

III. Interea non eſt multi operis oſtendere, Autores cenſentes, Jeſum Chriſtum vita ceſſiſſe anno 33. Æræ communis, Luna decimaquinta menſis Niſan, die 3. menſis Aprilis, quæ Feria ſexta erat, hæc omnia ſtatuere non potuiſſe ex luminibus Chronologiæ atque Aſtronomiæ: quod idem intelligendum eſt de opinione illorum, qui mortem Salvatoris ad alios annos retulerunt.

Ut anno 33. decimaquinta menſis Paſchalis occurreret die Veneris, 3. menſis Aprilis, oportuiſſet, Reſurrectionem Jeſu Chriſti eo anno adveniſſe die Dominico, 5. Aprilis. Hoc autem eſt, quod Chronologiæ atque Aſtronomiæ principiis aſſequi non potuerunt: qui nanque facultates iſtas profitentur, his datum non eſt ſtatuere ope ſupputationum ſuarum

Fe-

Feſtum Paſchatis anni 33. decimamquintam menſis Niſan, & 5. Aprilis; niſi pro certo habentes, eo anno adſcribendum fuiſſe 15. Cyclo Lunæ, 14. Cyclo Solis, & D. pro Littera Dominicali. Nullum tamen ſolidum momentum eſt, quo tres haſce notas anno 33. Æræ communis apponamus. Neque enim ſtatuere poſſumus niſi quatuor Puncta firma, vel quatuor Epochas: nimirum Epocham Orbis conditi; Epocham Periodi Julianæ; Epocham Emendationis Calendarii, a Julio Cæſare peractæ; atque illam, quam Æram communem appellant; e quibus inire poſſimus rationem Cyclorum Solis, & Lunæ, qua ducta ad annum uſque 33. emerſerit pro Cyclo Lunæ 15. Solis 14. cui reſponderit Littera Dominicalis D.

IV. Non vacat probare, eos, qui pronunciarent, incipiendos eſſe Cyclos Solis & Lunæ primo anno Orbis conditi, non poſſe illos producere ad Mortem uſque Jeſu Chriſti: cum nemo dubitet, numerum annorum, qui interceſſerunt inter utroſque terminos iſtos, incertiſſimos eſſe; adeoque nullam viam & rationem ſupereſſe, inde continuandi ordine ſuo Cyclos Solis & Lunæ.

Convenit, Chronologos adjungere primo anno Periodi Julianæ primum quoque annum Cyclorum Solis, Lunæ, & Indictionis. Atqui cum hæc temporum diſpoſitio maxime æquabilis ſit, & tres hi Cycli in ſingulos annos procedant, citra dubitationem omnem ex hac Periodo, & ratione, qua ab Autoribus digeſta eſt, anno 33. Æræ communis numerandus fuiſſet 15. Cyclus Lunæ, 14. Cyclus Solis, & D. pro Littera Dominicali collocanda.

Quibus poſitis, non ambigo, neceſſum fore, ſi Periodus Juliana non eſſet Epocha arbitraria; ſi Chronologi eam haud excogitaſſent, ne oriretur confuſio de celeberrimorum Factorum tempore, eamque Puncto aliquo firmo ſtatuiſſent; neceſſum, inquam, fore, confiteri, ſecundum ratiocinationem, ex hac Periodo confectam, anno 33. Æræ noſtræ Chriſtum obiiſſe, die Veneris, decimaquinta Lunæ Paſchalis, & 3. menſis Aprilis; quoniam 14. Cycli Solis, 15. Cycli Lunæ, & Littera Dominicalis D. ſigna propria ſunt anni Periodi Julianæ, qui anno 33. Æræ communis reſpondet.

V. Verum enim vero longe aliter admodum ſe res habuit: primo nanque Periodus Juliana inventum eſt recentius ſæculis multis, ac Mors Chriſti; & Scaliger, qui eam a Græcis mutuavit, ante alios ad annos Julianos, Latinorumque ſupputationem addixit.

Deinde Periodus Juliana, quæ complectitur tres Cyclos Solis, Lunæ, atque Indictionis, videlicet numeros 28. 19. & 15. inter ſe multiplicatos; hæc Periodus, inquam, alia non eſt ab ea 532. annorum Victorii;

rii, inſtaurata a Dionyſio Exiguo; quandoquidem poſtrema hæc Periodus, quindecies ducta, edit 7980., qui eſt numerus Periodi Julianæ.

Tertio Scaliger nullo alio argumento motus eſt, ut annum 4714. Periodi Julianæ adjungeret 46. anno Juliano, C. Julio Cæſare & Æmilio Paulo Conſulibus, & primo anno Æræ communis: cui erat 10. pro Cyclo Solis, 2. pro Cyclo Lunæ, 4. pro Cyclo Indictionis, & B. pro Littera Dominicali; Chronologus, inquam, hic nullo alio argumento motus eſt, ut res ita diſponeret, niſi quia id congruebat conſilio ſuo, atque ut ſe vulgato uſui accommodaret, qui notat primum annum Æræ noſtræ 10. Cycli Solis, 2. Cycli Lunæ, & Littera Dominicali B.

Denique licebat Scaligero, collocare annum hunc 4714. Periodi Julianæ ſub alio anno, qui primum Æræ communis vel præceſſiſſet, vel conſecutus fuiſſet: atque adeo Cycli Solis, & Lunæ, & Littera Dominicalis illius anni 4714. Periodi Julianæ tum non reſpondiſſent anno primo Æræ noſtræ, neque ejus Cyclis, neque Litteræ Dominicali; nec non notæ annorum, Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis alium ordinem haberent diſſimillimum ejus, quem modo habent, non modo a Nativitate Chriſti ad nos, ſed ab Æra quoque noſtra ad Creationem Mundi.

VI. Ecce itaque Periodus hæc Juliana, quæ tantopere jactatur, ſed leviſſimum, immo nullius frugis ſubſidium eſt ad germanum Mortis Redemptoris annum cognoſcendum. Novi equidem, magnas illam opportunitates afferre Chronologiæ, uſumque ipſius prodeſſe plurimum, uti animadvertunt Autor Chronologiæ Sanctæ, Calviſius, Petavius, Pagius, aliique bene multi. At nemo poterit, Periodi hujus celebris adjumento, probare, Jeſum Chriſtum paſſum fuiſſe anno 33. Æræ noſtræ, die Veneris, 15.a menſis Paſchalis Luna, & 3. menſis Aprilis, niſi pro libito accommodatis annis Periodi Julianæ aliis Æræ noſtræ: unde diſceremus, Periodi hujus habita ratione, Servatorem Noſtrum in Crucem elatum eò anno, menſe, & die; non vero certi efficeremur, ipſum reipſa eodem anno, menſe; & die Mortem ſubiiſſe. Ut etenim in Tabula videre eſt, ſi unus duntaxat de loco moveatur Cyclus, verum Paſchatis Feſtum ad alium diem migrabit neceſſario; cum Cycli Solis, Lunæ, & Litteræ Dominicales invicem non amplius reſponſuri ſint.

VII. Satis erit vel tantiſper attendere ad notas primi anni Juliani, ut convincamur, non potuiſſe Chronologos ponere initium Cyclorum Solis, & Lunæ anno primo Emendationis Calendarii, edictæ a Julio Cæſare: non tantum, quia nemo id adhuc protulerat, & revera annus hic habet XI. Cyclum Solis, 14. Cyclum Lunæ, & C.B. pro Littera Dominicali; ſed quia etiam ſigna primi hujus anni Juliani directa ſunt vel ex Cyclis

Solis, & Lunæ anni primi Periodi Julianæ, vel aſcendendo, ex iis anni primi Æræ noſtræ.

Pergo itaque ad probandum concluſe, apteque, non potuiſse exigi Cyclos anni 33. ad Cyclos anni primi Æræ communis. Victorius, Latinorum primus, qui laboraverit in corrigendis Cyclis, Autorque Periodi 532. * annorum, orſus eſt Periodum hanc primo Januarii die anni XV. Imperii Tiberii, quo per ipſum Jeſus Chriſtus baptizatus fuit, duobus Geminis Conſulibus. Dionyſius Exiguus, qui Epocham hanc retractavit, initium ejus ponit anno, Æram communem præcedente; nimirum 45. anno Juliano, Cornelio Lentulo, & Calfurnio Piſone Conſulibus.

Victor Capuanus, anno 550. hoc eſt 25. circiter anno poſt Dionyſium Exiguum, operam rurſus dedit Periodo Victorii, ejuſque initium repetiit ab anno, qui Æram vulgatam antecedit. At Periodum hanc non incæpit a primo Cyclo Solis, & Lunæ, ſed a Cyclo 9. Solis, & primo Lunæ. Quare ubi Chronologi atque Aſtronomi Mortem Jeſu Chriſti collocarunt anno 33. Æræ communis, huicque anno inſignia dederunt 14. Cycli Solis, 15. Cycli Lunæ, & D. pro Littera Dominicali, id præſtare non potuerunt, niſi admiſiſſent, annum primum Æræ vulgaris habuiſſe 10. Cycli Solis, 2. Cycli Lunæ, & B. pro Littera Dominicali; ut tandem notæ iſtæ in ſingulos annos deductæ ad 33. oſtenderint, hunc annum revera conſtaſſe 14. Cycli Solis, 15. Lunæ, & D. pro Littera Dominicali. Conſulta vero Tabula, ſenſibus ipſis patebit, in angulo communi horum duorum Cyclorum poſitum eſſe 5. Aprilis, hac ſcilicet die fuiſſe Feſtum Paſchatis, adeoque Jeſum Chriſtum mori debuiſſe die Veneris præcedentis, 3. menſis ejuſdem.

VIII. At vero omnis hæc argumentatio in nihilum recidet, ſimul atque reputaveris, Victorium & Dionyſium Exiguum caput Periodi ſuæ collocaſſe annis apprime diverſis; immo integrum ipſis fuiſſe, illud aſſignare vel morti Herodis, vel alii ex eis anno, quo creditur Auguſtus, vel Tiberius auſpicatus Regnum ſuum, vel primo anno Juliano, vel cuicumque alii. Quamobrem quidquid Epochis iſtis conſtruitur, poteſt quidem nos docere, poſita Periodorum iſtarum veritate, Salvatorem noſtrum debuiſſe ſpiritum reddere eo anno; non vero nos perſuadere, ipſum reapſe mortuum eo anno, menſe, & die: quod tamen ſciſcitamur, neque poſſumus reperire ex arte Chronologica atque Aſtronomica, ut mihi videor luculenter demonſtraſſe.

IX. Aliud pariter argumentum addam, ex Tabula noſtra petitum. Si

* Sunt qui exiſtiment, Cyclum 532. multo ante Victorium inventum eſſe. Syncellus pag. 35. ejus autorem facit quendam Anianum tempore Panadori. Photius in Bibliotheca tribuit Periodum hanc Metrodoro, qui eam incæpit anno primo Diocletiani. Opinio eſt, Metrodorum hunc eſſe eum, de quo Hieronymus loquitur in Chronico, floruitque ætate Conſtantini.

ulla ex Litteris Dominicalibus, quæ reſpondent annis Cycli Solis, uno duntaxat anno extra locum ſuum eſſet, tum nemo anceps erit, Cyclos Solis, Lunæ, vel Aurei numeri inverſos fore in Cyclis annorum inſequentium; atque adeo non poſſe Cyclos iſtos notas eſſe Annorum Julianorum, neque uſum habere in reperiendis die & menſe Feſti Paſchatis: ut demum poſito hujuſmodi vitio, Chronologiæ atque Aſtronomiæ lumina nequirent indicare annum, menſem, & multo minus diem Paſchatis celebrandi, vel Mortis Chriſti.

Atqui vitium id contigit profecto ante annos aliquot, immo poſt Nativitatem Jeſu Chriſti ex confuſione Biſſextorum, inducta Sacerdotum Romanorum negligentia, ut puto me ſuperius confirmaſſe. Fruſtra igitur jactant, poſſe ſe ſubſidio Chronologiæ, atque Aſtronomiæ conſtituere, Jeſum Chriſtum migraſſe e vita anno 33. Æræ noſtræ, die Veneris, 15. Luna Paſchali, & 3. menſis Aprilis, D. Littera ejus anni Dominicali.

Ut autem enunciatum hoc afferam, ſatis erit, ſi oſtendero, cum Litteras Dominicales, tum Biſſexta perturbata fuiſſe; atque adeo Cyclos Solis, & Lunæ aliqua ratione confuſos.

X. 1. Certum eſt, uti ſuperius animadvertimus, hactenus ignorari, quo anno Julius Cæſar Biſſextum primum conſtituerit. Qua de re alii eum poſuerunt anno ipſo Confuſionis; quidam anno primo Juliano; non pauci 3., 4., aut 5.

2. Latet in incerto, quiſnam annus fuerit Biſſextus ante primum duodecim annorum, quibus Auguſtus intercalationem vetuit, ut tolleret errorem, a Sacerdotibus invectum in annos Biſſextiles. Fert communis opinio, emendationem hanc ab Auguſto factam pertinere ad annum 38. Julianum, Martio Cenſorino, & Aſinio Gallo Conſulibus. At nonnulli Biſſextum faciunt annum 35. Julianum, alii 36. quidam 37. ceteri 38. Quo in loco animadverte, varias haſce omnes ſententias eadem omnino probabilitate affici, & nonniſi voluntariis Autorum poſitionibus inniti.

3. Nihil item magis Viri noſtri Litterati conveniunt inter ſe de anno, quo revocata ſunt Biſſexta, elapſis duodecim annis. Sunt qui collocent primum Biſſextum a Correctione Auguſti anno 49. Juliano, ſub Conſulatu Ælii Cati & Sentii Saturnini: interim tamen alii primum Biſſextum annum transferunt ad Julianum annum 51., 52., 53.; nec deſunt, qui eum protrahant ad 54. Sulpitio Camerino, & Pappæo Conſulibus.

Conveniat inter omnes neceſſe eſt, Jeſum Chriſtum natum eſſe in aliquo ex 12. annis vacantibus Biſſexto; quandoquidem qui plus aliis producunt Nativitatem ejus, eam conſtituunt anno 40. vel 41. Juliano, & 4. ante Æram communem. Secundum hæc, non poſſumus affirma-

re, Jeſum Chriſtum in hanc lucem veniſſe anno ullo Biſſextili; cum nullus hiſce 12. annis fuerit; neque quonam ex iſtis annis interponendus fuerit Biſſextus; cum diſcrepent Autores de anno Biſſextili primo poſt Emendationem Calendarii, a quo pendent alia Biſſexta.

Nihilo tamen ſecius Aſtronomi, qui affirmant, Jeſum Chriſtum e vivis ereptum anno 33. Æræ communis, Luna 15. primi menſis, die 3. Aprilis, coguntur propugnare, cum natum fuiſſe anno Biſſextili, qui haberet B.A. pro Littera Dominicali, 5. Cycli Solis, & 16. Cycli Lunæ; quia ducentibus rationem annorum ab ortu ad interitum Jeſu Chriſti, Cycli Solis, & Lunæ, & Litteræ Dominicales occurrunt accurate. Verum Cycli Solis, & Lunæ, necnon Litteræ Dominicales, cum Biſſexta turbata ſint ante, & poſt Nativitatem Jeſu Chriſti, confuſæ adeo fuerunt, ut virtute hominis non poſſit quis ſtatuere, Jeſum Chriſtum extinctum fuiſſe anno 33. 3.a die Aprilis, die Veneris, Luna 15. Paſchali; 14. Cycli Solis, 15. Cycli Lunæ, & D. Littera Dominicali. Perſpectum etenim quilibet habebit hac Tabula, quidquid horum exturbetur e ſede ſua, omnia continuo miſceri propter nexum, quo inter ſe conjunguntur.

Quamobrem calculi omnes & ſupputationes Chronologorum, atque Aſtronomorum non pendent, niſi a ſignis, ſcilicet Cyclis Solis, Lunæ, & Litterarum Dominicalium, quas voluerunt Annis Julianis affingere, ut Hiſtoria non careret Punctis firmis & ratis; anni rerum geſtarum non confunderentur; Feſtum Paſchatis dirigeretur; atque adeo in Hiſtoria Æqualitas ſervaretur. Cum itaque conſenſerint invicem Viri Doctiſſimi de collocatione Cyclorum Solis, Lunæ, Indictionis *, & Litterarum Dominicalium; & Cyclos iſtos traduxerint ad annos Julianos, Olympiadum Auguſti, Urbis Conditæ, & Æræ communis, non licet ab his recedere ſine errore, atque aliorum repugnantia, qui Facta hæc hiſtorica ad hos citius, quam ad alios annos affinxerunt, ut regulam rectam, vel melius communem, atque æquabilem ſibi, nobiſque compararent.

Non eſt igitur quæſtio inter nos, utrum Salvator mori potuerit anno 33. Æræ noſtræ, menſe, & die menſis deſignatis; neque utrum mortuus fuerit eo anno die Veneris, 15. menſis Paſchalis, & 3. Aprilis, Cyclo Solis 14., Lunæ 15., & D. Littera Dominicali, ex ratiocinationibus habitis

* Sub initium IV. Sæculi Olympiades ſublatæ ſunt a Conſtantino poſt Maxentium profligatum, atque in earum locum ſuffectæ Indictiones, quæ adhuc obtinent in Eccleſia. Baronius locat inſtitutionem Indictionis anno 312. Advertas porro, Indictionem Imperialem incipere 24 Septembris, ob monumentum Victoriæ eo die relatæ, Indictio vero Pontificum initium habet Kal. Januarii. Quidam exiſtimant, Indictionem Pontificum ſeu Romanam initio orſam fuiſſe in Feſtis Natalitiis. Autores meminerunt alterius Indictionis, quam *Conſtantinopolitanam* vocant, incipitque ab anno vulgato Græcorum die prima Septembris.

hac

hac poſtrema ætate, atque ex omnium rerum iſtarum diſpoſitione, inſtituta ad ſervandum ordinem in Hiſtoria, cum Eccleſiaſtica, tum profana; in celebratione Paſchatis & Feſtorum Mobilium; denique ex ea ratione, qua exaratum Calendarium fuit: ſed inſiſtimus, ut reperiamus annum, menſem, diem, quo revera morti traditus eſt. Non igitur ex luminibus Chronologiæ, atque Aſtronomiæ celebris hæc Epocha inveſtiganda eſt; quoniam Facultates, iſtæ carent Punctis fixis, ex quibus conſecutiones ſuas eliciant; vel ſi quod habent, pro libito tantum illud ſtabilierunt. Nihil certe affirmare poſſumus de pretioſa Morte iſta, ſi ſtandum ſit poſitionibus, fultis una Chronologorum Aſtronomorumque peritia, qui viam invenerunt, ut Hiſtoriæ ordinem firmitatemque tribuerent, noſtraſque ideas ſtatuerent ſuper rebus præteritis, atque a nobis longe remotis.

§. V.

Alia pro eadem re argumenta.

NON diffiteor, ope Tabularum Aſtronomicarum cognoſci certo poſſe Novilunia & Plenilunia ætatis Jeſu Chriſti; itemque non gravate concedo Eruditis iſtis, poſſe eos tenere decimam quintam Lunæ Paſchalis, anno Mortis Jeſu Chriſti; denique multi operis non futurum ipſis eam aſſequi ex Cyclis Solis & Lunæ; niſi ulla in Cyclis iſtis, ut oſtendimus, perturbatio orta fuiſſet. Sed demus ultro, Cyclos Solis & Lunæ in ſuo ordine remanſiſſe, immo Jeſu Chriſti temporibus in more fuiſſe. Nihilominus videor mihi videre, nullo modo, ut ſunt humana, reperiri poſſe annum, menſem, diemque menſis, & Lunæ, quibus celebratum fuit Paſcha Legis anno, quo Chriſtus Crucem ſubivit.

Ut ex Tabulis Aſtronomicis hæc omnia nunc comperta habere poſſemus, opus eſſet pro certo habere, Cyclos, quibus utebantur Judæi Jeſu Chriſti ætate, fuiſſe rectos adeo atque accurate confectos, ac modo ſunt in Tabulis noſtris Aſtronomicis; apud eos extitiſſe Aſtronomos tanta facultatis ſuæ præditos cognitione, quanta pollent noſtri, & Diſciplinam illam in eo accurationis ſtatu tum fuiſſe, ac modo eſt. Quod tamen nemo affirmare audebit.

Non prodeſt ergo modo, ſubſidio Tabularum diligentiſſimæ Aſtronomiæ pronunciare de Pleniluniis ætatis Jeſu Chriſti, Feſta eorum per hæc Plenilunia ſtatuere, & ſecundum diem, in quem inciderunt, decernere de anno Paſſionis: quandoquidem hæc agendi ratio habet pro conſtanti, Judæos hæc omnia moderatos fuiſſe Cyclis, & Tabulis tam accuratis, quam noſtræ ſunt; quod nullo modo fuit. Propterea ſi Judæorum Cy-

cli

cli non congruebant omnino cum noſtris; ſique Tabulæ Aſtronomicæ, atque obſervationes noſtræ non reſpondent apprime Judaicis, eccur velle contendere, anno 33. Æræ communis decimamquintam Lunam menſis Niſan adveniſſe die Veneris, 3. menſis Aprilis, quod ſcilicet noſtræ Tabulæ Aſtronomicæ referant hoc pacto occurſum earum?

Quocirca concludamus, non eſſe perquirendum annum Mortis Chriſti, ope Tabularum Aſtronomicarum, in quibus vim tantam ponunt Litterati Viri, ut vetuſtam Eccleſiæ Traditionem labefactent: cum via hæc omnino impervia ſit, ſi modo, quod omnibus in confeſſo eſt, Judæorum Cycli vitioſi eſſent, ipſique ſectarentur citius Calendarium commune & vulgare, quam Cyclos religioſæ Aſtronomiæ.

Cum Critici noſtri Sapientes urgent, ut nos cogant profiteri, quod dirigendum ſit ad hanc diem Tabulis Aſtronomicis Paſcha, a Jeſu Chriſto celebratum in mortis ſuæ pervigilio; perinde argumentantur fere, ac ille, qui vellet tueri, Eccleſiam debuiſſe recolere aliis temporibus Feſta multa Paſchalia, cum ante, tum poſt Concilium Nicænum, ad emendationem uſque Calendarii, editam juſſu Gregorii XIII. aſſumpta ratione quod a Calculis Aſtronomicis diſſentiant. Cum etenim ab anno 325. ad annum 1582. Calendarium deficeret in multis, conſtans eſt, eo ſpatio celebrata fuiſſe Feſta multa Paſchalia, quæ ab Aſtronomia diſſidebant. Si quidem poſt Correctionem Julianam uſque ad Nicænam, Æquinoctium retrogreſſum erat 3. vel 4. dies; & a Nicæna ad Gregorianam decem dies. Attamen Decreto hujus Synodi oportebat celebrare Feſtum Paſchatis decimaquarta Luna poſt Æquinoctium vernum, conſtitutum 21. Martii, ut tum erat. Poſt Concilium ſervata hæc regula eſt ad annum uſque 1582. licet Æquinoctium revera non concurreret amplius cum 21. Martii, ſed dies decem aſcendiſſet propter Biſſextilem, qui minuta aliqua plus æquo creſcit. Quare ſi judicium latum fuiſſet ex legibus religioſæ Aſtronomiæ de tempore, quo Paſchata multa celebrata ſunt annorum ſpatio inter 325. & 1582. ſine ulla dubitatione affirmare quis potuiſſet, decimamquintam diem Lunæ Paſchalis non accidiſſe diebus illis, quibus eam poſuerunt: ut indeſinenter nobis exprobrant periti Critici noſtri; ſcilicet anno 29. Æræ noſtræ decimamquartam menſis Niſan non occurriſſe die Veneris, 23. menſis Martii. Quemadmodum igitur nemo poteſt de hoc Eccleſiam inſimulare, ita nobis objicere non debent, ſententiam noſtram ab Aſtronomicis Tabulis abhorrere.

Anno *1666.* orta eſt inter Eruditos controverſia, propterea quod eo anno Sol ingrederetur ſignum Arietis, & ver efficeret 20. Martii, hora circiter *6.* matutina; Luna vero oppoſita eſſet in Libra, & plena eodem die poſt meridiem; ut cum 21. Martii eſſet dies Dominicus, dies

dies hic ſecundum Tabulas Aſtronomicas futurus eſſet genuinus Paſchatis dies. Nihilominus Feſtum hoc celebravit Eccleſia die 25. Aprilis, quia videlicet Æquinoctium 20. Martii eſſet revera Æquinoctium Aſtronomicum, non autem illud, quod ſtatuerat Concilium Nicænum die 21. Porro id ſtatuit, non quia Æquinoctium ſemper hæreat 21. Martii, cum ſæpe ad 20. idemque ad 19. tranſeat; ſed quia non cenſuit Eccleſia in rem eſſe, tum quod attinet ad hoc, tum quod eſt Noviluniorum & Pleniluniorum, ſuperſtitioſis Aſtronomorum ratiocinationibus inſiſtere.

Ante Emendationem Eccleſia præfiniebat hæc omnia ope Cyclorum Solis & Lunæ; deinde Epactarum, quæ attemperate non indicant veros Lunæ curſus, & differunt aliquando, tum receſſu, tum progreſſu uno die, vel duobus. Cæterum cum ſit hæc Eccleſiaſticæ Diſciplinæ inſtitutio, non putavit Eccleſia, intereſſe ſua, ut eam exigeret ad amuſſim Supputationum Aſtronomicarum, quarum norma novæ identidem Tabulæ conficiendæ forent; ſed ſelegit viam & rationem Epactarum, ut pote magis popularem & proximam veritati.

Concluſio ſit, Aſtronomos noſtros nimium poſtulare ab iis, qui conſtituunt annum, menſem, & diem Mortis Jeſu Chriſti ex Traditione; cum poſtulant, ut Epocham iſtam ſecundum Aſtronomicas ratiocinationes definiant. Ut id fieret, neceſſum eſſet, 1. Cyclos Judæorum non fuiſſe minus rectos, quam ſint Tabulæ noſtræ: illos in omnibus cum his convenire: & certo conſtare, eos Plenilunia ex Cyclis direxiſſe. 2. Non defuiſſe apud Judæos tanti nominis Mathematicos, quanti fuerunt ſemper, & ſunt in Eccleſia. 3. Nihil immutatum fuiſse in Æquinoctiis, & Lunæ curſibus, ut tamen contigit ab Emendatione Julii Cæſaris ad hæc tempora, quantumvis omnia diligentiſſime præcaviſent. Tandem oporteret probare, fuiſſe Judæis legem ullam, quæ juberet fieri Paſcha ex principiis Aſtronomiæ, non vero ex introducta aliqua diſciplina Eccleſiaſtica. Quæ omnia ſatis perſuadere poſsunt, cum Judæi haud celebraverint Feſta ſua ſecundum Tabulas Aſtronomicas, nihil fuiſse, quod Patres cogeret, ut ad illos confugerent in definiendo die Mortis Chriſti: atque adeo Aſtronomos non poſse a nobis petere, ut quæſtionem hanc regulis ſuis expendamus: id nanque eſset a Sinagoga id flagitare, quod ab Eccleſia præſtolari non debemus, quantumvis litteratiſſimis hominibus, peritiſque Mathematicis abundet. Tandem lumina Aſtronomiæ hujuſmodi non eſse, ut nobis, quo anno, menſe, die Chriſtus paſsus fuerit, oſtendant.

AR-

ARTICULUS III.

Audienda eſt Patrum Traditio, ut annum, menſem, & diem Mortis Jeſu Chriſti teneamus.

ILlud ſane mirari non deſino, Scriptores poſtremorum ſæculorum vetuſtam deſeruiſse Patrum Traditionem de anno, quo paſsus eſt Jeſus Chriſtus, ea ductos ratione: non poſse id videlicet ſtatui ipſorum teſtimoniis, ſuper hac re minime conſentientibus. Nihilo ſecius, ſi pauciſſimos excipias, convenit admodum inter cæteros. Quod ſatis eſt pro Traditione, non quidem de Fide, ſed omnium vetuſtiſſima & teſtatiſſima, magiſque ſimili vero, quam novæ omnes opiniones, hactenus excogitatæ.

Traditione itaque Patrum Eccleſiaſticorum cônſtanti definiam ſtatim annum, menſem, & diem, quo Servator noſter in Cruce pependit: deinde occurram difficultatibus, quæ moveri poſsunt in quæſtionem, dubitationis pleniſſimam, quocunque tandem te vertas. Denique ne quidpiam prætercam eorum, quæ controverſiam illuſtrare poſsunt, ſpero, me probaturum, Traditionem hanc Chronologiæ atque Aſtronomiæ principiis optime reſpondere.

PROPOSITIO I.

Jeſus Chriſtus mortuus eſt anno 29. Æræ vulgatæ, duobus Geminis Conſulibus, 74. Juliano, 4742. Periodi Julianæ, anno 1. 202. Olympiadis, & 782. ab Urbe condita, cum ætatis annum ageret circiter triceſimum.

PAſſio Salvatoris his notis affecta eſt. 1. Contigit anno decimoquinto Imperii Tiberii, ſub Conſolatu Rubellii Gemini, & Fuſii Gemini, cum annos natus eſset circiter triginta. 2. Decimaquinta Luna menſis Niſan, quæ occurrit die Veneris, decimaquinta menſis Martii. Porro hæc omnia ſecundum Traditionem Patrum in annum Æræ noſtræ 29. & Julianum 74. inciderunt. Promptum eſset oſtendere, notas haſce omnes congruere non poſse cuiquam ex annis, in Tabula Pauli Mildeburgenſis, & Fabri recenſitis; ſed cum id compertum eſse poſſit, habita illorum collatione, ad illud unum me refero, ut teſtimonio Patrum confirmam primam partem hujus Propoſitionis, ſecundam vero articulo V.

Je-

Jeſum Chriſtum exceſſiſse e vita anno decimoquinto Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus, annoſque natum circiter triginta, res eſt quamplurimis Eccleſiæ Patribus teſtata, qui veri fuerunt Sequeſtri eventuum celeberrimorum, qui aliquam cum Religione cognationem habent.

Agmen ducat Sanctus Clemens Alexandrinus, ſecundi ſæculi labentis ſcriptor: *Erat autem Jeſus*, inquit Pater hic, *cum ad Baptiſmum venit quaſi annorum* 30. *Quintodecimo itaque anno Tiberii, & 15. Auguſti, hoc modo complentur anni, donec paſſus eſt.* Clem. Alex. l. 1. Strom.

Tertullianus, qui ſub initium III. ſæculi vixit, imperante Severo, & Caracalla filio ejus, haud abſimiliter loquitur, ac Clemens Alexandrinus. Inquit enim, Auguſtum 15. annos ſuperſtitem fuiſse Chriſto nato, eumque excepiſse Tiberium. Deinde addit: *Hujus decimoquinto anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta, cum pateretur.* Quod accidit, ſequitur Tertullianus, *Duobus Geminis Conſulibus.* Tertull. contra Jud. c. 8.

Origenes, qui florere cœpit ætate Tertulliani, quique vixit ad uſque medium ſæculum III. loquens de proditione Judæ, confert triginta argenteos, a Sacerdotibus proditori pactos, cum annis, quibus Chriſtus inter nos commoratus eſt: *At illi ſtatuerunt ei triginta ſtateres, tantam ei damnationem conſtituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo.* Verum quidem eſt, cum alibi ſubjungere, Salvatorem Baptiſmate ablutum ſub annum triceſimum, orſum fuiſse verbum divinum nunciare, huicque muneri incubuiſse annum & menſes aliquot: *Uno anno & aliquot menſibus prædicaſſe.* Orig. Tract. 35. in Matt.

Julianus Africanus, Paleſtinus, æqualis ætate, & notus Origeni, qui primus omnium Chriſtianorum ſe contulit ad ſcribendum de Chronologia, perſpicue tradit, Jeſum Chriſtum mortuum fuiſse anno decimoquinto Imperii Tiberii, cum annos ageret circiter triginta. Lib. 4. de Princ. primo capite.

Sanctus Hippolitus, ſecundum aliquos Epiſcopus Portuenſis in Italia, confecit Cyclum Paſchalem ſexdecim annorum, cujus meminerunt Anatolius, Euſebius, S. Hieronymus, & Victorius. In hoc Tractatu animadvertit S. Martyr, primum annum Cycli ſui Paſchalis incipere anno primo Alexandri Imperatoris, poſtremum autem deſinere in annum mortis Jeſu Chriſti. Nimirum, ſi aſcendendo recenſeas annos a primo Alexandri imperantis, emerget mors Jeſu Chriſti ſub Conſulatu duorum Geminorum anno 15. Imperii Tiberii, ætatis ejus annorum circiter 30. Apud Hier. in c. 9. Danielis.

Priſcus Autor Anonimus, qui ſcripſit Chronicon temporum Imperatoris Severi, conſiderat: *A generatione Chriſti poſt triceſimum, cum paſſus eſt Dominus, Paſcha celebratur.* Apud Hier. Canis antiq. Lect. Tomo 2. c. 18.

Lactantius, qui Nicomediæ Rethoricen profitebatur ætate Diocletiani, hanc profecto Traditionem ab antiquioribus Patribus acceperat: *Tiberii*

Laƈt. l. 4. Inſt. c. 2, 10, & 14.

Cæſaris, ait, *anno decimoquinto, ideſt ſub Geminis Conſulibus Judæi Chriſtum Cruci affixerunt.*

Antonius Cappellus profert in medium vetuſtum Indicem Epiſcoporum Romanorum, conſcriptum Imperatoris Conſtantii tempore, editumque a Bucherio in commentariis ſuis in Canonem Victorii. In hoc Indice verba hæc animadverſione digna leguntur: *Imperante Tiberio Cæſare, paſſus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, duobus Geminis Conſulibus.* Quamobrem agebat tum annum circiter tricesimum.

Philaſtr. Brix. de Hæreſ.

Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, quem ſe vidiſse Auguſtinus teſtatur *Libro ad Quod vult Deus*, cum degebat apud Ambroſium, Librum de Hæreſibus conſcripſit. Porro articulo 58. in quo agit de Hæreſibus, quæ attinent ad annos Jeſu Chriſti, nos docet, eum Baptizatum fuiſſe, cum triginta annorum ætatem numeraret: *poſtea uno anno docuiſſe uſque ad Paſſionem & Reſurrectionem, ſicuti Beatiſſimi tradiderunt.* Quo in loco attendenda ſunt diligenter verba hæc: *Sicuti Beatiſſimi tradiderunt*, quæ monent, doctiſſimum hunc Epiſcopum Traditionem iſtam a SS. Patribus ipſo antiquioribus accepiſſe. Articulo vero 107. ait, Jeſum Chriſtum ingreſſum fuiſſe annum 31. cum evaſit e vita.

Sulp. Sev. lib. 2. Hiſt. Sacra.

Sulpitius Severus, qui in vivis erat anno 420. litteris commendavit, Salvatorem fuiſſe *Crucifixum Fuſio Gemino, & Rubellio Gemino Conſulibus*: videlicet anno 74. Juliano, & 15. Imperii Tiberii.

Hier. Epiſt. 22. ad Euſt & Ep. 127. quæ eſt de 42. Manſion.

Sanctus Hieronymus non recedit a vetuſta Traditione, quæ mortem Redemtoris ponit anno eius tricesimo. Et cap. 9. in Danielem ſcribit, hoc anno completas fuiſſe 70. Hebdomadas. *Iuxta Lunarem Hebræorum ſupputationem.*

Non eſt hoc loci prætereundus hymnus quidem vetuſtiſſimus, quem nonnulli tribuunt Divo Ambroſio, atque alii Sedulio; in quo Eccleſia canit, Jeſum Chriſtum, *Luſtra ſex cum jam peregit ec.* (ſcilicet 30. annos) *In Crucis levatur immolandus ſtipite.*

At nullus eſt inter Patres, qui melius Auguſtino ſuper hac re ſententiam ſuam explicaverit. Tradit nanque magnus hic Doctor in multis Operibus ſuis, *Mortuum eſſe Chriſtum duobus Geminis Conſulibus.* In Epiſt. 80. *ad Heſich.* hæc habet: *A Nativitate Domini hodie computantur anni ferme* 420. *a Reſurrectione autem, vel Aſcenſione eiuſdem anni* 390. Quod ſi ab annis 420. ſubtrahas annos 390. ſuperſunt triginta, aut prope, qui abſolverunt per ipſum ætatem Jeſu Chriſti.

Auguſt. l. 18. de Civ. c. ult. item l. 22. c. 15. & l. de Trin. c. 5.

Quæ Epocha eo certior videtur, quo S. Auguſtinus eam depromſerat e Faſtis Conſularibus, ſtatueratque regulam iſtam, videlicet quæſtionem examinandam eſſe per Hiſtoriam profanam, cum Scripturis collatam: *Per Olympiadas, & Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis, &*

igno-

ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, multos coegit errare...... De Hiſtoria gentium, collata cum Evangelio liquidius certiuſque colligitur. Quod reipſa præſtitit Sanctus Epiſcopus; quandoquidem, ut annum Mortis Chriſti definiret, annos Conſulum meditatus eſt, & contulit eum Sanctis Bibliis.

Paulus Oroſius Hiſpanus, diſcipulus S. Auguſtini, hiſtoriam concinnavit ab exordio Mundi ad annum uſque 416. Jeſu Chriſti, quam meritiſſimo Præceptori ſuo nuncupavit. In hac Hiſtoria docet, Jeſum Chriſtum natum eſſe, anno 752. ab Urbe condita, atque Auguſtum obiiſſe anno 767. ejuſdem Epochæ, 15. poſt Domini noſtri Nativitatem. Addit, Auguſto vita functo, datum ei ſucceſſorem Tiberium, atque hujus Imperii anno 15. *voluntarie obtuliſse ſe Paſſioni, ut antiquiores habent Libri*: quo ſcilicet Traditionis hujus antiquitatem nobis ſignificaret. *Paul. Oroſ. l.6. c. 22. & l.7. c. 3. & 6.*

S. Petrus Chryſologus, qui ad medium Ævum V. hinc migravit, in eadem eſt opinione: *Chriſtus*, inquit, *Crucem ſupra 30. annum vitæ corporalis aſcendit.* *Petrus Chryſ. Serm. 151.*

S. Proſper in Chronico adnotavit, non paucos eſſe, qui exiſtiment, Jeſum Chriſtum animam dediſſe pro nobis anno 18. Imperii Tiberii, & vim faciunt in Evangelio S. Joannis, ubi videtur Evangeliſta ſignificare velle, ab anno 15. Imperii Tiberii, Salvatorem trium annorum ſpatio Legem ſuam divinam prædicaſſe: *Sed quia*, ſubdit, *uſitatior Traditio habet, Dominum decimoquinto anno Imperii Tiberii Cæſaris, duobus Geminis Conſulibus crucifixum, nos ſine præjudicio alterius opinionis, ſucceſſionem ſequentium Conſulum a ſupradictis Conſulibus ordiemur juxta hanc Traditionem.*

His verbis Bucherius retulit locum hunc cap. 6. Commentarii ſui in Canonem Paſchalem Victorii. Quibus videtur Proſper affirmare, ætate ſua obtinuiſſe duas opiniones de Anno mortis Jeſu Chriſti: ipſum tamen ei adhærere, quæ innitebatur Traditioni, quippe certiori, quam alia. Idem S. Proſper, vel quiſquis autor eſt Libri *de Traditionibus*, ita loquitur in rem noſtram: *Propter quod & ipſum caput noſtrum 30. annorum dignatus eſt crucifigi.* *parte 1. c. 1.*

Cuſpinianus in Commentaria Caſſiodori de Conſulibus nobis dedit antiquum Indicem Conſulum Romanorum, in quo hæc leguntur: *Paſſus Dominus Chriſtus Conſulibus duobus Geminis.*

Victorius Aquitanus in Canone Paſchali, quem exaravit anno 457. Idacius Lemicenſis Epiſcopus in Gallicia pariter in Chronico; Faſti Conſulares, quos curavit edendos Labbeus in Bibliotheca ſua: Scriptores hi omnes V. ſæculi concinunt inter ſe de Traditione, quam habemus præ manibus: *Crucifixio Chriſti*, ait prior, *Conſulibus duobus Geminis Fuſio,*

& Rubellio. Alter loquitur in hunc modum : *Et ipſe Filius Dei ſecundum Prophetas, qui de eo fuerant prælocuti, ad Paſſionem venit anno Tiberii decimoquinto*. Nihil obſcurius verba facit poſtremus : *Geminis Conſulibus paſſus eſt Chriſtus*.

Prætereo teſtimonia aliorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui inſequentibus Ævis de hoc monumenta reliquerunt ; quemadmodum Cedreni, qui ait : *Exactius tempus ſalutaris iſtius ſupplicii a Romanis eſt notatum, eveniſſe nimirum Geminis Conſulibus*. Pauli Diaconi Aquilejenſis, S. Bernardi, & Godefridi Presbyteri Viterbienſis. Poſterior hic, qui clarus fuit exeunte ſæculo XII. teſtatur in Chronico, Auguſtum fatis ceſſiſſe quintodecimo anno poſt Ortum Chriſti, & Jeſum Chriſtum in Crucem actum fuiſse anno Imperii Tiberii pariter decimoquinto, atque adeo triginta duntaxat annos ipſi tribuit. Longius nanque, quam par ſit, efferrem argumentum hoc, ſi aggrederer ea omnia deſcribere loca, quæ Traditionis hujus nexum componunt, ratumque habuerunt, Jeſum Chriſtum reddidiſſe ſpiritum ætate annorum 30. anno decimoquinto Imperii Tiberii, & 29. Æræ communis.

ARTICULUS IV.

Quæ afferuntur adverſus Traditionem iſtam:

AUtor Chronologiæ Sanctæ, cujus Opus extat in Parergo Bibliorum Vitreenſium, quæſtionem hanc uberrime tractavit. Satis ipſi non fuit, deſerere Traditionem, ab Eccleſiæ Patribus ſuper anno mortis Jeſu Chriſti propugnatam ; ſed eam quoque viribus omnibus oppugnavit, deque ejus dignitate, quam maxime potuit, detraxit. Neque pariter affirmabo, quem geſſerit morem antiquitati ſemper colendæ. Illud certe verum eſt, ipſum Eccleſiæ Patribus ſenſa vendicare, quæ non admodum liberalem de eis exiſtimationem nobis imprimere poſſunt, cum jactatos ipſorum errores vitio vertat quarundam cognitionum, quibus carebant, & ſine quibus Controverſiam hanc dijudicare non poterant.

Audi igitur, quæ adverſus conſtantem Patrum Eccleſiæ Traditionem Scriptor noſter objiciat. Porro ex iis tua intererit judicium ferre, an ejus Critice tam ſit erga Sanctos Doctores accurata, temperans, atque obſervantiſſima, quam ipſe nititur eam oſtendere.

§ I.

§. I.

Argumentum Primum:

Diviſio Scriptorum Eccleſiaſticorum Traditionem hanc funditus evertit:

QUotieſcumque veteres Eccleſiæ Patres de Facto quopiam hiſtorico non conveniunt, hoc ad Traditionem minime ſpectat. Atqui nemo diffitebitur, Autores Eccleſiaſticos in diſſimillimas ſententias abiiſſe de numero annorum, quos exegit Chriſtus in terris, & de tempore mortis ejus. Itaque neceſse eſt aſſerere, Factum hoc Eccleſiaſticum ad Traditionem haud pertinere. Hoc ſane pacto argumentantur Autor Chronologiæ Sacræ, Lamius, Alexander, aliique non pauci.

Scriptores nanque iſti non crediderunt, ullum eſse argumenti genus magis concludens repugnantiam Doctorum Sanctorum ſuper hac re, quam eorum loca referre. Quamplurima itaque congeſserunt, atque ut numerus augeretur, non dubitarunt alia multa ſubtexere, ab Autoribus Apocryphis, vel ſuppoſititiis Operibus depromta. Nunquid, ajunt, ſenſibus ipſis non patet diviſio hæc? quandoquidem inter Sanctos Patres quidam dixerunt, Jeſum Chriſtum moriturum, egiſse tum annum triceſimum, alii 31. 32. 33. 34. incæptos, quidam demum fere 40. aut 41. vel circiter 50.

Ut objectum argumentum hoc enodemus, animadverte, 37. aut 38. eſse, quod noverim, Scriptores Eccleſiaſticos, qui hac de re mentem ſuam explicaverint; atque hos quadrifariam dividendos eſse cenſeo. In prima Claſse veniunt locus Evodii, Diſcipuli S. Petri, ejuſque in Sede Antiochena Succeſsoris, a Nicephoro relatus; in quo ait, Jeſum Chriſtum vixiſse annos 33. alius decerptus ex Epiſtola S. Ignatii ad Trallianos, ubi eadem fuiſse Chriſtum ætate teſtatur: tertius, quem adjudicant S. Irenæo, affirmatque, Dominum noſtrum ad 40. vel circiter 50. annum perveniſse. Cæterum nullum ex his locis momentum comparare poſsunt, ſiquidem Autoris ipſius noſtri confeſſione, manifeſto ipſis ſuppoſita ſunt; atque ego deinceps probabo S. Irenæum a communi Patrum opinione non defeciſse, qua Jeſus Chriſtus anno 30. vivere deſiit: *Complens*, inquit, *trigeſimum annum paſſus eſt*. Profert item in medium aliud teſtimonium, deductum ex Homilia quadam in Joannem, ſuppoſita Chriſoſtomo, qua defendit, Jeſum Chriſtum ad Patrem aſcendiſse anno ſuo 40. vel 41. quod tamen manifeſte pugnat cum iis, quæ ſentit idem Pater Homilia 10. *in Matthæum*. *Irenæus l. 1. c. 19.*

Secundum obtinent locum teſtimonia 24. aut 25. Scriptorum Eccleſiaſticorum, quibus fulcimus Traditionem noſtram, quique omnes ore uno conſentiunt de annis vitæ & mortis Jeſu Chriſti.

Ter-

Tertium genus eſt eorum, qui Salvatori 31. vel triginta duos annos inceptos adſcribunt, cujuſmodi ſunt Euſebius Ceſaraenſis, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Jornandes, ſive Jordanus, Magiſter ſententiarum, Autor Tabulæ de annis Jeſu Chriſti, allatæ a Bucherio in fronte Canonis Victoriani, quamque a vetuſto Codice MS. comparavit. Quamobrem hi, a communi aliorum Patrum ſententia uno duntaxat anno, aut circiter diſcrepant.

Quartus ordo complectitur Autores, quibus placuit, Jeſum Chriſtum vixiſſe annos 33. aut 34. & menſes aliquot. In hunc cenſum veniunt Caſſiodorus, Appollinaris Laodicenus, Autor Chronologiæ Paſchalis, & S. Maximus, queis addas licet Monachum quendam Ægyptium, nomine Panodorum, qui vult, Jeſum Chriſtum inter nos verſatum eſſe annos circiter 40. aut 41.

Ex qua recenſione illud videre eſt, inter 37. vel 38. Autores Eccleſiaſticos, de re perhibentes, 24. vel 25. extare, qui diſerte tradunt, Jeſum Chriſtum morte affectum anno 30. ætatis ſuæ: & propterea mors hæc pretioſa contigit certe anno 15. Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus, ut plerique eorum exiſtimarunt. Et quidem dicendum erit, Salvatorem noſtrum, tot annos natum terras deſeruiſſe; quoniam præter hoſce 24. aut 25. Patres, alii quoquo ſeptem unum tantummodo annum ipſi addunt, & quatuor Scriptores attexunt illi duos vel tres. Quod eſt Panodori, non video, unde hauſerit, Jeſum Chriſtum annos 40. aut 41. attigiſſe: niſi ſi plus æquo ad verbum intellexiſſet illa Judæorum: *Quinquaginta annos nondum habes*. Atqui non crediderim, Hiſtorici hujus dictum poſſe Traditioni tam bene firmatæ fucum facere; eoque magis, quo Auctoris hujus opinio videtur Evangelio refragari, quod Servatoris mortem ſub Pilato ponit. Porro ſi Jeſus quadraginta annos egiſſet, hujus Præſidis tempore mortem non oppetiiſſet; quippe e Judæa diſceſſit ante obitum Tiberii. Habes igitur quo tandem recidat exagerata hæc Petrum diviſio.

Interea ex his omnibus colligamus: 1. Secundum Patrum Eccleſiaſticorum Traditionem, Jeſum Chriſtum annos circiter triginta confeciſſe.

2. Antiquitati univerſæ, præter unum Panodorum, perſuaſum fuiſſe, Chriſto necem illatam ad annum ejus potius triceſimum, quam quadrageſimum: quo funditus corruit opinio Autoris Chronologiæ Sacræ, ejuſque Sectatorum, veluti Alexandri, Tillemontii, & aliorum quorundam, qui contendunt, Jeſum Chriſtum annum agentem 37. animam dediſſe. Hi etenim ne unum quidem recitare Autorem poterunt, qui hactenus Salvatoris Paſſionem protulerit; quod opinionem hanc ſemper incertam efficiet.

3. Nullam ferme reperiri Traditionem, quæ tot Patrum Eccleſiæ vetuſtiſ-

tuſtiſſimorum & celeberrimorum teſtimonio confirmetur.

4. Regulam, ab Alexandro nobis objectam, Vincentii Lirinenſis Traditionem hanc violare non poſſe, quæ cum non ad Fidem, ſed ad pias opiniones ſpectet, haud oportet, eam perpetuo, atque ab omnibus receptam fuiſſe: *Quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus fuit propagatum*. Quot Traditiones ad hanc diem paſſim amplectuntur omnes, etſi tam firmiter teſtatæ non ſint, atque eſt hæc noſtra?

Denique oppoſitionem nonnullorum Patrum, ab opinione communi recedentium, non efficere, ut Traditionem hanc relinquere debeamus. Anne mirum eſt, tot inter Scriptores Eccleſiaſticos exiſtere quoſdam, qui a via aliis trita diverterint? Æquidem anceps ſum, nonne ulla ſupereſſet Traditio, ſaltem Eccleſiaſtica, atque hujus plane generis; ſi oporteret, omnes Patres in idem ſine ulla diſſenſione conſpirare.

Hæc tamen, quæcumque eſt, Patrum diſſenſio, ajunt Autor Chronologiæ Sacræ & P. Alexander, jus nobis tribuit, ut ſententiæ ipſorum nuncium remittamus, controverſiam rurſus, aliiſque principiis excutiamus; & nemo nobis hac de re illorum autoritatem opponat. *Quamobrem*, ait Alexander, *nullus nobis obſtrepat, nobiſque inſultet, velut venerandæ antiquitatis deſertoribus. Nullus nobis opponat autoritates Patrum..... Nullus opinionem noſtram nomine traducat novitatis.*

Aut. Chron. c. 32. Alex. Hiſt. ſac. 1. Diſſ. 2. quæſt. 3. propoſ. 1.

At ſi argumentatio hæc quidquam valeret, nonne jus idem nobis tribueret non audiendi effata Chronologiæ atque Aſtronomiæ, quæ tantopere magnificantur? Nonne diſcrepant multo magis inter ſe ii, qui innituntur calculis Chronologorum atque Aſtronomorum pro ſtatuenda Nativitate & Morte Chriſti? Cauſſaberis ne, aut ſcientiæ hujus utriuſque regulas tutas non eſſe, aut Criticos male eis uti; quod videlicet ex iiſdem initiis tot pugnantes adeo conſecutiones eliciant? Quamcumque demum huic Sapientum admirandæ repugnantiæ afferas cauſam, minor certe erit, ut oſtendimus, Autorum Eccleſiaſticorum diſcrepantia.

Æquius igitur eſt, autoritatem ſequi Patrum, quam Aſtronomorum ratiocinationes: teſtimonium citius fere unanime Veterum, fonti propiorum, quam ſententias Recentiorum, tam a fonte remotas.

§. II.

§. II.

Argumentum Secundum.

A falſis Pilati Actis, atque a Patrum in Calendario evolvendo deceptione deſcendit Traditio hæc.

AUtor Chronologiæ Sacræ, cum probe ſenſerit, jactatam Patrum diviſionem non obeſſe, quin ipſorum teſtimonium magni ſit momenti ad aſſerendam Traditionem de Jeſu Chriſto, 30. annorum ætate vita functo; ad alia argumenta ſe contulit, ſibique viſus eſt, Traditionis hujus fontes aperuiſſe, qui duo ſunt, qui ſequuntur.

Primum his verbis effert: *Circumferebantur quædam Acta Pilati, ut refert Epiphanius Hæreſi* 50. §. 1. *in quibus erat ſcriptum, Chriſtum octa-* „ *vo Calendas Aprilis paſſum*. Idem poſtea ſubjungit: Patres, attenden- „ tes magis ad dies hebdomadæ, quam ad Lunæ curſus, opinati ſunt in „ rem eſſe, evolvere retrocedendo Cyclum Litterarum Dominicalium, „ & ſiſtere in anno, in quo dies 25. menſis martii eſſet Feria ſexta; quod „ revera deprehenderunt accidiſſe anno 74. Juliano, nimirum viceſimo „ nono Æræ noſtræ, 15. Imperii Tiberii, Duobus Geminis Conſulibus, „ Littera Dominicali B. indicante Feriam ſextam, ſignatam in noſtro Ca- „ lendario Littera G. quæque 25. Martii reſpondebat. Ecce, per Autorem noſtrum, alterum caput deceptionis Patrum.

Autor Chron. Sacra c. 40.

Quo in loco mirum ſane ſit, non eſſe ſatis Criticis recentioribus, Doctorum Sanctorum teſtimonium deſerere eo prætextu, quod inter illos de re noſtra non convenit; tertio quoque verbo repetere, in cauſſa eſſe gravium errorum, in quos incurrerunt, quia nimirum quibuſdam cognitionibus carerent: niſi eos loquentes inducant hac ratione, tam parum recta, ne dicam ſummis Viris illis indigna. Autor Chronologiæ ſacræ, qui propter ſuam reconditam eruditionem Sapientum omnium exiſtimationem meretur; hic, inquam, profecto exigui erga veteres Patres obſequii ſui, quod hoc loci apparet, pœnas æquas luit vitiis illis, in quæ ipſe quoque incidit, paucis tantum verſiculis, quæque in Viro tantæ doctrinæ excuſari nullo modo poſſe videntur. Hæc quidem dixerim illum in ſe admiſiſſe fato neſcio quo, communi iis, qui adverſus magna hæc Eccleſiæ lumina inſurgunt, quique undecunque poſſunt res augent, ut præjudicia ſua tueantur.

Initio ipſo ſciſcitamur a præſtanti Critico noſtro, qui fieri potuerit, Veteres Patres hauſiſſe menſem & diem mortis Chriſti ex Actis Pilati, quæ pro-

prodierunt poſt unum vel duo ſæcula, quam florerent Scriptores Eccleſiaſtici multi, qui pretioſam hanc mortem conſtituerant anno 15. Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus?

Actorum Pilati non unum genus eſt. Alia confecta fuerunt ab Ethnicis tempore Diocletiani, ut autor eſt Euſebius: alia ab Hæreticis inventa, vel germana corrupta, ut deinceps ſubjiciemus. His poſtremis utebantur Quartodecimani, in quibus extat citatus locus de Chriſto mortem obeunte 25. Martii, aut 18. ſecundum alios; deque his meminit Epiphanius, cum ait, ſe iſtorum exemplaria multa vidiſſe. Porro, quoniam hæc falſa Pilati Acta excogitata ſunt ſæculo IV. nullo modo fieri potuit, Sanctum Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Julianum Africanum, & S. Hyppolitum Portuenſem ex his decerpſiſſe, Jeſum Chriſtum neci datum 25. Martii, anno decimo quinto Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus. *Euſeb. Hiſt. l. 9. c. 5.*

Quis animo concipiat, Patres Eccleſiæ tantæ vetuſtatis & celebritatis alia penes ſe monumenta non habuiſſe, præter ea tam contemnenda, quam erant Acta, Pilati nomine propagata, quorum falſitas cunctis perſpecta erat: non habuiſſe, inquam, monumenta alia, in quibus confirmarent Factum hoc hiſtoricum, tanti in Eccleſia momenti? Quænam injuria major inferri poterat Sanctis Doctoribus iſtis, quam ipſis hallucinationem tam indignam tribuere?

Quis credat, Philaſtrium Epiſcopum Brixienſem, & S. Ambroſio æqualem, cum loqueretur de anno mortis Chriſti, qui per eum occurrit triceſimo, aut prope, ejus ætatis anno, idque aſſereret: *Sicut Beatiſſimi tradiderunt*; S. Proſperum, cum diceret: *Uſitata Traditio habet, Dominum 15. Tiberii Cæſaris, duobus Geminis Conſulibus crucifixum*; S. Auguſtinum, cum ſcriberet: *Mortuus eſt Chriſtus, duobus Geminis Conſulibus, ſicut Diſcipuli ſuis ſenſibus probaverunt*: Denique, ne plures huc afferam Patres, Paulum Oroſium, cum eadem affirmaret, *ut antiquiores habent Libri*: Quis credat, inquam, Sanctos Doctores iſtos verbis memoratis Acta Pilati indicare voluiſſe, & vetuſtam Traditionem iſtam e contaminatis his fontibus ad nos derivaſſe? *Aug. de Civ l. 18. cap. ult.*

Magnam haberemus gratiam Autori Chronologiæ Sacræ, ſi æqui bonique faceret nos docere, quiſnam eſſet hic Cyclus Litterarum Dominicalium, in quo, retrocedendo, Patres invenerunt, Jeſum Chriſtum obiiſſe diem ſupremum 25. menſis Martii, uti ex Actis Pilati didicerant: *Satis eſſe arbitrati ſunt ſuo Litterarum Dominicalium Cyclo retrorſum acto, in annum inquirerent, quo feria ſexta die Martii 25. acciderat*. Duplex ſolummodo Cyclorum Litterarum Dominicalium genus primis Eccleſiæ ſæculis ponere fas eſt: ſive illud, quo utebantur Ethnici; ſive illud, quo Chri-

ſtiani: neutrum tamen Patres conſulere potuerunt, ut ex eo Chriſtum 25. menſis Martii mortuum eſſe cognoſcerent.

Quanquam etenim primi Chriſtiani ſervaverint eadem nomina menſium Romanorum, eundem numerum dierum, eandemque intercalationem diei in anno Biſſextili; nihilominus ſuſtulerunt a Calendario Romano vel Juliano Litteras Nundinales, quæ indicabant dies Comitiorum, vel Feriarum, aliaſque earum loco poſuerunt, quæ diem Dominicum, ceteroſque hebdomadæ dies deſignaret; & pro Feſtis profanis, Ludiſque Romanorum redegerunt in ordinem veræ Religionis Feſta & Ceremonias. Hoc animadverſo, de quo nefas eſt cuique dubitare, non videtur ulla ratione probabile, Patres, de quibus ſuperius, evolviſſe Cyclum Litterarum Dominicalium, qui in more erat apud Romanos, ut annum inquirerent, quo 25. menſis Martii cum die Veneris concurrebat.

Licet etiam Jeſu Chriſti ætate, primiſque Chriſtianitatis ævis nullus eſſet Litterarum Dominicalium Cyclus præter eum, qui a Julio Cæſare digeſtus fuerat; audebit ne quis affirmare, hunc eſſe, quem Patres in conſilium adhibuerint? Præterquam quod enim diſpoſitus ea ratione non erat, qua poſtea fuit conſequentibus temporibus; non ſit credibile, Eccleſiam illum adhibuiſſe, quin antea profanis rebus expurgaſſet, & multa alia in eundem intuliſſet. Quamobrem non potuit hic eſſe Cyclus ille Litterarum Dominicalium, ex quo Patres, ut opinatur Autor noſter, annum conquiſiverunt diei 25. Martii, die Veneris occurrentis.

Roſinus Antiq. Roman. l. 4. c. 2. & 3. Dempſter. ibid. c. 4. Paralip.

Quod attinet autem ad Cyclum Solis, qui eſt converſio 28. annorum Julianorum, quemque Autor noſter appellat Cyclum Litterarum Dominicalium, incertiſſimum eſt, an ante Concilium Nicænum obtinuerit, & quando nam fuerit inſtitutus. *Quando nam*, inquit Petavius, *inſtitutus ſit iſte Cyclus, compertum non habeo*: additque, Scaligerum divinare voluiſſe, cum ſcripſit, id factum anno 328. Æræ noſtræ, nimirum tertio ante Nicænam Synodum anno. Porro §. ſequenti probabimus, Cyclum hunc uſitatum Eccleſiæ fuiſſe medio duntaxat ſæculo V. Atque adeo conjectatio ſine ratione eſt, Patres retrogrado curſu inveſtigaſſe in Cyclo Litterarum Dominicalium dies & menſem, de quibus controverſia eſt: quandoquidem Cyclus hic ignotus fuit omnibus Doctoribus, quorum attulimus loca, & ante medium V. ſæculum floruerunt.

Petav. de doctrina temp. l. 6. c. 28.

At vero demus ultro, Patres in promtu habuiſſe Calendarium, catenus diſpoſitum, ut Autor noſter contendit. Hoc poſito, nos, quæſo, doceat, unde factum ſit, priſcos Doctores, evolventes, per ipſum, Litterarum Dominicalium Cyclum, & deprehendentes annum 85. Julianum, qui eſt 40. Æræ noſtræ, & 4. Imperii Caii, ipſo Cajo & Gelio Puplicola Conſulibus: unde, inquam, factum ſit, Patres eo anno Mortem Jeſu

Chri-

Chriſti non ſtatuiſſe; quoniam quidquid poſtulat doctus noſter Criticus, eo anno congruit, B. Littera Dominicali, & 25. martii die Veneris.

Hæc ſententia eo probabilior videri debuiſſet antiquis Patribus iſtis, quo contendit Autor noſter: *ad antiquiorum illorum, qui Apoſtolos viderant & audierant, placitum ſe potius accedere, qui conſtanter teſtati ſunt, quod Chriſtus ad ætatem vergeret maturiorem, cum doceret.* Quare ſpeciem veri habet, ſi Patres Traditionem hanc tenuiſſent, debuiſſe apponere Mortem Chriſti anno Juliano 85. qui tum ætatis egiſſet circiter quadrageſimum. Cum itaque Sancti Doctores, ſuum Litterarum Dominiealium Cyclum evolventes, non ſteterint huic anno, id argumento eſt, rationem hanc inveniendi annum Mortis Chriſti, quam ipſis tribuit Autor noſter, eos latuiſſe; non ſecus atque Traditionem ſerentem, Jeſum Chriſtum, dum munere docendi fungebatur, ad maturiorem ætatem declinaſſe. *Autor Chron. c. 42.*

Quod ſi Patres antiqui alia momenta non habuiſſent præter Acta Pilati, quæ referunt, crucifixum fuiſſe Jeſum die Veneris 25. Martii, neque viam aliam ſectati fuiſſent, niſi evolvendi Litterarum Dominicalium Cyclum; potuiſſent pariter Mortem Jeſu Chriſti locare 80. anno Juliano; videlicet Æræ noſtræ 35. Tiberii 22. Ceſtio Camerino & Servilio Rufo Conſulibus; ſi quidem B. eo anno erat Littera Dominicalis, & 25. Martii dies Veneris.

At ſatius non putavit eſſe Autor noſter, ut Patres conſulentes Cyclum Lytterarum Dominicalium, ſiſterent in 40. vel 35. Æræ noſtræ; ſed eos progredi voluit ad uſque 74. Julianum, qui eſt communis Æræ 29. & 15. Imperii Tiberii ſub duorum Geminorum Conſulatu. *Non alium annum repererunt, quam Julianum 74. hoc eſt dictum Æræ noſtræ 29. Imperii Tiberii 15. quo duo Gemini Conſulatum geſſere.* Interim tamen ſi argumentatio ipſius quidquam momenti haberet, nihil attinebat ad conſilium, Patribus appoſitum, eos fatigare in pervolvendo Litterarum Dominicalium Cyclo ad annum uſque 29. Æræ vulgatæ: idque eo magis, quo annis 40. & 35. ejuſdem Æræ 25. Martii inciderat in diem Veneris, ſicuti anno 29. Littera B. æque erat tribus iſtis annis Dominicalis; & Littera G. quæ per Autorem noſtrum nota eſt diei Veneris in noſtro Calendario, 25. Martii reſpondet: *Fuit Littera Dominicalis*, ita habet, *quæ Feriam ſextam in Littera G. atque in 25. Martii indicaret in noſtro Calendario.* *Autor Chron. Ibidem.*

Quapropter dubitandi locus eſt, anne veniam daturi ſint Ratiocinatores Scriptori noſtro, quod affirmaverit, B. fuiſſe Litteram Dominicalem, indicentem in Cyclo, a Patribus, ut ait, evoluto, Feriam ſextam; quia nimirum Littera G. reſpondeat in noſtro Calendario 25. menſis

Martii. Hæc nanque argumentatio pro certo ponit, ante ſæculum IV. immo S. Clementis Alexandrini, Tertulliani, atque Origenis ætate extitiſſe Cyclum Litterarum Dominicalium; hunc retuliſſe Litteras Dominicales ita diſpoſitas, ac modo ſunt in noſtro Calendario, & digeſtæ fuerunt temporum conſecutione: quæ duo æquæ carent ratione, & propugnari nullo modo poſſunt.

§. III.

Argumentum Tertium.

Patres, minus periti de motu Solis & Lunæ, nequiverunt aſſequi tempus Mortis Jeſu Chriſti: quod vitium alia ratione ſuppleverunt.

HOC obtentu Critici hujus ætatis in iſta quæſtione autoritati Patrum ſe ſubducunt. Autor Chronologiæ Sacræ, quem ſecuti ſunt Lamius, Alexander, aliique bene multi, perſpicue loquitur in rem hanc. *Quare illi Patres antiquiores cum Solis Lunæque ratiocinia minus comperta haberent*. Sed paratum eſt, hanc ex animis Sapientum noſtrorum dubitationem evellere, ſi modo attendant, primum Cyclorum uſum poſitum fuiſſe in reſtituendis poſt certum annorum orbem Neomeniis ad priſtinum ordinem, utque cœlorum motibus, quanto magis fieri poſſet, reſponderent.

Autor Chron. ſacra c. 40.

Cycli omnes, a Græcis excogitati, qui duos, quatuor, octo, ad ſummum ſexdecim annos non exceſſerunt, gravibus mendis affecti ſunt. Metonius Athenienſis, celebris Mathematicus, ut Cyclos iſtos corrigeret & perficeret, anno circiter 321. ab Urbe condita *Enneadecaeteriden* ſuam in vulgus edidit, nimirum Cyclum undeviginti annorum, quo contenderat, curſum Solis Lunæ curſui accommodare, atque efficere, ut ab eodem puncto anni cum Solares tum Lunares inciperent. Cyclus hic paſſim omnibus probatus fuit quadringenteſimo ante Nativitatem Domini anno. Sed Calippus Mathematicus Cyzicenus, Metonio minor ævo, cum animadvertiſſet, hujus Cyclum omnibus numeris abſolutum non eſſe, alium propoſuit ſeptuaginta ſex annorum, qui quater Metonianum comprehendebat. Hunc porro ubi expendit Hypparchus, deprehenditque perfectum omnino non eſſe, alium confecit trecentorum & quatuor annorum, aut trecentorum duntaxat.

Chriſtiani quoque non caruerunt Cyclis ſuis. Celeberrimus omnium 84 annorum fuit, & de eo meminit S. Cyrillus Alexandrinus in Prologo ſui Cycli Paſchalis, inventum fuiſſe, ut Judæorum pravitati objiceretur.

veretur. *Illi*, ait, *qui Judæorum pravitati reſpondere conati ſunt, & 84. annorum Cyclum inſtituerunt*. Sanctus item Hyppolitus Epiſcopus & Martyr alium ſexdecim annorum exaravit: ſed non multo poſt abjectus eſt propter nimiam brevitatem, & reſtitutus uſus Cycli 84. annorum. Dionyſius tandem Alexandrinus, Zeno Veronenſis, aliique nonnulli Cyclos ediderunt.

At hos inter omnes nullus eſt tantæ apud Veteres gravitatis, vel apud nos uſus, atque Cycli Solis & Lunæ. Eos Chronologi non modo adhibent ad ſtatuendas Ferias, Novilunia, & Plenilunia, ſed hi quoque Cycli notæ veluti ſunt annorum Julianorum, quos cuique anno affinxerunt, ut illos inter ſe diſtinguerent; tempus Factorum hiſtoricorum definirent; diemque menſis, quo acciderunt, monerent; nec non quo die uniuscujuſque anni Feſtum Paſchatis celebrandum eſſet.

Hæc narratio neceſſitatem habebat ad perſuadendum Lectori, primis videlicet Eccleſiæ ſæculis Chriſtianos, ut annum Mortis Chriſti perciperent, ad Cyclos Solis & Lunæ non ſe recepiſſe. Quod eſt Cycli Lunæ 19. ſive Numeri aurei, opinio eſt, eum ab Euſebio Ceſaræenſi confectum fuiſſe, de quo adnotavit Ven. Beda, illum Eccleſiam ſtatim recepiſſe, & Nicænam Synodum confirmaſſe. Quare conſtans eſt, Cyclum hunc non obtinuiſſe in Eccleſia ante ſæculum IV. Græci ipſi eodem paſſim uſi non ſunt ante Diocletiani Imperium; atque anno tantum quadrageſimo, vel prope, ante Concilium Nicænum Epiſcopi Alexandrini cæperunt mentionem habere hujus Cycli 19. annorum, de quo ne verbum ab ullo quidem antehac factum fuerat.*

Euſebius Ceſaræenſis narrat, Anatolium ſapientiſſimum Antiſtitem labentis Ævi III. primum eſſe, qui dixerit: „Novilunium primi menſis „primi anni initium eſſe Cycli 19. annorum, & ejuſdem menſis 14.am „Paſchati deſignatam fuiſſe. Quod monet, Cyclum hunc innoteſcere tum cæpiſſe, vel ab Anatolio digeſtum fuiſſe, ut cenſuit Calviſius: *Anatolius in Ægypto Cyclum decemnovemnalem primus compoſuit*. *Euſeb. Hiſt. L. 7. c. 32.*

Quod attinet vero ad Cyclos Solis 28. annorum, ferunt, Victorium aut primum eſſe aut præcipuum autorem eorum uſus in Eccleſia Latina. Cum eruditus hic Aſtronomus Cyclum hunc 28. annorum ex alio 19. annorum multiplicaſſet, inde conſtruxit periodum ſuam 532. annorum, in qua Lunarum, & Litterarum Dominicalium Orbem complexus eſt. Ad tempus uſque Periodi Victorianæ Chriſtiani calculos ſub- *Calvis. Iſagoge Chron. c. 16.*

* *Diſſenſiones de Paſchate, cum Cyclus Lunæ temporibus Diocletiani inventus doctis innotuiſſet, ſopitæ ſunt. Ante Diocletianum, ſi Cyclus Lunæ fuiſſet, in tantas flammas exardeſcere non potuiſſent*. Calvis. Iſagoge Chronol. c. 16. *Manifeſtum eſt, Julium Cæſarem nequaquam aureum numerum inveniſſe, cum Julianum annum conderet*. Calviſius ibidem.

duxe-

duxerant ab annis Urbis conditæ, Imperatorum, Conſulum; atque ab annis Olympiadum ad initium uſque ſæculi IV. Fruſtra itaque aſſerunt Aſtronomi, Eccleſiæ Patres aut negligentes, aut non ſatis animum attendentes ad motus Solis & Lunæ, non modo de tempore Mortis Chriſti hallucinatos fuiſſe, ſed in re quoque tanti momenti inter ſe diſſenſiſſe. Neque etenim ea ſupputandi ratione uti poterant, quæ nondum increbuerat.

Et profecto haud patet, Auctores Eccleſiaſticos alia principia poſuiſſe, unde annum Chriſti patientis eruerent, niſi regulam ab Auguſtino conſtitutam, quæ in univerſum ante & poſt Patrem iſtum ſervata eſt. *Per Olympiadas*, inquit, *& Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Conſulatus, qua natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, multos coegit errare. Et annorum quidem*, ſubdit, *fere triginta baptizatum eſſe retinemus autoritate Evangelica; ſed poſtea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipſo actionum animadverti poſſit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria Gentium collata cum Evangelio liquidius certiuſque colligitur*. Hac certe via & ratione Patres a nobis citati ducti ſunt, qua Mortis Jeſu Chriſti annum decernerent. Convenit inter omnes, Evangelio fultos, Jeſum Chriſtum non exercuiſſe munus ſuum, niſi poſtquam a Joanne baptizatus fuit; & tum annum circiter triceſimum attigiſſe. Nemo unus diſſentit eum Cruci ſuffixum fuiſſe aliquanto poſt annos triginta ætatis ſuæ. Demum hunc omnes conſtituunt anno 15. Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulatum gerentibus.

Aug. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 28.

Quibus poſitis facile videre eſt, Sanctos Doctores non indiguiſſe Cyclis Solis & Lunæ, ut annum Mortis Jeſu Chriſti compertum haberent; neque duces hujus rei tutiores eos ſectari potuiſſe, quam qui ætate ſua moris erant, ſcilicet Epocas in Conſulum nominibus, atque Imperatorum annis firmatas. Conjiciat tantum oculos in Patrum illorum loca, quos in ordinem Traditionis noſtræ digeſſimus, quicumque perſuadere ſibi velit, eos ita plane ſe geſſiſſe. Cumque ſupputationes iſtæ annorum vitæ & Mortis Jeſu Chriſti jungantur optime, & reſpondeant vetuſtæ Traditioni, quam plerique ipſorum teſtantur diſertis verbis, ſe a Deceſſoribus ſuis accepiſſe: quoddam nobis evidentiæ genus efficiunt, Sanctos Doctores iſtos hallucinatos non eſſe in annis Vitæ & Mortis Jeſu Chriſti; quamquam imperiti omnino fuiſſent motuum Solis & Lunæ, uti perpetuo urgent Critici noſtri.

Verum enim vero qua id Paradoxon confirmant ratione? Si ponas in trutina Opera plerorumque SS. Patrum e primis Ævis, atque adeo illorum, quorum teſtimonio Traditionem noſtram ſtatuimus, neceſſe erit

erit fateri, eos parum adeo calentes non fuiſſe Aſtronomiæ, atque iſti perſuadere nituntur. Quot ex ipſis de Hiſtoria, de Chronologia, iidemque de Paſchate Tractationes ediderunt? Qui porro incumbere accurate poteſt rebus iſtis, quin vel mediocriter imbutus ſit motu Solis & Lunæ, nec non ſupputationibus Aſtronomicis? Atque illud certe affirmare opus eſt, Patres priorum ſæculorum multos, præſtantes fuiſſe in doctrina curſus Solis & Lunæ; quoniam ut alibi adnotavimus, tot egregios nobis de Paſchate Tractatus reliquerunt; Cycloſque, quibus menſem & diem celebrandi Paſchatis moderarentur, compoſuerunt.

Animad. in Reg. & Uſum Crit. Tomo 2. l. 4. Diſt. 3. art. 4. & 5.

Illud ſaltem nemo nobis inficiabitur, poſt Concilium Nicænum, immo ante, plures extitiſſe eruditos Antiſtites, atque excellentes Aſtronomos, qui ſedem Alexandrinam impleverint, vel in Ægypto commorati ſint; quandoquidem, ſicuti animadvertit S. Leo Papa, Patres primi Concilii Generalis Patriarchæ hujus Eccleſiæ munus demandaverant, ut in annos ſingulos indicaret, quo die Paſcha recolendum eſſet. Ratio vero, quæ a Leone adducitur, eſt: *Quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita videbatur eſſe peritia*. Nunc autem repetent ne rurſus Critici noſtri: *Illi Patres antiquiores, cum Solis & Lunæ ratiocinia minus comperta haberent?*

S. Leo Epiſt. 1. ad Marcianum

Hac de re ſi Doctores veteres ex Aſtronomiæ principiis controverſiam hanc minime expenderunt, non idcirco factum eſt, quod Solis & Lunæ ratiocinia minus comperta haberent; ſed quod crederent, nullam hujus inveniendi temporis rationem certiorem eſſe, quam audire conſtantem Eccleſiæ Traditionem, Hiſtoria profana fultam; ſine qua dirimi quæſtio nullo modo poteſt.

Ut autem noverimus, nunquid cauſſæ fuerit ementitis Aſtronomis noſtris, ut exprobrarent Eccleſiæ Patribus Solis & Lunæ motuum imperitiam, qua fieri non poterat, ut verum Jeſu Chriſti patientis tempus aſſequerentur; Aſtronomos alios conſulamus, nihil, ac ipſi, minus in diſciplinis Aſtronomicis verſatos. Primus omnium ſe prodit in medium Kepplerus, quem nemini dubium erit, ſapientiſſimum fuiſſe temporum noſtrorum Aſtronomum. Hic porro ita habet: *Valde decepti ſunt noſtri Aſtronomi, his ultimis centum quinquaginta annis, qui ex ſua perfecta Aſtronomia, plenilunia ad Chriſti tempora; ex pleniluniis, feſta Judæorum; ex his & concurſu feriæ, annum Paſſionis auſi ſunt determinare alium, quam Veteres, ætati Chriſti proximi, tradiderunt.*

Kepplerus in Eclogis Chron. pag. 30.

Ita peritus hic Mathematicus animadvertit in falſo habitos Aſtronomos iſtos, qui putant, omnia concedenda eſſe ſuis Aſtronomicis ſupputationibus; atque hac aſſumpta ratione, contemnunt teſtimonia Patrum, qui proximo Chriſto tempore vixerunt. Kepplerus autem, ut Aſtronomos

iſtos convincat, ad hane quæſtionem diſſolvendam ſatis non eſſe eorum ratiocinationes, addit: *Si quis hodie, omiſſo computo Eccleſiaſtico oberrante, ex Aſtronomia perfecta, accommodatis Decretis Nicæni, quæ jactantur, computaret Paſchata ſuperiorum Sæculorum, is celeberrime aberraret ab uſuali Paſchate; & vix unquam juſtum Hiſtoriæ annum aſſequeretur.*

Petav. de doctr. Temp. l. 12. c. 11. Baron. ad an. 34. n. 153.

Petavius quoque, aliique non pauci Aſtronomi præclari concinunt cum Kepplero, certum eſſe atque exploratum, in celebrando Paſchate eos fore obnoxios erroribus multis, qui obtentu falſitatis in Eccleſiaſtica ratiocinatione, conarentur dirigere Feſta Paſchalia ex perfectæ Aſtronomiæ principiis, eaque ad Concilii Nicæni Decreta accommodare. Cujus rei exempla multa affert Papebrochius; atque uterque concludit, fruſtra Aſtronomos ſe alioſque fatigare in ſerutando vero tempore Mortis Chriſti ope accuratarum ſuarum rationum; prudenteſque artis hujus magiſtros fateri bona fide, diſputationem hane non eſſe principiis Aſtronomicis decidendam. Licet igitur verum eſſet, quod ait Autor Chronologiæ Sacræ, Patres peritos haud fuiſſe motuum Solis & Lunæ; id non obeſt, quin rite & recte tenere potuerint tempus Mortis Chriſti, immo ipſos hujus mortis menſem & diem indicare.

Papebrochius in Propylæo ad Acta SS. Maii Tomo 4. p. 2. pag. 50.

ARTICULUS V.

Traditio veterum Patrum fert, Jeſum Chriſtum e vita migraſſe VIII. Kalendas Aprilis Feria ſexta, decimaquinta Luna Menſis Niſan.

NON putaverim, quempiam fore, qui audeat inficias ire, Jeſum Chriſtum exceſſiſſe a vita Feria ſexta, 15.ª Luna primi menſis; præterquam quod enim Evangelium diſerte habet, eum obiiſſe *Paraſceve Paſchæ*, quod erat dies Veneris; Traditio quoque univerſa ſibi conſonat in re hac. Non me quidem præterit, aliquibus ab hinc Ævis, opinionem affirmantem, Salvatorem noſtrum animam fudiſſe VIII. Kal. Aprilis, non modo ſectatores non habere, ſed videri deſparatæ admodum defenſionis, ut pote ab Aſtronomicis Calculis abhorrentem. Nihilominus Sancti Patres, fonti propriores, ac ſimus nos, nobis conſtantiſſime tradiderunt, Jeſum Chriſtum ſpiritum reddidiſſe die 25. menſis Martii: atque adeo mea intereſſe exiſtimavi, eam viribus omnibus tueri, tanquam teſtatiſſimam, atque Aſtronomicis ratiocinationibus optime reſpondentem.

Ter-

Tertullianus primus eſt, quem noverim inter Eccleſiæ Patres, litteris conſignaſſe, Chriſtum Mortem oppetiiſſe VIII. Calendas Aprilis. *Paſſio perfecta ſub Tiberio Cæſare, Conſulibus Rubellio Gemino, & Rufino Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII. Kalendarum Aprilium, die prima Azymorum*. S. Auguſtinus nihilo obſcurius ſcribit: *Sicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit autoritas, VIII. Kalendas Aprilis conceptus traditur, quo & paſſus ...... Natus autem traditur octavo Kalendas Januarii*; atque alibi: *Mortuus eſt ergo Chriſtus Geminis Conſulibus VIII. Kalendas Aprilis*.

Tertull. lib. contra Jud. c. 8.

Aug. l. 4. de Trin. c. 5.

De Civ. Dei lib. 10. cap. ult.

Qui quidem S. Auguſtini locus non levi animadverſione dignus eſt, cum non modo diem a nobis præfinitum deſignet; ſed illum ſe præfiniviſſe dicat: *ſicut a Majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit autoritas*. Ceterum quandoquidem unum Patris hujus teſtimonium ſufficeret huic ſtatuendæ Traditioni; non prætermiſerunt Autor Chronologiæ Sacræ atque Alexander, ut illud extenuarent, cauſſati, quidquid aſſerit Auguſtinus de Traditione Eccleſiæ, intelligendum eſſe de die Conceptionis & Nativitatis Chriſti, non vero de die Mortis, de quo obiter duntaxat meminit. Verum prætcrquamquod verba Auguſtini æque recidunt in Conceptionem & Mortem: *Octavo Kalendas Aprilis conceptus traditur, quo & paſſus*; eodem etiam loco Sanctus Doctor hæc ſubjungit: *Mortuus eſt Chriſtus duobus Geminis Conſulibus VIII. kalendas Aprilis, & reſurrexit tertia die, utpote ſexto earundem kalend. ſicuti Apoſtoli ſuis ſenſibus probaverunt*. Quæ verba monere videntur, Traditionem hanc ab Apoſtolis tanquam teſtibus ad poſteritatem *deſcendiſſe*.

Autor Chron. c. 39.

Alios quoque Scriptores Eccleſiaſticos non fugit hæc Traditio. Lactantius ait, *Chriſtum mortuum eſſe VIII. Kalendas Aprilis*. In eadem ſenſa loquitur perſpicue Victorius: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, VIII. Kalend. Aprilis Crucifixus eſt, & ſepultus, tertia die, hoc eſt VI. Kalendas Aprilis reſurrexit a mortuis*. S. Iſidorus Hiſpalenſis, adnotavit, eodem die Jeſu Chriſti mortem contigiſse. Caſſiodorus VI. ſæculi ſcriptor hæc teſtatus eſt: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus paſſus eſt VIII. Kalendas Aprilis, & defectio Solis facta eſt, qualis ante vel poſtmodum nunquam fuit*.

Lact. l. 4. Inſt. c. 10.

Vict. apud Petav. de Doctr. Temp. Tomo 2. pag. 888.

Iſid. l. 6. Etymol. c. 17.

Caſſiod. in Chr. ad ann. 520.

Ad hæc, nullum eſt exploratius argumentum, Eccleſiam probaſſe Traditionem hanc, quâm cum illam publice in Officiis legi conceſſit. Martyrologium, quod extat nomine D. Hieronymi id aperte notat: *Octavo Kalendas Aprilis Hieroſolyma Dominus crucifixus eſt: & ſexto Kalendas Aprilis Hieroſolyma reſurrectio Domini noſtri Jeſu Chriſti celebrata eſt*. In quodam D. Hieronymi Martyrologio, Litteris Anglicis ante annos mille deſcripto, mentio fit Mortis Jeſu Chriſti his verbis: *Octavo kalendas A-*

Henſch. Tom. 3. ad diem 25. Martii pag. 540

prilis Dominus crucifixus eſt. Quod idem videre eſt in triginta aliis Martyrologiis MSS. vel impreſſis, atque ab Henſchenio recitatis.

In vetuſto Martyrologio Romano, edito a Roſvveido, ſimul connectitur : *Annunciatio Dominica, & crucifixio*; idemque conſpicimus in pluribus aliis. Porro ſecundum Traditionem primum Myſteriorum iſtorum perfectum eſt VIII. Kalendas Aprilis, alterum igitur incidit in diem eandem. In antiquo Martyrologio MS. S. Maximini Trevirenſis hæc verba leguntur : *VIII. Kal. Aprilis Hieruſalem Dominus noſter Jeſus Chriſtus crucifixus eſt.*

Quanquam vero Traditio hæc unanimi conſenſione recepta fuerit *; nihilo tamen ſecius Sapientum plerique ab ea defecerunt poſt Rogerum Baconem Anglum e Minoribus S. Franciſci, qui exeunte XIII. ſæculo vivebat, atque in primis fuit, qui arma moveret adverſus Traditionem de Jeſu Chriſto, e vivis ſublato VIII. Kalendas Aprilis. Eandem deſeruere Paulus Brugenſis, Joannes de Muris, aliique non pauci; quod ſcilicet Tabulis Aſtronomicis adverſaretur.

Neminem latent controverſiæ, exortæ Eugenii IV. ætate, qui negotium conflare voluit Alphonſo Toſtato, quod propugnaret, Jeſum Chriſtum non ſubjiſse mortem die 25. Martii. Hanc Diſputationem Mariana in Hiſtoria Hiſpanica cap. 18. l. 21. fuſe perſecutus eſt.

Licet igitur Traditio hæc admodum negligi videretur, in ſpem veni fore, ut nemo moleſte laturus eſſet, me ex conſilio, mihi in hoc Opere propoſito, illam defendendam ſuſcipere, quoniam teſtatiſſima mihi videtur, neque multæ difficultatis removere ea, quæ contra feruntur, ut apparebit deinceps : immo oſtendi poſſe, eam nihil Tabulis Aſtronomicis repugnans præſeferre. Tandem conjecturas meas proponam, quid conferre potuerit, ut rejiceretur opinio priſcorum Eccleſiæ Patrum, quibus placuit Jeſum Chriſtum mortuum fuiſſe anno 29. Æræ vulgatæ, Feria ſexta, decimaquinta Luna menſis Paſchalis, & 25. die menſis Martii.

* Henricus Philiphus *in Quaſt. Chron. de annis nati & paſſi Chriſti cap.* 19. refert ſenſa pluſquam 30. Autorum hujus ætatis celeberrimorum, qui teſtati ſunt Jeſum Chriſtum VIII. Kal. Aprilis vivere deſiiſſe.

A R.

ARTICULUS VI.

An opinio ; ſtatuens Mortem Jeſu Chriſti VIII. Kalendas Aprilis, atque anno 29. Æræ vulgatæ, oppoſita ſit Traditioni Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ.

NUlla eſt certior nota, qua Traditio aliqua vel ſuppoſititia vel ſuſpicioſa eſſe deprehendatur, quam cum extent aliæ in rem eandem, neque minus vetuſtæ, neque minus firmæ. Atqui conſtat, inquiunt, in Eccleſia Græca & Latina non deeſſe Traditiones alias apprime diverſas ab ea, quam tuemur de menſe & die Paſſionis Chriſti.

§. I.

Secundum Eccleſiæ Græcæ Traditionem Jeſus Chriſtus mortuus eſt X. Kalendas Aprilis.

VIctor I. Papa cum Litteras dediſſet ad Theophilum Epiſcopum Cæſaræenſem, alioſque Orientis Epiſcopos, hortatus eos, ut Eccleſiæ Romanæ in Paſchate celebrando adjungerentur, & coercerent illos, qui Judæorum inſtar illud Luna decimaquarta recolebant, coactum eſt Concilium omnium Epiſcoporum Paleſtinorum anno 196.

Theophilus Epiſcopus Cæſaræenſis, Synodi Præſes, hæc verba protulit, Patrum ceterorum ſuffragiis probata. *Paſſus nanque Dominus ab undecimo Kal. Aprilium, qua nocte a Juda traditus eſt, & ad octavum Kal. Aprilis reſurrexit, quomodo ergo tres dies extra limitem excludentur?* Sibi viſus eſt Cardinalis Baronius, innixus hujus Concilii Decreto, poſſe opinionem veterum Patrum derelinquere, qui Mortem Jeſu Chriſti 25. menſis Martii die collocarunt, ut adhæreret Definitioni Concilii hujus, quod, per ipſum, conſtituit, Jeſum Chriſtum paſſum fuiſſe 23. menſis Martii. Quare probato Synodi Decreto, ſequitur: *qua ratione dicendum eſſet, Chriſtum paſſum eſſe nono Kalendas Aprilis.*

Apud Bedam opuſ. de Æquinoctio tomo 2.

Bar. ad ann. 34. num. 158.

Petavius eadem verba Concilii adhibet ad probandum, Jeſum Chriſtum mortem ſuſtinuiſſe 76. anno Juliano; ſiquidem Patres Concilii, inquit eruditus hic Chronologus, decreverunt, Salvatorem Cruce affectum fuiſſe 10. Kalendas Aprilis, atque a mortuis reſurrexiſſe 8. Kalendas ejuſdem menſis: *Fuit igitur Cyclus Solis 12. Littera G. ac proinde annus Julianus*

Petav. de doctr. Temp. l. 12. c. 12.

G 2 76.

Alex. ſæc. 1. Diſſ. 2 quæſt. 3. prop. 2.

76. Alexander eundem locum recitat, & non abſimiliter explicat. Pleriſque Græcis ſtetit opinio, inquit Savinus, Jeſum Chriſtum in Crucem elatum fuiſse die 23. menſis Martii, atque ad vitam rediiſſe 25. Quod confirmat Decreto Concilii Cæſaræenſis: *paſſus eſt Dominus ab undecimo ec.* Alii pariter Scriptores iiſdem Theophili verbis eandem ſententiam ſubjecerunt.

Savin. Canon. Temp. cap. 7. Ægid Buch. de 4. c. 8.

Interim tamen ſi attento animo Synodi illius mentem perpendas, perſuaſum tibi erit, illam nullum tuliſſe Decretum, quod a noſtra abluderet Traditione. Concilio itaque propoſitum erat tempus definire, quo Paſcha celebrandum eſſet. Qua de re poſtquam probavit, Deum condidiſſe mundum in Æquinoctio, 8. Kal. Aprilis, addiderunt Epiſcopi: *Et ab octavo Kalendas Aprilis, uſque in octavum Kalend. Majas legimus eſſe conſecratos* (dies), ut ſcilicet indicarent hos eſſe fines, extra quos Paſcha recolere non liceret.

Deinde Theophilus Patribus Synodi dixit, maxime laudabile futurum, Paſſionem Jeſu Chriſti, magnum quippe Myſterium eſt, a duobus his finibus non excludere: *Quomodo ergo tres dies extra terminum excluduntur?* Reſponderunt Epiſcopi, nefas eſſe, Dies tantorum Myſteriorum ab his finibus removeri, ſed illis concludendos eſſe illos tres dies. Habeto concluſionem Synodi. *Ergo ab undecimo Kal. Aprilium, uſque in undecimo Kal. Majarum Paſcha debent ſervare, &c. nec ante, nec poſtea cuique conſtitutum limitem tranſgredi liceat.* Hic eſt, niſi fallor, germanus verborum hujus Concilii ſenſus; neque enim modo de illorum veritate vel falſitate laboro.

Aut ſaltem illud compertum eſt, S. Leonem Pontificem anno 455. juſſiſſe ex Cyclo Eccleſiæ Alexandrinæ, celebrandum eſſe Paſcha uſque ad 8. Kal. Majas, ſcilicet diem 24. menſis Aprilis, qui nunc 25. eſt, cum ex adverſo Concilium Cæſaræenſe idem Feſtum 21. die præſtituerit. Qua fortaſſe de cauſſa Brideſerthius * differens de hoc Concilio, loquitur in hunc modum: *Hanc Epiſtolam ponere nolui, quia magis irriſionem præſtat inſipientibus, quam ædificationem ſapientibus; eo quod Dominum noſtrum XI. Kalendas Aprilis fuiſſe paſſum, & octavo eum reſurrexiſſe pronunciat, quod nimis abſurdum eſt.*

Bridef. in cap. 45. Ven. Beda de Temporatione.

At ipſe quoque fallitur eruditus Benedictinus, qui aliquanto plus obſequii Patribus Concilii illius deferre debuiſſet: cum mentem Decreti hujus apte non ſit aſſecutus; & crediderit, illud voluiſſe mortem Chriſti XI. collocare, & Reſurrectionem VIII. Kalendas Apriles; quod

* Brideſerthius Monacus erat Anglus, qui floruit X. ſæculo, & adnotationes in Librum de *ratione Temp* Ven. Bedæ conſcripſit.

ta-

tamen apertiſſime pugnat cum iis, quæ eodem loco a nobis allato paullo poſt ſequuntur.

Quæ cum ita ſint, aliorum erit pronunciare, an Baronius, Petavius, Alexander, aliique Viri docti Concilii hujus verba optime intellexerint; quando ex hoc loco: *Paſſus nanque eſt Dominus ab XI. Kal. Aprilis, qua nocte a Juda traditus eſt, & ad VIII. Kal. reſurrexit*, Jeſum Chriſtum obiiſse X. vel XI. Kal. Apriles, & revixiſſe VIII. exiſtimarunt. Liquet etenim verbis iſtis: *Paſsus nanque eſt ec.* Patres Concilii non ſtatuere diem mortis Salvatoris, neque Reſurrectionis; ſed ea ſignificare, primis Eccleſiæ ſæculis habitum fuiſse, perinde quaſi dies unus, totum illud tempus, quod Morte & Reſurrectione Jeſu Chriſti conſecratum fuerat; cum unum duntaxat ſacrificium fuiſſet incœptum in Paſſione, atque in Reſurrectione conſummatum.

Hæc autem non modo ſententia fuit Tertulliani, Auguſtini, aliorumque Veterum; ſed verba quoque Patrum Concilii Cæſaræenſis oſtendunt, hoc plane intellectu eos appellare, *Dominicam Paſſionem* Feriam V. VI. & Sabbatum Hebdomadæ Majoris, & circumſcribere tempus omne Paſſionis & Reſurrectionis ab XI. Kal. Apriles uſque ad VII. Kal. ejuſdem menſis: quo item ſenſu Tertullianus dicebat: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat; cum & Paſſio Domini, in quam intingimur, adimpleta eſt.* *Tertull. lib. de Bapt. cap. 19.*

S. Auguſtinus pariter numerat quinquaginta dies tum a Morte, tum a Reſurrectione Chriſti. *Ab occiſione & Reſurrectione illius quinquaginta diebus completis, congregatos in unum Fideles Spiritus Sanctus implevit*; & videtur eundem diem appellare Paſſionis & Reſurrectionis. Idem exprimere voluit Autor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ verſibus iſtis Leoninis. *Aug. lib. de Sp. & Lit. c. 16.*

Salve Sancta dies, quæ vulnera noſtra coerces:
Angelus eſt miſſus; eſt paſſus in Cruce Chriſtus;
Eſt Adam factus; & eodem tempore lapſus;
Corpora Sanctorum cum Chriſto multa reſurgunt.

Quæ animadverſiones facile ratum facient, Decretum Concilii Cæſaræenſis non habuiſse propoſitum, ut definiret, Jeſum Chriſtum mortuum fuiſse 23. die menſis Martii: atque adeo minime repugnare a ſententia noſtra de morte Salvatoris, quam obivit VIII. Kal. Aprilis,

§. II.

§. II.

An cenſenda ſit Traditio Eccleſiæ Latinæ, Jeſum Chriſtum neci datum egiſſe tum menſem tertium anni ſui 34.

NON deſunt, qui opinentur, Ven. Bedam cenſuiſſe, Traditionem Eccleſiæ Latinæ ferre, JeſumChriſtum paſsum Feria 6. 25. menſis Martii, ætatis ſuæ anno 33. & menſibus tribus. Hæc ſunt Angli eruditiſſimi verba: *Habet, ni fallor, Eccleſiæ Fides, Dominum in carne pluſquam triginta tribus annis uſque ad ſuæ tempora Paſſionis vixiſſe...... Quod autem VIII. Kal. Aprilis crucifixus, VI. earundem die reſurrexit, multorum late Doctorum Eccleſiaſticorum conſtat ſententia vulgatum.* Hic tamen nemo ſibi perſuadeat, quod nonnullis perſuaſum ſcio, Ven. Bedam adſcripſiſſe articulis Fidei ætatem Chriſti patientis anno 34. incœpto, cum ait: *Habet, ni fallor, Eccleſiæ fides.*

Beda de ratione Temp cap. 45.

1. Namque ſimillimum veri eſt, eum dicentem: *Habet Eccleſiæ Fides*, nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi Eccleſiæ probabilem viſam fuiſſe opinionem, quæ tribuit Jeſu Chriſto tres menſes ſupra triginta annos. 2. Extra omnem dubitationem eſt; Traditionem hanc ignotam omnino fuiſſe ſex aut ſeptem prioribus Ævis; neque ullum de ea teſtimonium extare apud Veteres, niſi locum excerptum ex Epiſtola Evodii, Diſcipuli S. Petri, ab Nicephoro relata, aliumque Epiſtolæ S. Ignatii ad Trallianos: Sed neminem latet, Opus Evodio adjudicatum, falſo ejus nomen ferre; & verba S. Ignatii in germanis ejus Epiſtolis, ab Iſaaco Voſſio, atque Uſſerio editis, deſiderari.

Quid quod tantum abeſt, in hac ſententia fuiſſe Bedam, ut Traditionem hanc Fidei capitibus accenſeret; ut potius eam improbet: quandoquidem ex ejus propria ſupputatione Salvator non exceſſit annum 32. & menſes ſex; novem nanque alii, quos in utero Virginis Jeſus tranſegit; quoſque addit Beda, ut evadat ad annos 33. & menſes tres, ratione nullo modo propria in cenſum veniunt annorum vitæ Jeſu Chriſti. Quapropter ſanctus hic Doctor pugnaret cum opinione Eccleſiæ, ſi per eum iſta doceret, tanquam Fidei caput, Jeſum Chriſtum in terris verſatum eſſe annos 34. ante 3. menſes incœptos.

At enim, inquiunt, Ven. Beda aliam quoque Traditionis iſtius probationem affert; ſiquidem ex ejus dictis inſcripta erat in Schedulis, quæ ſuper Cereos ponebantur, antequam populo diſtribuerentur, ut Mortis Jeſu Chriſti tempus in illius memoriam revocaret. „ Anno 701. Æræ „ Dionyſii Exigui, inquit S. iſte Doctor, quidam e noſtris Fratribus,

„ qui

„ qui Romæ erant, nobis teſtati ſunt, ſe ita legiſſe inſcriptum in Ce-
„ reis, Feſtis Nativitatis diſtributis, atque idem diligenter exſcripſiſſe.
„ A Paſſione Jeſu Chriſti fluxerunt anni 668. „ *Sancta quidem Romana & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe Fidem tenere (paullo plus Chriſtum 33. annis vixiſſe) & ipſis teſtatur indiculis, quæ ſuis in Cereis annuatim inſcribere ſolet, uti tempus Dominicæ Paſſionis in memoriam populis revocans.* *Beda ubi ſupra.*

Hic vero facile eſt deprehendere, quam ſemetipſum implicet Beda in ſupputatione ſua; ſi etenim de 701. annis detrahas 668. non ſupererunt niſi 33. & quoniam ipſe annos Jeſu Chriſti deducit ab ejus *Incarnatione*, Jeſus Chriſtus non vixiſſet annos 33. ſed tantum 32. ab ejus Nativitate ad Mortem. Autor Chronologiæ Sanctæ *cap.* 38. Petavius *de Doctr. Temp. l.* 12. *c.* 10. Paulus Mildeburgenſis *l.* 4. *Paulinæ*, alia afferunt argumenta, ut efficiant, hanc Ven. Bedæ ſententiam non congruere aliis, quæ ſcribit; ipſumque per ſeſe Traditionem eandem, quam ædificat, exædificare. Deinde defendi non poteſt propter ejus cum rationibus Aſtronomicis repugnantiam.

Interea Baronius eandem ſententiam adoptavit, ratus, eam vetuſtæ Eccleſiæ Romanæ conſuetudini, & priſcorum Patrum Traditioni quam maxime reſpondere. Attamen jactatæ hujus Traditionis ſponſores alios non exhibet præter locum depromtum ex Epiſtola S. Ignatii ad Trallianos, de qua ſuperius; Sermonem S. Joannis Chryſoſtomi de S. Joanne Baptiſta, qui ſuppoſitus illi fuit; Nicetam, & Cedrenum. At Lectorum judicium appello, an hæc teſtimonia ſatis firma ſint, ut jaciant Traditionem ab initio Eccleſiæ petitam, quæ aliam a nobis tanta Scriptorum autoritate conſtitutam ſubvertere poſſit.

Denique ſi Jeſus Chriſtus e vivis migraſſet anno 34. die Veneris, Luna decimaquinta menſis Paſchalis, opus eſſet eo anno Cyclum Lunæ notaſſe 13. Cyclum Solis 21. & Litteram Dominicalem B. Porro notæ iſtæ omnes non concurrunt anno 34. Æræ communis, ſed 12. ejuſdem Epochæ, Germanico Cæſare, & Fontejo Capitone Conſulibus. Quod unum argumentum opinionem perdit eorum, qui contendunt, Jeſum Chriſtum annos natum 33. & menſes tres ad Patrem exceſſiſſe.

§. III.

§. III.

Examinatur Conjectura Autoris Chronologiæ Sacræ, quare id opinati ſint; qui Salvatorem die 25. menſis Martii interiiſſe dicunt.

QUilibet ſane admirabitur, Autorem Chronologiæ Sacræ, fultum audaci conjectura & ratione carente, ſuſcepiſſe ſubruere opinionem antiquam de Jeſu Chriſto, in Crucem elato 25. die menſis Martii; quanquam hæc confirmata fuerit a quamplurimis Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui ſuper ea conceptis verbis mentem ſuam explicarunt. „ „ Poſtquam animadvertimus, inquit, Autor noſter, quanti operis ſit „ cognoſcere, quare tandiu perſuaſum hominibus fuerit, Jeſum Chri- „ ſtum mortuum fuiſſe VIII. Kalendas Aprilis, ſuccurrit nobis conjice- „ re, videlicet, Traditionem hanc minus referendam eſſe ad tempus „ Mortis Chriſti, quam ad primum Paſcha a Chriſtianis anno inſequen- „ te celebratum, nimirum anno Juliano 79. & 34. Æræ communis. „ Cum etenim Diſcipulis nulla alia regula temporum præſto eſſet pri- „ mis Chriſtianæ Religionis Ævis, niſi quæ invaluerat apud Judæos; „ facile eſt aſſequi conjectura, hoc anno eos primam Mortis Jeſu Chri- „ ſti memoriam celebraſſe eodem die, quo Judæi Paſcha ſuum perege- „ runt, decimaquarta Luna, quæ tum incidit in Feriam tertiam 23. men- „ ſis Martii. Speciem quoque veritatis habet, tertia die, ſcilicet 25. „ menſis ejuſdem; eos anniverſarium Reſurrectionis Jeſu Chriſti diem „ recoluiſſe, qui eo magis in eorum animis hæſit, quo incidebat eo- „ dem anno in diem aſſumtæ a Verbo in Utero Virginis carnis huma- „ næ. Quod vero mihi ratum facit, rem ita ſe habuiſſe, mos anti- „ quus eſt, quibuſdam adhuc Eccleſiis uſitatus, quique appellatur Pa- „ ſcha *Annotinum*, & in ſingulos annos colebatur; ut nempe extaret „ monumentum, quo die Feſtum Paſchatis anno præterito contigiſ- „ ſet. „

Autor Chron. Sacra c. 38.

Hæc eſt conjectura Autoris noſtri, in quam, per eum opinor, licebit me animadvertere quæ ſequuntur. Primum eſt, me non poſſe mihi perſuadere, Scriptorem ejus ingenii, quo ipſe præditus eſſe dignoſcitur, ſerio credidiſſe, Rempublicam Litterariam fidem adhibituram ſuis verbis, vel potius futili narrationi, qua Chriſtianos in errorem hunc incidiſſe ſcribit.

Alterum pertinet ad admirationem, qua afficitur, unde factum ſit, Traditionem ſtatuentem interitum Jeſu Chriſti die 25. menſis Martii, tandiu in hominum memoria perſeveraſſe. Verum quis miretur, hiſtoricum

cum factum, tot Patribus graviſſimis & vetuſtiſſimis teſtatum, atque in mentes hominum ſingulis annis ope Martyrologiorum infixum deſcendiſſe a primis Eccleſiæ ſæculis ſine adverſario ad ſæculum uſque decimum tertium ?

Tertio mihi dubium non eſſe, quin Litteraria Reſpublica gratias agat Autori noſtro, quod ſe ditaverit novo hoc Invento de re hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; ſibique communem fecerit conjectationem, quam ipſe excogitavit. Sed malo fato nemo ſpondet pro evento hoc tam vetuſto; quod ſane non inani mentis imagine, ſed argumentis, ut ita dicam demonſtrantibus inniti deberet. 1. Quia factum iſtud, Salvatorem videlicet die 25. menſis Martii expiraſſe, teſtes, ut vidimus; habet quamplurimos Scriptores Eccleſiaſticos. 2. Quia contendit, conjecturam ducere in Hiſtoria, vel narratione, Patribus Eccleſiæ, & toti retro antiquitati admodum contumelioſa; cum errore facti, eos inducat haurientes imaginationem æquitati, & veritati contrariam pro facto vero & germano. Hallucinatio nanque eſt haud ignoſcenda Diſcipulis Jeſu Chriſti, eos ſcilicet annum primi Paſchatis poſt Reſurrectionem arbitratos eſſe illum, quo Chriſtus mortem pro nobis ſubivit. 3. Ipſe pro certo ponit, primam hanc ſolemnitatem celebratam fuiſſe anno Domini noſtri 34. quamvis non liqueat adhuc, anne alio anno Chriſtus mortuus ſit. 4. Lepida profecto res eſt, affirmare mordicus, Fidelibus primis excidiſſe animo annum, quo Chriſtus vitam profudit in Calvario coram Orbe univerſo; atque alte hæſiſſe ſpeciem ceremoniæ cujuſdam, in domo privata peractæ fortaſſe coram paucis adſtantibus. 5. Serio ne locutus eſt Autor noſter? Potuit ne ipſi in mentem venire, graviſſimum factum hoc probatum iri, quod ab ipſo excogitatum fuerit; & propterea homines rejecturos Traditionem tot Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis roboratam? 6. Cedo, mehercule, Critici Viri æquitatem, prudentiam, & diligentiam? Quid? Scriptor ne ſibi blandiri poterit fore, ut ſententia ſua, licet propugnatoribus deſtituta, atque una tantum mentis cogitatione conflata, recipiatur? Interim dum ipſe nihili facit teſtimonium Tertulliani, Auguſtini, Lactantii, totque aliorum priſcorum Patrum. Denique qua habentur in exiſtimatione Diſcipuli Domini, Chriſtiani primi, homines Apoſtolici, Eccleſiæ Patres, antiquitas univerſa; ubi aſſeritur, eos oblitos fuiſſe anni, menſis, & diei Mortis Chriſti, unde manarunt ad nos bona omnia, a Chriſto nobis collata, levemque ipſis mentionem ſuperfuiſſe non quidem anni Paſſionis Chriſti, neque item primi Paſchatis, ſed 25. duntaxat Martii: & ſine hæſitatione quoſdam dixiſſe, diem hanc eſſe Mortis ejus, ceteros contra Reſurrectionis?

Animadverſio quarta ſpectat ad momentum Autoris noſtri, quo fulcit

conjecturam ſuam; temporum ſcilicet conſecutione, pro anno mortis Chriſti aſſumtum fuiſſe eum, quo Apoſtoli primum Paſſionis & Reſurrectionis monumentum celebrarunt. Quod vero mihi perſuaſionem affert, *Autor. Chron. Sacra c. 39.* Mos eſt, inquit, vetuſtus, *ut Annotinum* (id eſt ſecundum mediam Latinitatem) *anniverſarium Paſcha, quod vocant, ſingulis annis celebrent; hoc eſt ejus memoriam agant, quo die anno præcedenti ipſa Feſtivitas acciderat*. *Alex. Diſſ. 2. quæſt. prop. 2.* Alexander, qui re ipſa Diſſertationem ſuam de anno Mortis Chriſti ab Autore Chronologiæ Sacræ depromſit, non ſecus fecit, quominus hunc Autoris locum citra delectum exſcriberet. Ceterum me fugit, an probaturi ſint Litterati Viri notionem hanc Paſchatis *Annotini*: illud certe extra omnem aleam eſt, eam huic Paſchati neque per ſe ſe, neque quod eſt temporis concinere.

Autores cum Veteres tum Recentiores conſentiunt, *Paſcha Annotinum* anniverſarium Paſcha eſſe, non quidem Reſurrectionis Jeſu Chriſti; ſed quia antiquitus qui in Paſchate Baptiſma ſuſceperant, annuam novi ortus ſui ſolemnitatem recolebant anno inſequente, eodemque die, *Micrl. c. 56.* quo loti fuerant: *Romani Annotinum Paſcha, quaſi anniverſarium Paſchæ dicunt: quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati ſunt, in ſequenti anno, eadem die, ad Eccleſiam convenere, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum Oblationibus ſolemniter celebraverunt.* Alii Autores non pauci accipiunt Paſcha *Annotinum* eadem ſignificatione: *Annotinum Paſcha vocatur, quando aliquis diem, quo baptizatus eſt, celebrat annuatim.*

Ruodbertus aliam nobis notionem imprimit de Paſchate *Annotino*. *Quæris a me*, ait, *quid ſit Paſcha Annotinum? Eſt Conventus Compatrinorum, ad Miſſas ejuſmodi per omnes Octavas Sabbati Sancti, ideſt Baptiſmi annum.* Denique ætatis noſtræ ſcriptores ajunt, *Paſcha Annotinum celebratur ipſemet die recurrente, quo quis priori anno baptizatus fuerat.** Porro conſtat manifeſto, nullam ex his variis Notionibus Paſchatis *Annotini* quidpiam præferre, quod ad eam, quam nobis dedit Chronologiæ Sacræ Autor, accedat.

Quanquam Paſcha *Annotinum* Feſtum conſtans eſſet, nullam habens rationem diei mobilis Paſchalis annorum antecedentium; non tamen inſtitutum fuit, ut memoria Reſurrectionis anni præcedentis celebraretur; Feſtum nanque hoc, citius erat cujuſque privati hominis, Baptiſmate abluti, quam generale Eccleſiæ Feſtum. Comperi, Eccleſiam illud diverſis temporibus collocare: vel ſaltem Sacramentaria & Kalendaria

* Durandus *l. 7. c. 1. num.* 37. 38. Beletus *de Divinis Officiis cap.* 84. Honor. Auguſtod. *l. 3. c.* 137. Ruodbertus *Magiſter S. Galli Ep.* 7. Ducangius *Gloſſ. Latin. tom. 3. pag.* 178. Baill. *in Feſt. Mobil. Dom. in Albis*, Gall.

ipſi

ipſi non unum diem deſignare ; quædam etenim ponunt poſt diem Dominicum Octavæ Paſchatis, uti vetus Gelaſii Sacramentarium ; alia inter dies XIV. & XXII. menſis Aprilis.

Front. Kal. pag. 70. Allat. Lib. de Dom. & Hebdom. Græc. nu. 37.

Adnotatur die menſis Aprilis poſtremo, vel Feria 2.ª a Dominica 3.ª poſt Paſcha in *Lectionario* antiquo, *Comes* nuncupato, S. Hieronymo tributo, atque a Theotinquo Presbytero retractato, in quo hæc leguntur: *In Paſcha Annotina Evangelium Joannis cap. 24. Erat homo ex Phariſæis*. Alias deligebatur Sabbatum *in Albis* pro *Annotino* Paſchate celebrando; atque hoc pacto anniverſarium proprii Baptiſmatis adjungebatur octavo diei poſt Baptiſma Neophitorum eodem anno & die quibus veſtem albam mutabant. His poſitis, judicet unuſquiſque, an Autoris Chronologiæ Sacræ conjectura quidpiam ſoliditatis habeat, atque exemplum de Paſchate *Annotino* propoſitum ejus efficiat.

Apud Baluz. tomo 2. c. 1327.

ARTICULUS VII.

Traditio Patrum Eccleſiæ, ſecundum quam Chriſtus mortuus eſt anno 29. Æræ communis, Luna 15.ª Menſis Paſchalis, Feria 6. 25.ª die menſis Martii, cum Tabulis Aſtronomicis conciliari poteſt.

POſtquam veterum Eccleſiæ Patrum teſtimonio conſtitui annum, menſem, diem menſis, Lunæ, atque Hebdomadæ, quibus Salvator Mortem paſſus eſt; nec non operam dedi, ut tollerem quidquid rationi magis proximum urgere ſolent Adverſarii: nihil me manet, niſi, ut oſtendam, hæc omnia poſſe cum Tabulis Aſtronomicis conciliari. Id quidem ſapientibus Criticis noſtris Paradoxi genus videtur, atque illud ferme unum, aut præcipuum prætendunt argumentum, quo teneri ſe non exiſtimant, ut amplectantur Traditionem hanc; etſi tot præſtantium Scriptorum Eccleſiaſticorum ſuffragiis firmiter roboretur.

Singuli anni inſigniti ſunt quibuſdam notis, quæ non modo illos ab aliis ſecernunt; ſed monent etiam quo die hebdomadæ occurrerit quilibet menſis dies, Novilunium, & Plenilunium, quæ cognoſcenda neceſſario ſunt pro Paſchate celebrando. Atqui notæ anni 29. Æræ Chriſtianæ, cui adjecimus Mortem Redemptoris, præſeferunt, cum animam tradidiſſe die 25. menſis Martii, quæ erat Feria ſexta, & 15. Luna menſis Niſan. Igitur opinio noſtra labefactari non poteſt.

H 2 Pro-

Propoſitio videtur certa, immo fundamentum præcipuum, quo tuentur Chronologi demonſtrationes ſuas. Exempli gratia noſſe volunt, quo hebdomadæ die contigerit 29. menſis Auguſti anno primo Æræ Diocletiani, quæ incœpit anno Juliano 284.; ſicuti quo menſe, & die menſis hujus anni Paſcha celebratum ſit. Continuo ſcrutantur, quænam ſint notæ hujus anni Juliani 284. quæ ſunt 13. Cycli Solis, & 19. Cycli Lunæ. Cycli Solis 13. hoc anno occurrens ſignificat, Litteras F. E. Dominicales uſum habuiſſe, primam uſque ad 25. Februarii, alteram anno reliquo toto: propterea cum E. fuerit Littera Dominicalis, iccirco 29. Auguſti fuit feria ſexta.

Similiter cum Cyclus Lunæ hujus anni fuerit 19. nos docet, terminum Paſchalem fuiſſe 17. menſis Aprilis, adeoque Feria V., quia videlicet Littera E. erat Dominicalis, & dies viceſima fuit dies Paſchatis. Hæc omnia conferre quiſque poterit cum Tabula IV. a nobis ſuperius propoſita. In Cyclo Litterarum dominicalium, qui in hac Tabula e latere eſt, Littera F. E. reſpondet notæ 13. Numeri Aurei, ſive Cycli Lunæ, in ſuperiore parte poſiti, nota 19. refertur ad 17. Aprilis; ita ut angulus, quem efformant hæ duæ notæ 13. 19. indicat 20. Aprilis, quo Feſtum Paſchatis celebratum fuit eo anno 284.

Nodus itaque difficultatis hæret in ſumptione, quæ in duas partes dividitur: prima eſt, anno 29. Æræ noſtræ diem 25. menſis Martii concurriſſe cum Feria ſexta; ſecunda, Lunam decimamquintam menſis Paſchalis eo anno contigiſſe die Veneris 25. menſis Martii. Utrumque ſingillatim probemus.

Ante omnia Aſtronomorum confeſſione 10. Cycli Solis nota quædam eſt anni 25. Æræ Chriſtianæ, 74. Juliani, duobus Geminis Conſulibus. Hic 10. Cycli Solis indicio eſt, eo anno Litteram B. fuiſſe Dominicalem, & propterea 25. menſis Martii fuit ſexta Feria. Opus tamen, & labor eſt in Cyclo Lunæ, qui ſententiæ noſtræ, inquiunt, accommodari nequit.

XI. Cycli Lunæ ſecunda nota eſt anni 29. Æræ noſtræ. Terminus porro Paſchalis, qui reſpondet XI. Cycli Lunæ, eſt 15.ª menſis Aprilis, die Veneris: atque adeo Paſcha ſolemne habuerunt 17. die ejuſdem menſis, & 15.ª Luna primi menſis accidit die Sabbati 16., quod apprime diſſentit ab iis, quæ diximus de anno 29. Æræ vulgatæ, quo Salvator mortem obierit 25. menſis Martii, Luna 15.ª menſis Niſan.

Neque item opinio noſtra coire poteſt cum Aſtronomicis ſupputationibus Fabri; per ipſum nanque, uti diximus, anno 29. Æræ noſtræ Novilunium perfectum eſt 2. menſis Aprilis hora octava veſpertina, & 38. minutis. A conjunctione ad Plenilunium dies 14. interceſſerunt, & ho-

tæ 9. Quamobrem 15.ª Luna non poteſt eſſe niſi Sabbatum, die 16. Aprilis; quod ab imo ſubvertit, quidquid ego conſtitui.

Ut obviam eamus huic argumento, animadvertendum eſt, maxime probabile eſſe ex opinione communi apud Eruditos; Judæos uſos ſemper Cyclis eſſe, quibus Neomenias ſuas dirigerent: alias cum ubique terrarum diſperſi fuerint, in Feſtorum celebratione invicem non conſenſiſſent. Annus Magnus, Cyclus, vel orbis ſex ſæculis evolutus, ut tradit Joſephus c. 3. l. 1. *Antiquitatum*, non modo perſpectus Judæis erat, ſed ab iis quoque veteribus, ut idem ſcribit, Jeſu Chriſti tempore adhibebatur. Cyclus Calippi, emendatus ab Hipparcho & Ptolomæo univerſe non inter Græcos tantum, ſed inter Judæos etiam Aſiæ, Syriæ, & Paleſtinæ obtinuerat.

Autor Chron. Sacra c. 34.

Beſſinus Animad. in ſententiam Lamii c. 2. §. 1, 2. & 3. Gall.

Meminiſſe quoque neceſſe eſt, Ptolemæum, ejuſque Diſcipulos poſt Hipparchum diſpoſuiſſe omnes obſervationes ſuas Aſtronomicas ex Annis Nabonaſſaris; quod in cauſſa fuit, ut diceret Petavius, Veteres exegiſſe calculos omnes de motibus Solis & Lunæ ad Epocham communem hujus Regis Chaldæorum. * Ludovicus Capellus cum accurate rationem iniiſſet eorum, quæ attinent ad Lunam menſis Paſchalis anni 29. Æræ communis, qui per ipſum idem eſt, atque annus 806. Olympiadum; ſubjungit, hunc annum non differre a 778. Nabonaſſaris, ad quem confugere debemus, ut cognoſcamus, an hoc anno decimaquinta Luna Paſchalis in 25. Martii diem inciderit.

Petav de Doctr. Temp. l. 7. c. 23.

Verum quidem eſt ex Autoris hujus opinione, Judæos die 25. menſis Martii numeraſſe 18. Lunæ menſis Niſan; etſi per Tabulas Aſtronomicas eſſet tantum 15. Probat autem hoc modo: Si motus Solis & Lunæ ad Ptolemæi ratiocinationes referamus, emerget, anno 778. Nabonaſſaris, XI. Menſis *Pharmuthi*, quæ eſt 25. menſis Martii, ſupputandam fuiſſe 15.am Lunam menſis Niſan; quamvis apud Cyclos Judaicos eſſet 18. dies menſis Paſchalis. Conſtat etenim ex Tabulis Ptolemaicis, die VIII. menſis *Pharmuthi*, hoc eſt 22. menſis Martii hujus anni Solem fuiſſe in gradu 28. 40. 57. Signi Piſcium, & Lunam gradu 28. 6. m. Signi Leonis, & propterea opus fuiſſe, gradu 30. & m. 34. Lunam haud fuiſſe objectam Soli; quod proinde accidere non potuit, niſi poſt dies duos, horaſque duodecim: atque adeo 15.ª Luna concurrit cum die XI. menſis *Pharmuthi*, videlicet cum 25. menſis Martii, Feria ſexta.

Cappell. Diſ. adverſus Ægyptium pag. 3.

Samuel Petitus, eruditione apud Litteratos omnes præſtantiſſimus, agitat

* Annus hic nomenclaturam acceperat a Nabonaſſare Rege Chaldæorum. Incœpit die 26. Februarii, 747. annis ante Chriſti nativitatem, & ſeptimo anno ab Urbe condita, Complectebatur dies 365. in duodecim menſes diſtributos, quorum quiſque 30. diebus conſtaret: quibus addebantur quinque dies, appellati, *Epagomenes*.

tat controverſiam hanc in Eclogis ſuis Chronologicis, in quibus diſputat de annis Judæorum, Samaritanorum, Græcorum, Macedonum, Syrorum, Romanorum, & Cyclorum Paſchalium Veterum Chriſtianorum. Qui cum Chronologiæ, atque Aſtronomiæ præcepta adhibuiſſet, hæc ſcribit: *Chriſtum paſſum duobus Geminis Conſulibus, anno Æræ vulgaris XXIX. quo menſis Niſan cœpit die XI. Martii, feria ſexta: Ergo dies XIV. Niſan fuit die XXIV. Martii, feria quinta. Eo die Paſcha celebravit Dominus, & ſequenti die XXV. Martii, Feria ſexta paſſus eſt.* Quamobrem ſecundum præclariſſimorum Aſtronomorum iſtorum calculos, dies 25. menſis Niſan anno 29. Æræ vulgatæ accidit Feria ſexta, 25. menſis Martii. Non diffiteor, rationem hanc temporum illorum pugnare cum Cyclis Neomeniarum Judaicarum, quæ ab Aſtronomicis Tabulis diſcrepabant, & non raro vitioſæ erant; quemadmodum Imperator Conſtantinus, de exigua Cyclorum eorum accuratione differens, eis exprobravit: *Quod ne hac quidem parte veritatem perſpiciant: quippe qui ut plurimum aberrantes, non modo errorem non corrigunt, ſed in eodem anno alterum Paſcha celebrant.* Quibus fit clare, diligentia peccaſſe Judaicas ratiocinationes, uti ſuperius a nobis animadverſum eſt.

Ecloꝑ. Chron. l. 1. cap. 11.

Conſtant. Epiſtola ad Ecclesiam ex Synod. Nicæna data apud Lupum Tomo 2. Conc. pag. 465.

Hæc porro egregie conſonant cum iis, quæ habet Petavius, Cyclos videlicet Judæorum, quippe minus accuratos contuliſſe, ut Neomeniæ eorum non omnino motibus Solis & Lunæ reſponderent propter naturam Cyclorum illorum, qui res accuratiſſime non dirigebant, uti præſtitum eſt poſt Concilium Nicænum. Hinc autem colligit magnus hic Aſtronomus: *Eſt ergo veriſimile, biduo nonnunquam ac triduo Civiles Neomenias a mediis Noviluniis aberraſſe propter Cycli & popularis anni vitium. Hoc autem anno illo quo paſſus eſt Chriſtus, accidiſſe, ſi nihil perſuadeat aliud, difficultas ipſa certe conciliandi cum Paſchate Judaico, & ſexta feria Plenilunii, ac tot Eruditorum hominum fruſtra in eam inquiſitionem collatæ vigiliæ, tum Epiphanii & aliorum autoritas, in eam nos ſuſpicionem vehementius impellunt.* Kepplerus tandem æquius Judæis judicium de ipſorum ſupputationibus non tulit: *Ego affirmo, priſcos illos Judæos uſque ad Chriſti fere tempora in uſu Kalendarii nihil ultra vulgi captum ſapuiſſe.*

Petav. de doctrina Temp. l. 12. c. 15.

Keppler. in Eclogis Chron. pag. 90.

Equidem haud inficior, explicatione hac non evaneſcere ſcrupulos omnes, qui ſuboriri poſſunt: at vero conflata ne hactenus ſententia eſt, quæ dubitationem omnem ita ſuſtulerit, ut nulla impoſterum hac de re ſuperfuiſſet? Si Tabularum Aſtronomicarum ſubſidio poterat hæc funditus quæſtio diſſolvi; unde factum eſt, tot Viros doctiſſimos oleum & operam perdidiſſe in ſtatuendis annis, menſe, die menſis, Lunæ, atque hebdomadæ, quibus Chriſtus hinc migravit? Si ipſorum ratiocinia Epochæ hujus exitum reperire poſſunt, quare hactenus digladiantur interſe: licet

eadem

eadem principia ſequi contendant? Quapropter ſæculis pene 14. perſuaſum fuit, quemlibet nullam aliam inire poſſe viam, præter Traditionem Patrum, qua in difficilis quæſtionis hujus receſſus ducatur, quæque Calculis Aſtronomicis vix laborioſiſſime deciditur. Traditioni itaque ſancte & religioſe adhæreamus, donec res probabilior emergat.

ARTICULUS VIII.

Epocha Nativitatis Jeſu Chriſti.

CONvenit inter omnes, qui controverſiæ huic expendendæ dederunt operam, cum tempus Nativitatis & Baptiſmi Jeſu Chriſti incertiſſimum ſit, non eſſe Epocam Mortis ejus petendam ab annis, in quibus editus, & Baptiſmate ablutus eſt; ſed contra tempus Nativitatis & Baptiſmi a Mortis tempore ſubducendum eſſe. Propterea ubi hactenus Epocham Mortis Chriſti roboravimus teſtimonio veterum Eccleſiæ Patrum, firmiſſimis conjecturis, iiſdemque Chronologiæ, atque Aſtronomiæ principiis: non erit multi operis annum, quo natus ſit, definire. Quod præſtamus propoſitione ſequenti.

PROPOSITIO II.

Jeſus Chriſtus natus eſt duobus ante Æram Chriſtianam annis; 44. Juliano: 752. ab Urbe condita; 4712. Periodi Julianæ; 3. 194. Olympiadis; 42. poſt Conſulatum Auguſti, & Triumviratus; Auguſto Cæſare XIII. & Plantio Sylvano Conſulibus, (huic ſuffectus eſt Caninius Gallus).

COnſtans Patrum Eccleſiaſticorum Traditio eſt, Jeſum Chriſtum mortem oppetiiſſe, annos natum 30. XV. Imperii Tiberii: duobus Geminis Conſulibus. Atqui ſi ab anno XV. Imperii Tiberii, & Conſulatu Geminorum, numeres aſcendendo annos 30. deſines in annum Julianum 44. 752. ab Urbe condita; annum 3. Olympiadis 194. & 4712. Periodi Julianæ, ſub Conſulatu Auguſti Cæſaris XIII. & Caninii Galli: qui anno ſecundo Æræ communis reſpondet. Affirmandum itaque eſt, Jeſum Chriſtum hoc anno in lucem veniſſe VIII. Kal. Januarii ſecundum pervagatam Eccleſiæ Traditionem.

Quæ Nativitatis Jeſu Chriſti Epocha ex alia Mortis Herodis evinci poteſt. S. Matthæus docet, Jeſum Chriſtum *natum eſſe in Bethleem Ju-* Matt. 2. 1.

di,

da , *in diebus Herodis Regis* . In vivis igitur adhuc erat Princeps hic ; cum Salvator venit in mundum : Quare Rex iſte Judæorum ex hac vita migrare non potuit , niſi anno Juliano 45. ; quoniam Jeſus natus eſt 44. Factum hoc hiſtoricum duco e duabus conjecturis , quæ videntur maxime probandæ. Prima innititur annorum numero, quos in Regno explevit Herodes; ſecunda Eclypſi Lunæ , quæ viſa eſt paucos ante dies, quam Princeps hic moreretur.

Nemo unus diſſentit ex teſtimonio Joſephi , Herodem regnaſſe annos 37. At diſſentiunt Scriptores, uti oſtendimus §. 1. art. 2. de anno, a quo repetenda ſit annorum 37. ſupputatio. Sententiæ duæ hac in re probabiliores initium ſumunt annorum regni Herodis ab anno ſexto Juliano, quo Senatus Herodem Judæorum Regem renunciavit, vel a nono anno Juliano, quo deceſſit Antigonus. Qui ſunt a prima ſententia, 37. annos Regni Herodis ſubducunt ab anno ſexto Juliano, obitumque illius collocant anno Juliano 42. Qui contra regiam Principis hujus dignitatem non incipiunt, niſi anno 9. Juliano , concludunt cum fatis ceſſiſſe anno Juliano 45.

Ego autem eo libentius amplector poſtremam ſententiam hanc , quo mihi priore videtur ſimilior vero. Si nanque calculum ineas a morte Antigoni ad mortem Herodis ; exſurgunt 37. anni ; cum a 9. anno Juliano ad 45. interſint 37. anni , demtis menſibus paucis. Qui ortum Jeſu Chriſti quinto ante Æram communem anno ſtatuerunt ea ratione , quia Herodes anno 42. Juliano mortuus eſſet , nequeunt reperire 37. annos Regni Herodis ab eo tempore, quo illum Senatus Regem Judæorum appellavit : id etenim contigit ſub finem anni 6. Juliani . Porro ſi rationem exigas hujus temporis ad annum uſque Julianum 42. quo Herodes obiit ante Paſcha, deprehendes, Principem hunc regnaſſe 35. tantum annos, & quatuor circiter vel quinque menſes; atque hac ratione Herodes ex horum opinione mortuus erit anno 44. Juliano, vel potius 43.

Id ipſum alio, ut mihi videor, firmo argumento conficio. Archelaus, ab Herode ſucceſſor deſignatus, Romam conceſſit poſt Paſcha , petitum ab Auguſto confirmationem. Hac de cauſſa Auguſtus concivit præcipuos amicos ſuos, ut de re conſilium caperet. Nicolaus Damaſcenus, qui pro Archelao peroravit , conſiderat , Auguſtum in hoc Conventu principem locum dediſſe Cajo Cæſari , Nepoti ſuo , quem in filium adoptaverat. Joſephus ipſe adjunctum hoc tacitus non præterivit: *Amicos convocavit*, *inter quos Cajum Agrippam*, *ex Julia filia ſua natum*, *quem adoptaverat*, *adhibuit*, *principem ei locum tribuens*, atque alibi; *primo loco ſedere juſſit* . Licet vero hiſtoricus hic non aperiat , quare Auguſtus ſede tam conſpicua Cajum honeſtaverit; deprehendere tamen promtum eſt, hoc idcirco feciſſe ;

Joſephus Antiq. l. 7. c. 11. & l. 2. de bello Jud. c. 4.

feciſſe; quia juvenis hic princeps Conſul renunciatus fuerat eo anno cum Æmilio Paulo, qui fuit 46. annus Julianus, & 754. ab Urbe condita. Ex quo neceſſario illud conſequitur, Herodem non interiiſſe anno 42. vel 43. ſed 45. vel 46. Juliano: atque adeo, Chriſto nato anno 44. Principem illum nondum deceſſiſſe.

Deinde nulla eſt certior Epocha Mortis Herodis, quam Eclypſis Lunæ, quæ apparuit paullo ante mortem Regis hujus. Quo autem probationem hanc in clariſſimo lumine ſtatuamus, oportet meminiſſe, ab anno Juliano 42. ad 46. non ſemel Lunam laboraſſe. Primo contigit anno 42. Juliano. Inſequenti vero anno bis adhuc defecit, ſemel 19. Januarii; iterum 16. Julii. Sed Joſephus de neutra defectione loqui poteſt; quoniam ſpectabiles in Judæa non fuerunt, cum Luna ſuper alio Emiſphærio emineret. Scaliger adnotavit Eclypſim aliam anno Juliano 45. & Savinus contendit, accidiſſe aliam quoque anno 46., primo ſcilicet Æræ noſtræ.

Poſtrema hæc Eclypſis viſa eſt V. Kal. Januarii & incœpit hora 4. m. 26. Noctis ineuntis, paullo poſt quam Herodes exurendos juſſerat vivos eos, qui Aquilam auream, in Templi janua ab ipſo collocatam, dejecerant. Hanc igitur Eclypſim Orbis univerſus deprehendere potuit; immo ea eſſe videtur, de qua locutus eſt Joſephus: *Matthiam ſeditionis autorem, ejuſque ſocios vivos exuſſit; & Luna hac ipſa nocte deliquium paſſa eſt: Herodis vero morbus factus eſt gravior*. Porro ſuperſtes fuit ad uſque menſem Martii inſequentis anni. *Joſephus Antiq. 17. c. 8.*

Quare ſupputanti 37. annos Regni Herodis a morte Antigoni, appoſite deſinunt anno 45. aut 46. Juliano; cumque Eclypſis, de qua modo, altero ex his annis conſpecta fuerit ex variis Scaligeri & Savini ſententiis, oportet aſſerere, Regem tum vivere deſiiſſe. Nihil enim officit ſententiæ meæ, utrum ille objerit diem ſupremum anno Juliano 45. vel 46.; quandoquidem illud ſemper verum erit, Herodem adhuc in vivis fuiſſe cum Chriſtus natus eſt: neque conſtat, an ille vitam expleverit aliquibus poſt ortum Chriſti menſibus, an uno, aut altero poſt anno. Illud ſaltem perſpicuum eſt, Eclypſim a Joſepho memoratam, quæque dicitur germana anni mortis Herodis nota; aliam eſſe non poſſe ab iſta.

Qui contra Nativitatem Jeſu Chriſti proferunt annos quinque, eo prætextu, quod opus ſit interitum Hrodis addicere anno 42. Juliano poſt Eclypſim, quæ tum contigit die menſis Martii 13.[a]; hi plus ſatis ab Hiſtorici hujus mente receſſerunt. Nullum aliud ipſis præſto eſt hujus conjecturæ argumentum; niſi quia ſupputandi ſint Regis Herodis anni a tempore, quo illum Romani Regem Judeæ renunciarunt. Verum quamquam id ultro daremus Eruditis iſtis; liquet Herodem Regno potitum non fuiſſe annos 37. ſi modo, quod ajunt, evaſit e vita anno Juliano 42.

Ab exitu nanque 6. Anni Juliani, cum Senatus Romanus regia ipſum dignitate decoravit, ad Feſtum uſque Paſchatis anni Juliani 42. non fluxerunt anni 37., neque 36.; ſed duntaxat 35. additis menſibus. Quare ex calculo Scriptorum iſtorum mors Herodis differenda eſſet ad annum 43. vel 44.

Eclypſis pariter, quam habent ipſi tutiſſimam Epochæ hujus mortis notam anno 42. non favet huic opinioni; * ſi nanque ulla hoc anno ſe conſpiciendam dedit, non potuit adhuc eſſe illa, quæ mortem Herodis præceſſit ex Joſephi teſtimonio. His probatur: 1. Eclypſis, quæ apparuit anno Juliano 42. ferentibus peritis Aſtronomis, non eſt viſa 13. Martii, ſed 7. menſis Septembris, & propterea illa eſſe non potuit, de qua meminit Joſephus. 2. Contendunt, Eclypſim hanc Judæis ſpectabilem non ſe præbuiſſe. 3. Ab 13.ª Martii, qua Eclypſim hanc ponunt Sapientes noſtri, ad Feſtum uſque Paſchatis, quo Herodes mortuus eſt, fieri nullo modo poteſt, tantum temporis interceſſiſſe, ut quot quot de hoc Principe narrat Joſephus, contigerint.

' Savin. Can. Temp. cap. 1. pag. 37.

Quibus omnibus argumentis ſi adjicias, Herodem non regnaviſſe annos 37., ſi objerit anno Juliano 42. neceſſe erit confiteri, Eclypſim anni 42. Juliani, eam non eſſe, quæ deſignare poſſit annum mortis Herodis ſecundum Judæi Hiſtorici animadverſionem; & ſine ulla ratione eos ortum Chriſti annos quinque antevertiſſe: demum ſubducendos non eſſe annos 37. Regni Herodiani ab eo tempore quo Senatus eum Judæorum Regem declaravit, ſed a morte Antigoni, cum Herodes tranquillam Regni ſui poſſeſſionem auſpicatus eſt; atque adeo mortem ejus incidere non potuiſſe ante annum Julianum 45.

ARTICULUS IX.

De Anno Baptiſmi Jeſu Chriſti.

Luca 3. 1.

ANno *XV. Imperii Tiberii Cæſaris* .... inquit S. Lucas, *factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, Zachariæ filium, in Deſerto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.*

* Pagius in *Appar. Chron. nu.* 142. *pag.* 35. loquens de Eclypſi 42. Anni Juliani, quæ creditur eſſe eadem, ac illa, de qua Joſephus, hæc habet: *Certum eſt, Hiſtoricos ſæpe Solis pallorem inuſitatum cum vero Solis deliquio confundere. Sic Eclypſim Lunæ a Joſepho memoratam veram fuiſſe non conſtat; ideoque & ex illa annus mortis Herodis certo detegi non poteſt.*

Ti-

Tiberii Imperium duo initia habet : quorum primum collocandum eſt duobus ante Mortem Auguſti annis, alterum vero in ipſo Principis hujus interitu. Porro perſuaſum nobis eſt, annos Imperii Tiberii a priore termino ſupputandos eſſe, ut Patres Eccleſiæ conveniant cum Sacris Litteris, & cum Hiſtoria Eccleſiaſtica & Profana. Quo fundamento innixus, hanc Propoſitionem elicio.

PROPOSITIO III.

S. Joannes cœpit annunciare Pœnitentiam, & Baptizare anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, 26. Æræ noſtræ, 71. Juliano, 779. Urbis conditæ, Cornelio Lentulo Getulico, & Calviſio Sabino Conſulibus. Anno vero inſequente, nimirum 27. Æræ noſtræ Licinio Craſſo, & Calpurnio Piſone Conſulibus, Jeſus Chriſtus e Galilæa ad Jordanem venit, ut a Joanne baptizaretur. Deinde ſtatim ductus eſt in deſertum a Spiritu, in quo manſit quadraginta dies & quadraginta noctes. Cumque doctrinam ſuam hominibus tradidiſſet duorum circiter annorum ſpatio, & tria Paſchata celebraſſet, cruci ſuffixus eſt anno ætatis ſuæ circiter 30. duobus Geminis Conſulatum gerentibus.

Matt. 3. 13. & 4. 1. Marci 1. 12. Lucæ 4. 1.

§. I.

Autores profani cognoverunt duo initia Imperii Tiberii.

POſitio hæc, quæ duntaxat vim habet in eo, ut Tiberii Imperium exorſum ſit duobus ante Auguſti obitum annis, æquiſſima unicuique videbitur; ſi modo ad hæc Veterum loca tantiſper attendat. Primus depromitur a Paterculo, qui hæc ſcribit : *Cum Senatus populuſque Romanus, poſtulante Patre ejus, ut æquum & jus;* (Auguſto) *in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſi, Decreto complexus eſſet*. Id autem contigit anno Æræ Chriſtianæ 12. & Juliano 57. cum Auguſtus Imperator hanc ad Senatum pro Tiberio poſtulationem dedit. Vell. Paterc. l. 2. c. 121.

Svetonius narrat, Senatum omnia pro libito Auguſti feciſſe: *Lege lata per Conſules, ut Provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret*. Quod optime concinit cum iis, quæ ſcripta reliquit Dio, nimirum Auguſtum jam deficientem Senatui Germanicum, & Senatum Tiberio commendaſſe. Suet. cap. 21. in Tib. Dio l. 59.

Et ſane opus erat, Tiberio fuiſſe ſupremam poteſtatem non ſolum in Provincias & exercitum, ſed etiam Romæ; quandoquidem Urbis Præ-

ſecturam Piſoni dedit, qui hoc munere inſignitus obiit Domitio Ænobarbo, & Vitellio Conſulibus, Æræ Noſtræ 32. cum officium illud viginti annos adminiſtraſſet. Propterea Tiberius non poterat non eadem poteſtate gaudere duobus ante Auguſti interitum annis. Quod idem animadvertit Tacitus his conceptis verbis: *Tiberium*, inquit, *ab Auguſto aſſumtum collegam Imperii, & conſortem Tribunitiæ poteſtatis*. Porro ſi hæc verba non monent, Auguſtum partitum fuiſſe cum Tiberio univerſa Imperialis dignitatis commoda, *Collegam Imperii, & conſortem Tribunitiæ poteſtatis*; non video quibus verbis id poſſit luculentius ſignificari.

Plin. l. 14. cap. ult. Tacit. Annal. 6. 11.

Tacitus Annal. 1.

Verum quidem eſt, noluiſſe Tiberium, moderationis & obſequii gratia erga Auguſtum, quemquam ipſi Romæ Imperatoris nomen tribuere, neque Auguſti, neque Patris Patriæ; quanquam tituli iſti ſibi deberentur. Nihilo tamen ſecius hoc non oberat, quin hæc omnia ſibi ſumeret, cum ad Reges & Principes Epiſtolas dabat: *Prænomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriæ, ac ne Auguſti quidem nomen, quanquam hæreditarium, ullis, niſi ad Reges, ac Dynaſtas, Epiſtolis addidit*. Quamobrem cui perſuaſum erit, Tiberium hos honoris titulos ſibi Auguſto vivente adſciviſſe, qui autoritatem ſupremam duntaxat comitabantur; niſi Auguſtus Imperatoris dignitatem ipſi communem feciſſet?

Sveton. c. 26.

Attamen ſibi viſus eſt Alexander, tot Scriptorum teſtimonia evaſiſſe, adhibita tantum una voce *diſtinguo*. *Factus eſt Imperii conſors deſignatione, concedo. Supremæ poteſtatis communione & actuali exercitio, nego*. Ceterum legat Autorum, quos laudavimus, loca, quicumque certior fieri velit de hujus reſponſi ſoliditate. Quod etenim Antiquorum teſtimonium hoc pacto eludere non poſſumus?

Alex. Hiſt. ſæc. 1. Diſſ. 2. qu. 2.

Autor Chronologiæ Sacræ & Alexander fatentur quidem, Tiberium, antequam Auguſtus decederet, multa Imperatoriæ dignitatis inſignia ſuſcepiſſe; ſed carebat, inquiunt, ſuprema poteſtate, qua revera potitus non eſt, niſi poſt mortem Auguſti. At vero quid intelligunt præſtantes Critici iſti, nomine Poteſtatis ſummæ? Num Tiberium, vivente Auguſto, Imperium ſine ſocio non adminiſtraſſe, & Monarchicam autoritatem non habuiſſe. Hoc autem ultro damus. Quod ſi contendunt, ſupremam hanc poteſtatem cum Tiberio Auguſtum non diviſiſſe; nos quæſo doceant, quid ſibi velint verba hæc Paterculi, Svetonii, Dionis, & Taciti: *ut ei* (Tiberio) *æquum ius eſſet; cum Auguſto communiter adminiſtraret; Tiberium ab Auguſto aſſumtum collegam Imperii & Tribunitiæ poteſtatis*.

Aut. Chron. Sacra c. 28. Petav. Alex Poſſinus & alii.

Quo in loco liceret nobis profecto conqueri potiori jure, ac Autor

Chro-

Chronologiæ Sacræ: *Reſponſa hujuſmodi Faſtos contra venerandæ antiquitatis fidem turbare, ac mutilare, ut ad ſuas rationes calculi dirigantur*. Ac ſi fas eſſet cuique, Veterum loca adeo diſerta, ut ſunt hæc, ſimilibus interpretationibus eludere: *Nemo non videt quantum hiſtoriis luculentioribus, probatioribuſque Autoribus periculum immineat, cum vix tandem ſua veritati ratio interea conſtare poterit*. *Autor Chron. ibidem.* *Ibidem.*

Ut autem pateat Scriptori huic, in re Critica prudentem Lectorem poſtulare firmas rationes, non vero Declamationes, & perſtringentem eloquentiam: neceſſe eſt, nos ipſi oſtendere, ſi duplex Epocha Imperij Tiberii adverſatur Faſtis venerandæ antiquitatis, & certiores hiſtorias, & celebriorum Scriptorum evertit teſtimonia, recedendum ipſi neceſſario eſſe ab ſententia ſua de Nativitate, Baptiſmo, & Morte Chriſti.

§. II.

Imperium Proconſulare Tiberii, probatur ex iiſdem Sapientum initiis, qui illud oppugnant.

QUamvis verum eſſet, quod tamen nullo modo eſt, ut ſuperius probavimus, Tiberium Imperatoris titulo inſignitum non fuiſſe, non diviſiſſe ſupremam autoritatem cum Auguſto, atque hujus revera uſum non habuiſſe: nihilominus liquet, ſupputandos eſſe annos Imperii Tiberii ante mortem Auguſti, vel oportere, ut Scriptores iſti profiteantur, opinionem ſuam de tempore Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti nullo modo propugnari poſſe.

Secundum mentem Autoris Chronologiæ Sacræ tempus Nativitatis Chriſti inire debemus a Morte Herodis: *Nativitatem Chriſti regit Mors Herodis*. Qua etiam ratione hunc eundem ortum antevertit quatuor totos annos, collocat Chriſti Baptiſma anno 34. ætatis ejus; & affirmat, cum 37. ætatis anno vitam pro nobis fudiſſe. Ex eodem Scriptore Herodes 37. regnavit annos, qui incipiunt ab anno 6. Juliano, in quo a Romanis Rex declaratus fuit. Tandem Autor noſter probat opinionem eorum, qui annos Imperii Auguſti recenſent ab ejus Conſulatu; aitque Chriſtum natum fuiſſe quadrageſimo primo anno Imperii ipſius. *Autor Chron. Sacra cap. 27.* *Ibid. n. 34. & 26.*

Quibus poſitis animadverſionibus: Conveniat neceſſe eſt, ſi per Autorem noſtrum Imperium Tiberii non incœpit duobus annis ante Mortem Auguſti; quoniam: *Supremum jus, aut abſolutam potentiam illum ante mortem Auguſti obtinuiſſe quiſquam non probabit*: cur licebit initium ducere Regni Herodiani tres annos ante mortem Antigoni; atque annorum Imperii Auguſti ab ejus Conſulatu? Numquid Herodes vivente Antigo-

no,

no, vel Auguſtus ante obitum Antonii & Cleopatræ gaudebant autoritate ſuprema & potentia abſoluta; alter quidem in Regno Judææ, alter in Imperio Romano?

Hic ſane uſurpandum eſſet *Diſtinguo* P. Alexandri. Herodes ante mortem Antigoni, & Auguſtus ante mortem Antonii, *facti ſunt Regni aut Imperii conſortes deſignatione*, *concedo: Supremæ poteſtatis communione*, *& actuali exercitio*, *nego*. Nonne Antigonus reipſa ſummam poteſtatem habebat in Regno Judæorum, licet Romani jus Regium Herodi contuliſſent? Auguſtus ante poſtremam Antonii cladem erat ne poſſeſſor Imperii non interpellatus? Supremo ne jure & poteſtate utebatur? Quanquam Rex iſte, atque hic Imperator, ſuprema autoritate minime potirentur; poteſtas ipſorum adhuc controverſa eſſet; ille Rex eſſet duntaxat deſignatione, hic Imperator ratione nullo modo propria; non tamen deſinunt Critici noſtri periti ſupputare annos Regni Herodiani a tertio ante mortem Antigoni, atque annos Imperii Auguſti ab ejus Conſulatu, & ante Pugnam Actiacam.

Quare igitur volunt ab iis temporibus inire rationem Regni Herodis, atque Imperii Auguſti, nobiſque interdicere, quin eodem privilegio ſuper initio Imperii Tiberii utamur? Inficiari ne poterunt, Imperatoris titulum congruere melius Tiberio, dum vivebat Auguſtus, quam Regis & Imperatoris nomen congrueret Herodi, atque Auguſto ante Mortem Antigoni, & Antonii? Non itaque Autores iſti auferant a nobis jus collocandi exordium Imperii Tiberii duobus ante mortem Auguſti annis; vel ſi auferunt eo prætextu, quia ante hanc careret autoritate & potentia ſuprema; repudient ipſi quoque ſententiam ſuam de Jeſu Chriſti Nativitate, Baptiſmate, & Morte.

Si etenim Herodes Rex non fuit revera, neque potitus eſt omnibus Regiæ dignitatis privilegiis ante mortem Antigoni, nemo poterit exordiri 37. annos regni ejus, niſi poſt Principis hujus Judæorum interitum; atque Herodes non migraſſet e vita, anno, ut putant, 44. Juliano, ſed 45.; adeoque non poterunt prævertere quatuor totos annos ortum Jeſu Chriſti, neque ponere ipſius Baptiſmum anno ætatis ejus 34. & mortem 37.; neque tandem propugnare, eum natum fuiſſe anno 41. Imperii Auguſti. Quod funditus ſubvertit opinionem Autoris Chronologiæ Sacræ, Alexandri, Tillemontii, atque eorum omnium, qui ab eis ſunt.

§. III.

§. III.

Imperium Proconſulare Tiberii confirmatur exemplis depromtis e Sacris Litteris.

IN prima trium Epiſtolarum Chronologicarum: quas ſcripſit Poſſinus de anno Nativitatis, Baptiſmi, & Mortis Chriſti, inſurgit in Imperium Proconſulare Tiberii. Interim tamen ſi eruditus hic Jeſuita non deſeruiſſet ſua ipſius initia, neceſſe erat, eum Epocham noſtram amplecti, vel fateri, opinionem ſuam de ſexaginta ſex hebdomadibus Danielis, quam ſtatuit in Diſſertatione hac de re conſcripta, nullo modo tueri poſſe. *Apud Papebrochium in Actis Sanctor. Maii Tomo 4. p. 2. in propylaeo p. 13.*

Hic nanque, non ſecus atque Autor Chronologiæ Sacræ putant, ducendum eſſe calculum 70. Hebdomadarum ab anno XX. Regni Artaxerſis Longimani. Porro compertum eſt, eos non ſupputare annos iſtos viginti a morte Xerſis, ſed a tempore, quo Artaxerſes in ejus ſocium aſſumtus eſt. Ferunt nanque eum regnaſſe cum Patre IX. annos, & XL. ſolum. *Autor Chron. cap. 30. & 31.* *Thucid. l. 1. & 4. Diodorus Siculus.*

Porro ſi licuit Scriptoribus iſtis recidere nodum Prophetiæ hujus, quæ inter graviores totius Scripturæ cenſenda eſt, conſtituto Hebdomadum initio a XX. anno Imperii Artaxerſis; etſi hic revera eſſet undecimus a Xerſis Patris ſui morte; quare tot miſcent querelas, ſi dixerimus, S. Lucam iniviſſe numerum quindecim annorum Imperii Tiberii non a morte Auguſti, ſed ante annos duos, cum Imperii conſors effectus eſt. Qua de re produnt Autores iſti principia ſua, cum inducunt in animum, ut Proconſulare Tiberii Imperium labefactent, quod eorum intereſſet propugnare; ſi opinio de LXX. hebdomadarum initio firmiter conſtituta eſt. *2. Æſdra 2.*

Quid quod illud etiam ſatis grave diſcrimen intercedit inter Tiberii Imperium vivente Augusto, & Regnum Artaxerſis, vivente Patre; ut hic eo tempore verus Rex nequaquam eſſet, ſed ex animadverſione Petavii: *Saltem titulo tenus Rex eſſet conſtitutus*; e contra Tiberius non modo Imperatoris vocabulo ante Auguſti exitum honeſtaretur, ſed munera quoque exerceret, & cunctis, Imperatoriæ Dignitati adjunctis, Privilegiis decoraretur. *Ei æquum jus fuit: cum Auguſto communiter adminiſtraret: fuit collega Imperii*; quibus verbis utuntur Scriptores a nobis producti. Unde facile eſt colligere Autorem Chronologiæ Sacræ, & Poſſinum male recenſuiſſe XX. annos Regni Artaxerſis a tempore, quo Rex a Xerſe Patre deſignatus fuit; vel profiteri debere, nos optime exordiri poſſe Imperium Tiberii duobus ante Auguſti interitum annis. *Petav. de doctr. Temp. l. 12. c. 23.*

Et

Autor Chron. c. 28.

Et tamen non deſinit Autor Chronologiæ Sacræ contemtui habere opinionem de duplici Epocha Imperii Tiberii, atque affirmare: *Ut taceam ridiculum prorſus eſſe, opinari, Evangeliſtam eam Imperii Tiberii Epocham iniiſſe*. Quo autem liqueat Criticis noſtris, Imperium Proconſulare Tiberii non abhorrere a ratione, neque ridendam rem eſſe, S. Lucam potuiſſe quindecim annos Imperii Tiberii repetere a tempore, quo in ſocietatem Imperii vocatus eſt, habeto alium locum, e Sacris Bibliis depromtum; quem interpretari nemo poterit, niſi confugiat ad explicationem noſtram S. Lucæ, ſine qua ut conſiderat Patavius, non poſſent Chronologi magnas, præſertim Scripturarum difficultates expedire.

Petav. de doctr. Temp. l. 12. c. 32.

Ierem. 25. 1.

Danielis 1. 1.

Ut Jeremias Propheta ediſſerat nobis Epocham Regni Nabuchodonoſoris, in hæc verba loquitur. *In anno quarto Joachim filii Joſiæ Regis Juda, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis*. Ex adverſo cum Propheta Daniel dixiſſit, Nabuchodonoſorem Hieroſolymam veniſſe anno 3. Regis Joachim, addit ſequenti capite: *In ſecundo anno regni Nabuchodonoſor, vidit Nabuchodonoſor ſomnium*. Porro conſtat, ea quæ de ſemetipſo ſcribit Daniel, impleri non potuiſſe anno ſecundo Imperii Nabuchodonoſoris, quanquam verum eſſet, Prophetam hunc translatum fuiſſe Babylonem eodem anno, quo Rex Joachim addictus eſt in ſervitutem; quandoquidem Daniel, antequam ſiſteretur coram Rege, educatus & enutritus fuit in aula tres annos cibo Regio: *Ut enutriti tribus annis poſtea ſtarent in conſpectu Regis*.

Danielis 1. 5.

Non eſſet ita locus conciliandi utrumque Prophetam, niſi fateremur, duo eſſe ſumenda initia Regni Nabuchodonoſoris. Primum quando a Nabopolaſſare Patre evectus eſt ad Regni ſocietatem, antequam cum mitteret cum Exercitu in Satrapam Cæleſiriæ, qui a fide deſecerat, atque in Joachin Regem Juda: hic porro eſt annus, quem Jeremias appellat primum Regni Nabuchodonoſoris, quique reſpondet quarto Regni Joachim Regis Juda. Aliud initium Regni Nabuchodonoſoris repetendum eſt a morte Patris ejus Nabopolaſſaris; atque ab hoc Daniel orditur duos annos Regni Principis hujus, cum dicit: *In anno ſecundo regni Nabuchodonoſor vidit Nabuchodonoſor ſomnium*.

Revoſ. l. 3. Hiſt. Chald. Joſeph. antiq. l. 10. c. 11. & 1. contra Appion. Euſeb. l. 9. de Præparat. Ptolom. de Regno Babyl.

Lucæ 3. 1.

Atque hoc loci animadvertendum eſt, Scriptores cum Eccleſiaſticos tum profanos, rationem habentes Regni Nabuchodonoſoris a morte Nabopolaſſaris Patris ejus, ipſi 43. duntaxat annos tribuere; ſed ſecundum Jeremiæ rationem dicendum eſt, eum regnaſſe 44. annos, & menſes octo. Quo exemplo evincitur, mirum non eſſe cum S. Lucas ait: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, factum eſt verbum Domini ad Joannem in deſerto*: ipſum ſubducere quindecim hoſce annos ab eo tempore, quo Ti-

Tiberius ab Auguſto comes Imperii adoptatus eſt; quamvis hic eſſet tantum annus 13. a morte Auguſti.

§. IV.

Duplex Epocha Imperii Tiberii roboratur teſtimoniis Sanctorum Patrum, & firmiſſimis conjecturis.

SAnctus Irenæus primus eſt inter Sanctos Patres, qui ſeſe offerat nobis, atque afferat: *Natum eſſe Dominum noſtrum circa primum & quadrageſimum annum Imperii Auguſti*; atque adeo ſupputando annum iſtum a morte Julii Cæſaris, certum eſt, S. Irenæum ſtatuere Nativitatem Jeſu Chriſti anno XLI. Juliano. Porro cum Pater hic alibi dicat, Dominum noſtrum baptizatum fuiſſe anno ætatis triceſimo incœpto, ad-datque, eum tria Paſchata celebraſse, conſequens neceſsario eſt, illum accepiſse annum XV. Tiberii, de quo loquitur Lucas, pro anno XV. proconſulari hujus Principis: alias ab Evangelii mente deſciſceret, & ſecum ipſe pugnaret.

Irenæus l. 3. et 25.

Irenæus l. 2. et 39.

Sanctus igitur Martyr exiſtimavit, *factum eſſe verbum Domini ſuper Joannem* anno XXVI. Æræ Chriſtianæ, & XV. Imperii Proconſularis Tiberii, anno inſequente Præcurſorem abluiſse aquis Baptiſmatis Jeſum Chriſtum, atque hunc celebraſse Paſcha annis XXVII., XXVIII., & XXIX. Æræ noſtræ. Quare non eſt cur dubitemus S. Irenæum haud ſupputaſse quindecim annos Tiberii, a S. Luca memoratos, ab eo tempore, quo conſors Imperii factus eſt.

Secundum hæc non video, qui firmius probare poſſem, S. Clementem Alexandrinum cognoviſse duo initia Imperii Tiberii, quam ſi oſtendero, S. hunc Doctorem ſentire, Tiberium regnaſse annos 26. quod ſane affirmare non poſset, niſi duos vel tres Imperii Proconſularis in eis comprehenderet. Id autem perſpicue videre eſt in proxima Tabula.

S. Clem. Alex. l. 1. Strom. pag. 339.

T A B U L A

Depromta e S. Clemente Alexandrino, in qua ponit duas Chronologias diverſas Imperatorum Romanorum.

Prima.		Secunda.	
		Cajus Jul. Cæſar An.	3. M. 4. D. 1.
Auguſtus.	43.	Auguſtus	46. M. 4. D. 1.
Tiberius.	22.	Tiberius	26. M. 6.
Cajus.	4.	Cajus	3. M. 10. D. 8.
Claudius.	14.	Claudius	13. M. 8. D. 28.
Nero.	14.	Nero	13. M. 8. D. 28.

Tertullianus quoque diſtinguit duas Epochas Imperii Tiberii. Compertum nanque eſt, S. Joannem Baptiſtam non baptizaſſe Salvatorem ante initium prædicationis ſuæ, quod incidit in annum 15. Tiberii. Nihiloſecius ex Tertulliano Jeſus Chriſtus ſuſcepit Baptiſma anno 12. Regni hujus Principis, & exceſſit e vita decimoquinto: *Hujus decimoquinto anno paſſus eſt Chriſtus*; quod manifeſto repugnaret, niſi Tertullianus duo Imperii Tiberii initia cognoviſſet. Neque enim fieri poteſt; S. Joannem cœpiſſe verbum Dei nunciare anno 15. Tiberii, & Salvatorem baptizaſſe anno 12.; niſi annos iſtos ineamus a morte Auguſti, illos vero ab Imperii ſocietate. Qua de re Pagius fatetur, *Julianum Africanum, uti & alios pleroſque Antiquos, qui primis quatuor Eccleſiæ ſæculis floruere XV. Imperii Tiberii annum non a morte Auguſti Cæſaris, ſed ab Imperio Proconſulari Tiberii, anno Æræ Dionyſianæ XI. aut XII. collatos deducere.*

Tertull. l. 1. contra Marc. c. 15.

Pag. Tomo 1. Crit. Diſſ. de Periodo Græca Romana pag. 14. Col. 2.

Ceterum non deſunt nobis argumenta, quæ conſtantia videri debent ut oſtendant Patres primorum ſæculorum diſtinxiſſe revera duo initia Imperii Tiberii. Sed in anteceſſum animadvertamus: Evangelium perſpicue dicere, S. Joannem Miniſterium ſuum auſpicatum fuiſſe anno 15. Imperii Tiberii: Evangelium idem tradere S. Joannem tum cœpiſſe baptizare cum ad Jordanem acceſſit Jeſus, & Baptiſma illud ſuſciperet: Secundum teſtimonium omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, quos adduximus, Jeſum Chriſtum a vivis migraſſe anno 15. Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus ætatis ſuæ annorum 30., & aliquanto amplius; poſtquam enunciavit doctrinam ſuam unius, vel duorum annorum ſpatio, ut plerique Patres affirmant. Denique ferente id Hiſtoria profana, cum Auguſtus fatis ceſſerit die 19. menſis Auguſti, anno Juliano 59., & 14. Æræ noſtræ, & Tiberius in ejus locum ſuffectus fuerit, decimumquintum annum Imperii ejus incipere non potuiſſe niſi ad diem 20. menſis Auguſti anni 28. Æræ Chriſtianæ, & 73. Juliani. Ex qua ratiocinatione S. Joannes non cœpit prædicare Baptiſma Pœnitentiæ ante menſem ſeptembris hujus anni, neque Salvatorem lavit Baptiſmate, niſi ſecundum Traditionem 6. die Januarii anni inſequentis. Poſtremo loco cum teſtimonia Patrum Eccleſiæ eum obiiſſe cenſeant anno 15. Tiberii, mors hæc pretioſa collocari nequit, niſi menſibus Martii, vel Aprilis.

Lucæ 3. 1. Matt. 3. 13. Marci 1. 9. Lucæ 3. 31.

Quibus poſitis fit ne credibile, Patres Eccleſiæ hæc omnia ſcientes, quæ nemo poterat ignorare, non dubitaſſe tamen defendere, Jeſum Chriſtum mortuum fuiſſe anno 15. Tiberii, niſi duo Imperii hujus initia diſtinxiſſent? Quis ſibi perſuadeat citra illam explicationem, credidiſſe eos, Jeſum Chriſtum in cruce pependiſſe eodem anno, quo S. Joannes prædicare cœpit, nimirum decimoquinto Imperii Tiberii; ſiquidem hoc conſtituto oporteret, eos Chriſti Miniſterium trium menſium ſpatio definire;

tue-

tueri, cum Paſcha duntaxat unum in Mortis pervigilio recoluiſſe; & Evangelio repugnare in multis, quæ perſpicue tradit.

Bona itaque fide profiteamur, tot Patres, qui revera celeberrimi & ſapientiſſimi Eccleſiæ ſunt, lapſos fuiſſe in Anachroniſmos non paucos, in errorem facti incredibilem, & nullius in Evangelio atque Hiſtoria profana intelligentiæ cenſendos eſſe; niſi cognoverint, Tiberium vivente Auguſto Imperatoria autoritate ornatum fuiſſe, atque annos Imperii ejus ab eo tempore revocandos eſse.

Quamobrem cum SS. Doctores iſti tempus & annum mortis Chriſti ex Imperatorum & Conſulum temporibus ſubduxiſſent, quemadmodum apparet ex locis, quæ dedimus, & ſacras Litteras funditus ſcrutati fuiſſent; fidenter pronunciare poſſumus, videri ipſis, S. Lucam duxiſse annos Tiberii, ex eo tempore, cum comes Imperii renunciatus eſt. *Lucam,* inquit Pagius, *de anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, non vero de anno XV. Imperii ejus Auguſtæi intelligendum antiqui docuerunt.* Verum quidem eſt, cum Sanctus Lucas dicat, Joannem initium feciſſe Baptiſmatis conferendi anno XV. Imperii Tiberii, & Salvatorem quoque ablutum fuiſse XV. anno ejuſdem Imperii; temporibus ſequentibus quindecim annos iſtos explicatos fuiſse a morte Auguſti; quanquam Patres conſtanti priorum ſæculorum Traditione; & peritis ratiocinationibus accepiſsent, quindecim annos iſtos incipiendos eſse ab Imperio Proconſulari Tiberii. *Pagi Crit. Tomo 1. Sec. 1. ann. Christi 32. pag. 24. col. 2.*

Quod ſi hæc enodatio neceſſitatem habet in conciliando Jeremia cum Danielo, perſuaſum habeo, neminem poſse committere, quin tum quoque ad eandem ſe recipiat, ut SS. Patres conſentire faciat Evangelio, Scriptoribus profanis; & tot Doctoribus hanc hallucinationem, quæ fidem omnem ſuperare videtur, minime affingat.

Hoc autem pacto, omnia nectuntur invicem, & perfecte componuntur. S. Joannes cœpit vulgare Verbum Dei anno XV. Imperii Proconſularis Tiberii, qui reſpondet XIII. poſt mortem Auguſti, XXVI. Æræ communis, & 71. Juliano Jeſus Chriſtus baptizatus eſt 6. die menſis Januarii anni XXVII. Æræ noſtræ; fungi cœpit munere ſuo eodem anno, poſtquam jejunavit, & 40. dies noctesque in Deſerto tranſegit: Eidem operi inſtitit toto anno XXVIII. Æræ vulgaris; denique mortuus eſt XXIX. duobus Geminis Conſulibus, ætatis XXX. annorum, Paſchate ter celebrato; quorum primum enunciatur a Joanne cap. 2. n. 13. poſtquam Nuptiis Canæ interfuit. Idem Evangeliſta meminit ſecundi Paſchatis c. 6. 4., quod Jeſus poſt miram panis multiplicationem celebravit. Poſtremum tandem confecit in pervigilio mortis, uti notant SS. Matthæus, Marcus, & Lucas. *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.*

Patres diverſa ſentiunt de annis, quibus Jeſus Chriſtus prædicavit; deque numero Paſchatum, quæ recoluit. S. Clemens Alexandrinus, Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, & nonnulli fortaſse alii putant, Salvatorem unius duntaxat anni ſpatio Evangelium nunciaſse. Sed fit veriſimile, eos intelligere annum totum, non habita ratione anni illius deſinentis, quo baptizatus eſt, atque alterius incipientis, quo vitam finivit. Porro opinio communis fert, eum tria Paſchata celebraſse, & duorum annorum ſpatio docuiſse. Apollinaris Laodicenus ait: *per tria Paſchata, duos poſtea implevit annos*. Caſſiodorus eadem utitur dictione in Chronico. Cyrillus quoque Alexandrinus, & Proſper Aquitanicus ſcripſere, cum prædicationi duos annos incubuiſse, & tria Paſchata celebraſse: Origenes tandem vult: *Uno anno & aliquot menſibus prædicaſſe*.

Apoll. Laod. apud Hieron. in Danielem cap 9 Cyrill. Alex. in Iſaiam cap. 29.

§. V.

Argumenta objecta in duplicem Epocham Imperii Tiberii.

QUicunque Principis hujus Proconſulare Imperium adoritur, iiſdem ferme utitur argumentis, quæ in hæc recidunt.

Si Tiberius fuiſſet Imperator ante Mortem Auguſti, quare Livia mortem ejus tot artibus occulebat, *donec Tiberius adveniſſet*. Atqui ſi fides Svetonio eſt, aderat Tiberius, cum Auguſtus evaſit e vita. *In Illiricum profectus eſt Tiberius, & ſtatim ex itinere revocatus, jam quidem affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc Auguſtum reperit*. Quis miretur, fœminam pavidam in eo rerum ſtatu tam lubrico & periculoſo conſternatam fuiſſe?

Petav. de Doctr. Temp l. XI. c. 7. Autor Chron. Sacra c. 28: Alexand Hiſt. Tomo 1. Diſſ. 2. q. 2. Poſſinus Epiſtola 2. ad Papebrok. Tomo 4. Maii. p. 2. p. 13. & alii. Tac. Ann. l. 1. c. 5. Sveton. c. 21.

Quamvis Tiberius cum Auguſto ſupremæ autoritatis commoda communicaret, quot erant, ejuſdem familiæ Viri, quot præclari duces, quot ad audendum projecti, qui de poſſeſſione Tiberium deturbare poſſent, atque jus ejus in controverſiam vocare? Nunquid nihil adhuc erat, quod timeret a Senatu, & Populo Romano, qui ſuæ libertatis anxius ſemper fuerat, quique eo ſe tum deductum cognoſcebat, ut illam in perpetuum amitteret? Denique Liviam non latebat, Legiones, multos e primo ordine, populum ipſum facile admodum, pro Germanico ſuffragia daturos; *ſi Princeps hic*, uti adnotavit Tacitus, *vellet Imperium*: quod idem alios quoque Scriptores non fugit. Hæc autem omnia tanti eſſe poterant, ut fœminam deterrerent, & conſilia ſua caute inſtrueret, *donec Tiberius adveniſſet*.

Tacit. in Ann. l. 1. Sveton. in Tiber. c. 25. Vellejus l. 2.

Si Tiberius, objiciunt ſecundo loco, Imperatoris titulum ſumſerat, cur Tacitus Mortem Agrippæ *Novi Principatus novum facinus* appellat. Unde factum eſt, cœpiſſe Conſules poſt Mortem Auguſti jurare in verba Tiberii,

Tacitus ibid. l. 1. c. 5.

berii, atque hoc ſacramentum ipſi in ſingulos annos renovare ſpopondiſſe. Quæ tamen & alia his ſimilia objecta nihil efficiunt magis, niſi, cum poſt Mortem Auguſti Tiberius ſumma rerum ſolus potiretur, exinde narrari eventa omnia, quaſi vero Tiberius nunquam honoribus Imperatori debitis honeſtatus fuiſſet. Quare non appellabitur Principatus Tiberii novus, quod attinet ad modum antecedentis; ſi revera differt a primo, & Tiberius cum nemine ex tunc ſupremam autoritatem partiatur? Argumentum vero, quod majus omnibus negotium faceſſit; ducitur e quodam loco Spartiani in Vita Imperatoris Adriani, ubi hiſtoricus hic loquens de Marco Aurelio, & Lucio Vero: *Hi ſunt* ait, *qui poſtea duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernavere.*

Ex quibus verbis concludunt Eruditi noſtri, Tiberium, etſi in multis eandem, atque Auguſtus, autoritatem obtinuerit, non tamen Auguſtum ſalutatum fuiſſe, quoniam ante M. Aurelium, & L. Verum, duo nunquam alii illud faſtigium aſcenderant. *Petavius. Auctor Chron. Sacra. Alexander.*

Reſpondemus, licet Tiberius in Imperii ſocietatem vocatus fuerit, & Principis, atque Imperatoris titulo decoratus, nos tamen haud aſſerere, eum fuiſſe Auguſtum; ut nanque hoc vocabulum alicui tribueretur, non erat ſatis, gaudere poteſtate Tribunitia, & Imperio Proconſulari, quod ſummum jus in Provincias, atque Exercitus conferebat; ſed opus erat quoque, ut cenſeretur Auguſtus, plenam exercere in Urbe ipſa autoritatem; quod privilegium Tiberius nondum receperat.

Convenit libenter, inquiet aliquis, fuiſſe Tiberio inſignia quædam Summæ poteſtatis, quemadmodum Tribunatum, & Imperium Proconſulare; ſed Imperatoris conditio dignitatibus iſtis non adjungebatur, alias oporteret confiteri, eos omnes, qui his præditi fuere, habitos fuiſſe Imperatores, quod nemo affirmabit. Quem præterit, Agrippam multo ante Tiberium Poteſtatem Tribunitiam accepiſſe, & Senatum Tiberii precibus Imperium Proconſulare contuliſſe Germanico filio Druſi, atque a Tiberio adoptato; etſi neque Princeps hic, neque Agrippa nunquam Titulo Imperatoris appellati ſint.

Hoc tamen argumentum per ſe ruit, ſi modo attendimus, ut quis comes haberetur Imperii, omnem autoritatem divideret, & Imperatoris vocabulo afficeretur, non fuiſſe ſatis, Poteſtatem Tribunitiam habere, vel evehi ad Imperium Proconſulare; ſed opus fuiſſe his duobus muneribus ſimul fungi. Propterea mirum non eſt, neque Agrippam neque alios omnes, qui poteſtatem Tribunitiam ab Imperio Proconſulari ſejunctam, acceperant, non fuiſſe Imperatores, neque Imperii conſortes.

Tametſi etiam Imperium Proconſulare mereretur Imperatoris nomencla-

claturam, non tamen congruere poſſet Germanico, qui ea dignitate inſignitus non fuerat, niſi his præſtitutis finibus, ut ejus poteſtas extra Romam in eas Provincias eſſet, quæ, ut ait Tacitus, *Mari dividuntur*; non vero in univerſum dominaretur provinciis omnibus, atque Exercitibus, ut poſtulabat Imperium Proconſulare, quoties nulla circumſcriptione conferebatur.

Tacitus l. 1.

Ii autem revera in errorem lapſi ſunt, qui crediderunt, Imperatoris titulum non conſueviſſe iis tribui, qui Tribunitia ſimul, & Proconſulari dignitate fulgebant; quandoquidem plura occurrunt exempla in adverſam partem; idemque Pagius animadvertit, poſt Getam Cæſarem Imperatoris appellatione donatos fuiſſe Cæſares omnes, quamquam neutrum ex his muneribus ſuſtinerent. Tiberius ipſe, uti narrat Vellejus Imperatorio nomine honeſtatus fuit, antequam Imperio ſociaretur. *Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa in animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat.* Tillemontius item inquit, Auguſtum dediſſe Tiberio Titulum Imperatoris anno 24. Imperii ſui, ſi hujus a Pugna Actiaca initium ducas.

Petav. de Doctr. Temp. l. 11. c. 7.
Pagius Crit. in Annal. Baronii ad ann. 11. art. 12.
Vellejus l. 2. c. 2.
Tillem. Hiſt. Emper. Tome 1. pag. 30. Gallic.

Ut autem evellatur ſcrupulus omnis, qui ſuper Spartiani verbis injici poſſet; affirmantis, nunquam ante M. Aurelium, & L. Verum habitos fuiſſe duos Imperatores, nihil attinet hoc loci præſtare, niſi quædam exempla congerere in adverſum. Primum ſit Claudii, & Neronis, quod peto ex his Taciti ſenſis: *Cæſar* (Claudius Imperator) *adulationibus Senatus libens ceſſit, ut viceſimo ætatis anno Conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatus Proconſulare Imperium extra Urbem haberet.* Ab eo tempore collatum eſt Neroni Nomen Imperatoris, vivente ipſo Claudio, ut videre eſt in Numiſmatibus multis Neronis. In quorum aliquo legitur: *Nero Claudius Cæſar Imperator, & Octavia Auguſta F.* Porro hæc duo Numiſmata cuſa ſunt ante Claudii Mortem; ſiquidem Nero non afficitur vocabulo Auguſti propter rationem, quam dabimus inferius.

Tacit. l. 12. Annal.
In alio vero: *Nero Claudius Imp.*
Apud Mediobardum in Numiſmatibus Imper.

Alterum exemplum Titi eſt. *Simul filius*, inquit Plinius, *ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribunitiæ poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus &c.* inſequenti vero capite: *Non ſolum ſucceſſor Imperii; ſed particeps etiam Sociuſque placuiſti.* Loquitur vero Hiſtoricus de Veſpaſiano, qui Titum in Imperii ſocietatem vocavit. Qua de re Svetonius Titum *Collegam cum Patre* vocat in adminiſtratione Imperii. Immo Titus accepit quoque Imperium Proconſulare, & propterea Plinius ei ſæpe Imperatoris Nomenclaturam tribuit ante Mortem Veſpaſiani. Id Philoſtratus perſpicue tradit. *Cum igitur Imperator eſſet Romæ appellatus Titus, omnibus ornatus dignitatibus, abire conſtituit, ut ſimul cum Patre imperaret.*

Plinius in Paneg. de Trajano cap. 8. & 19.
Svetonius in Veſp. c. 6.
Philoſtr. l. 6. de Vita Apollon. Tyanæi cap. 14.

Me-

Mediobardus tandem Numiſmata multa ſervavit, in quibus Titus appellatur Imperator *Cæſar Imp. Veſpaſianus.*

Hiſtoricus quidam notavit, Nervam adoptaſſe Trajanum, eumque Imperatoriæ potentiæ ſocium ſumſiſſe. *Nerva Trajanum in Liberi locum, inque partem Imperii adoptavit, cum quo tribus vixit Menſibus Nerva*, inquit Scriptor alius, cum aſcendiſſet Capitolium, contenta voce: *Quod felix fauſtumque ſit*, inquit, *Senatui, populoque Romano, mihique ipſi, Marcum Ulpium Nervam Trajanum adopto: eumque poſtea in Senatu Cæſarem deſignavit. Itaque Trajanus tunc Cæſar, ac poſtea Imperator.* Quæ verba indicant, Trajanum continuo adoptatum fuiſſe, deinde Cæſarem factum, poſtquam Imperium Proconſulare accepit, quod neceſſe erat, ut Imperatoris nomine gauderet. Quo porro nomine inſignitur in quodam Numiſmate, cuſo ante Mortem Nervæ, quod refert Capita Nervæ & Trajani cum his vocibus: *Traianus Imper. Cæſar.* Dodvvelus contendit, Trajanum Cæſarem effectum, ſubinde Auguſtum appellatum fuiſſe. Locus Dionis id non habet, ſed ſolum *Cæſarem deſignatum, ac poſtea Imperatorem factum*; neque Auguſti dignitatem Imperatoris vocabulo ſignificare voluit.

Victor. in Epitome Plin. in Paneg. Trajani c. 8. & 9.

Dio l. 68.

Dodvvelus in Append. ad Diſſert. Cyprianum XL.

Non eſt mirum, inquies, Tiberium, Neronem, Titum, Trajanum Titulo Imperatorum donatos fuiſſe, quem Senatus Decretum concedebat Ducibus Exercituum, qui illuſtrem aliquam Victoriam retulerant, in qua decem millia inimicorum cæſa fuiſſent, vel Urbem aliquam inſignem occupaſſent. Atqui id genus Imperatores Imperio non adjungebantur, neque ſupremam cum iis poteſtatem dividebant, qui præerat Reipublicæ. In qua ſane ſignificatione Auguſtus ejuſque Succeſſores Imperatorio nomine claruerunt; neque unquam ante M. Aurelium, & L. Verum duo ſimul Imperatores fuerunt.

Ut autem difficultatem iſtam tollamus, meminiſſe neceſſe eſt, eis, qui conſortes erant Imperii, licet propter Imperium Proconſulare titulus Imperatoris adderetur, non tamen Auguſti nomen tribui conſueviſſe. Hac de cauſſa Plinius non raro Trajano Imperatoris qualitatem, nunquam tamen Auguſti dignitatem accenſet. Quod idem animadvertere poſſumus in Numiſmatibus Titi, cuſis vivente Veſpaſiano, in quibus Filius Auguſti, atque Imperator, nunquam tamen Auguſtus appellatur. Ante tempora M. Aurelii, quoties unus tantum Imperium adminiſtrabat, vocabatur Auguſtus, quod nomen ſemper retinebat, licet Collegam haberet, qui ad Imperium aſſumtus, Imperatoris quidem, non autem Auguſti ornamento afficiebatur.

At vero qua ratione ſubjunges, diſtinguemus in Libris Autorum, atque in Numiſmatibus, quando nomen Imperatoris tributum erit propter

Im-

Imperium Proconſulare, vel propter aliam inſignem Victoriam, in Reipublicæ hoſtes reportatam? Autor quidam hanc regulam condidit, quam Pagius probat. Quoties Imperatoris titulus in Numiſmatibus locum habet ante nomen proprium tum indicat dignitatem Proconſularem, atque Imperii ſocietatem; adeoque hæc Inſcriptio, quæ legitur in quibuſdam Numiſmatibus Titi: *Imperator T. Cæſar Auguſ. F.* Principis hujus Imperium Proconſulare ſignificat.

Mediobardus ubi ſupra. Pagius Crit. in Baronium ad ann. 71. num. 4.

Contra vero cum Imperatoris nota reperitur poſt nomen hoc pacto: *T. Cæſar Veſpaſianus Imp. IV.* tum ad Victorias refertur. Denique quoties Titus appellatur Imperator propter ſuum Imperium Proconſulare, & propter Victorias in eodem Numiſmate, Inſcriptio ita diſpoſita eſt. *T. Cæſar Imp. Veſpaſianus;* atque in averſa facie Nummi: *Imp. XIII. Coſ. VI.* Extant Numiſmata Neronis & Trajani, in quibus eadem regula ſervatur.

Hic vero non eſt animus, conſtituere Tiberium in Imperii ſocietatem adductum fuiſſe ante Mortem Auguſti, exemplo Neronis, Titi atque aliorum, qui eadem dignitate aucti ſint; ſed tantum probare ante M. Aurelium, & Lucium Verum fuiſſe Romæ Imperatores duos, qui ſupremam autoritatem, interſe dividerent. Quod vero maxime animadvertendum eſt, Claudius ipſe, Veſpaſianus, & Nerva Collegas ſibi adſciverunt; ut in hoc exemplum Auguſti ſequerentur, qui primus Tiberium ſibi ſociaverat.

Cujus rei tanta erat apud omnes perſuaſio ſub exitum Sæculi III. ut Anonymus ille, qui Panegyricum Maximiani Herculei, & Conſtantini deſcripſit, Urbem Romanam ita loquentem induxerit, ut ſuadeat Maximianum, ne ſe abdicet ab Imperio: *Quo uſque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quieſcere; mihi libertatem adimi, te uſurpare tibi illicitam miſſionem? An quod D. Auguſto poſt Septuaginta ætatis; quinquaginta Imperii, non licuit annos, tam cito licuit tibi?* Hervvartus & Pagius mordicus tuentur, nihil affirmari poſſe diſertius ad ſignificandum Imperium Proconſulare Tiberii.

Hervvartus Chron. cap. 248. num. VI. Pagius Crit. in Annal. Bar. ad annum 79. n. 5.

Cum itaque communis Eccleſiæ Patrum Traditio conſtituat Mortem Redemtoris noſtri XV. anno Imperii Tiberii; neque poſſit quis numerare quindecim annos a morte Auguſti, quin Sanctos Doctores pugnantia turpiter loquentes faciat, atque Hiſtoriam prædicationis S. Joannis Baptiſtæ, & Vitæ Jeſu Chriſti perturbet; neceſſum fuit, duplicem Imperii Tiberii Epocham probe ſtatuere; refellere ea, quæ contra feruntur; & factum hoc hiſtoricum pro viribus illuſtrare: quod præſtare nullo modo potui, citra quam in re hac diu immorarer, & aliqua ſaltem ratione extra propoſitum divagarer; quamvis quæcumque dixi eo reci-

recidant; ut confirment præcipuum graviſſimæ hujus controverſiæ caput de anno Baptiſmatis & Mortis Chriſti, & Patrum doctrinam tueantur, quibus placuit, Jeſum Chriſtum animam efflaſſe ætatis circiter 30. annorum, anno XV. Imperii Tiberii, duobus Geminis Conſulibus.

ARTICULUS X.

Sententia S. Irenæi de ætate Jeſu Chriſti.

§. I.

Autores non idem ſentiunt de locis S. Irenæi, & ſatis veriſimile ſit, ea eſſe ſuppoſititia.

SAnctus hic Doctor libro ſecundo adverſus Hæreſes c. 39. hæc habet: *Omnis quilibet confitebitur, a quadrageſimo, aut quinquageſimo anno declinari jam in ſeniorem ætatem; quam habens docebat* Chriſtus, *ſicut Evangelium, & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia apud Joannem Diſcipulum Domini convenerunt, idipſum tradidiſſe eis Joannem...... Quidam autem non ſolum Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hoc ab eis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione.* Capite vero inſequente explicans verba, quæ Judæi Chriſto exprobrabant: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Addit Irenæus: *Hoc dicitur ei, qui jam 40. annos exceſſit, 50. autem nondum attigit, non tamen multum a quinquageſimo abſtitit.* *Ibidem cap. 40.*

His igitur verbis innixi, Petavius, Caſaubonus, aliique multi exiſtimarunt, in ea fuiſſe ſententia, S. Irenæum, ut crederet, Salvatorem agentem annum 40., vel 50. obiiſſe. „ Nolo equidem grave crimen, „ inquit Tillemontius, in Irenæum conflare, quia putaverit Jeſum „ Chriſtum 40. annum exceſſiſſe. Neque etenim contrarium oſtendi poterit ex Evangelio, quod quidem deſignat tria vel quatuor Paſchata „ inter Baptiſmum, & Mortem; ſed non prohibet, quominus credamus, „ plura alia interfuiſſe; vel annos multos fluxiſſe, inter XV. Tiberii, „ quo S. Joannes prædicare cœpit, & Baptiſma Jeſu Chriſti.

Petav. in Animad. in Epiph. Hær. 51. Caſaub. Exerc. 16. a 105. ad ann. 34. nu. 142.
Tillem. Epiſtola ad Lamium, art. 70. Gall.

Autor Chronologiæ Sacræ, & Alexander innituntur loco S. hujus Martyris, ut probent repugnantiam Patrum Eccleſiaſticorum de anno Mortis Chriſti, utque aliquo ſaltem modo purgent opinionem ſuam, ab nonnullis Litteratis Viris adoptatam, qua ſentiunt Chriſtum in Cru-

Autor Chron. Sacra cap. 32. Alex. Tomo 1. Hiſt. ſæc. 1. Diſſ. 2. q. 3.

cem actum fuiſſe anno ætatis ſuæ 37. *Hanc ſententiam eo libentius ſequimur*, inquit Autor Chronologiæ Sacræ, *quo magis propior eſt ſententiæ eorum, qui Apoſtolos viderant, & audierant, qui non leviter, aut aliud agentes*; ut ait Irenæus, *ſed conſtanter teſtati ſunt, quod Chriſtus ad ætatem vergeret maturiorem, cum doceret.*

Fevardentius in notis ad hunc locum Irenæi.

Fevardentius aperte docet, captum fuiſſe S. Irenæum, quod non ſemel accidit Joanni Chriſoſtomo, Auguſtino, aliiſque Eccleſiæ Patribus: *Candide autem de B. Martyre ſentiendum, quod impetu ipſo refellendi Gnoſticos, qui annum triceſimum primum illum non exceſſiſſe dicebant, in partem contrariam delatus eſt.* Præter id aſſerebant Gnoſtici, eum unius duntaxat anni ſpatio prædicationi operam dediſſe.

Centuriatores magna ſe commoda comparare putant ex his Irenæi verbis. Dupinus inter peculiares S. hujus Martyris ſententias recenſet, quod crediderit, Jeſum Chriſtum annos plus quinquaginta in terris degiſſe. In adnotationibus citat caput 40. libri primi, & caput 49. libri ſecundi. Verum præterquamquod primus Liber S. Irenæi conſtat capitibus tantum 35. neque ipſe ullum hac de re verbum habet cap. 49. l. 2. illud quoque nos movet, haud reperiri ſenſa, ipſi a Dupino tributa cap. 39. & 40. libri 2. ubi ſolum hoc argumentum diſcutit Irenæus. Baronius in eundem errorem incidit, cum dicit, legi apud S. Irenæum, Jeſum Chriſtum paſſum fuiſſe poſt annum quinquageſimum, cum nihil ſuper hac re decernat Irenæus.

Dupinus in nova Biblioth. Tomo 1. pag. 198. Ex Editione anni 1686.

Baron. ad ann. 31. num. 137.

Baron. Ibidem. Pagi Crit. in Annal. Baronii ad annum Tiberii 19.

Cardinalis Baronius, Pagius, aliique Scriptores ratum & conſtans habuerunt, loca S. Irenæi a nobis allata, corrupta fuiſſe; quod quidem vero ſimillimum videri debet, ſi quis attendat animum ad ea, quæ ſequuntur. Primum ſit, ex omnibus operibus Autoris hujus nihil ſupereſſe niſi barbaram Verſionem, & vitiis ſcatentem quinque Librorum adverſus Hæreſes, & quædam fragmenta Græca. Cum autem Libri iſti interpolati ſint ex ipſius Dupini confeſſione, non erit admirandum, loca quoque, in quibus ſermonem habet de ætate Chriſti, quæque obſcura & implexa ſunt, mutationem ſubiiſſe. Quod ſane videtur Pater hic præſenſiſſe, quoniam in fragmento Operum ejus, ſervato ab Euſebio, adjurat S. Pater Exſcriptorem Operum ſuorum, ut diligenter conferat exempla cum Archetypo. *Te, qui hunc Librum tranſcripſeris, per Dominum Jeſum Chriſtum adjuro; ut ſtudioſe conferas, quod tranſcripſeris; & accurate ad exemplar, unde tranſcripſeris, emendes.* Atqui non levem habet ſpeciem veritatis, cum non ſatis auditum fuiſſe, de qua re ſi certior fieri velis; perlege caput iſtud, & conſtabit, quam ſit involutum.

Apud Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 19.

Deinde loca illa apprime adverſantur Doctrinæ S. Irenæi. 1. Cap. 25. l. 3.

l. 3. ait: *Natum eſſe Dominum noſtrum circa primum, & quadrageſimum annum Auguſti Imperii.* Si vero Sanctus Doctor iſte intelligit, uti certum eſt, poſt mortem Caii Cæſaris, non vacat dubitare, cum collocaſſe Nativitatem Jeſu Chriſti anno 41., vel 42. Juliano. 2. Cap. 39. l. 2, in quo locus eſt, de quo agitur, reperimus: *Ad Baptiſmum venit nondum qui triginta annos ſuppleverat, ſed qui inciperet eſſe tanquam triginta annorum.* 3. Ibidem ſcribit Jeſum Chriſtum tria Paſchata poſt Baptiſma celebraſſe; quæ ſigillatim indicat: *tria hæc Paſchatis tempora.*

Ut vero tria hæc cum jactato S. Irenæi loco conciliemus, in quo meminit, Salvatorem annum 40. exceſſiſſe, opus neceſſario eſt, pro rato habere, Jeſum Chriſtum poſt Baptiſma ſuum, non modo tria, ſed plus quam decem Paſchata celebraſſe; vel confiteri neceſſe eſt, inter XV. Tiberii annum, quo S. Joannes prædicare cœpit, & Baptiſma Jeſu Chriſti annos alios non paucos interfluxiſſe. Hæc ſunt duæ conjecturæ, quas jacit Tillemontius, ut ſibi perſuadeat, Jeſum Chriſtum ex mente Irenæi annum quadrageſimum ſuperaſſe: & revera nulla alia cogitari poteſt, quæ Paradoxon iſtud fulcire poſſit; quanquam hæ quoque a nemine propugnabuntur, utpote Evangelio repugnantes.

§. II.

Leviſſimæ ſunt Sapientum conjecturæ, quibus hæc loca revera S. Irenæi eſſe evincere conantur.

EVangeliſtæ quidem non enumerant reipſa, quot Paſchata Jeſus Chriſtus a Baptiſmate ad Mortem celebraverit; nihilo tamen minus cum Eccleſiæ Patres, tum Eruditi omnes poſtremorum ſæculorum, Evangelio fulti, duo tantum, tria, quatuor, ad ſummum quinque recenſent, & ſane ex Actorum ſerie, nec non ex Vita Jeſu Chriſti in Orbis conſpectum peracta non video, qua ratione major illorum numerus mente concipi poſſit. Nullum itaque fundamentum habet conjectatio hæc, qua conſtans habere volunt, Jeſum Chriſtum decem, aut duodecim, vel 15., aut 20. Paſchata recoluiſſe: ſi modo verum eſſet, quod innuere videtur Dupinus, Jeſum Chriſtum ad quadraginta, vel quinquaginta, immo plus quam quinquaginta annos vixiſſe. Quare ut confirmet factum, quod tantopere videtur Evangelio refragari, non ſatis eſt frigide dicere, uti facit Tillemontius: *Non poſſet contrarium oſtendi ex Evangelio, quod quidem deſignat tria, vel quatuor Paſchata inter Baptiſmum & Mortem; ſed non prohibet, quominus credamus, plura alia interfuiſſe.*

Quis probabit argumentationem iſtam ? *Nolo equidem grave crimen in Irenæum conflare, quia putaverit, Jeſum Chriſtum 40. annum exceſſiſſe; neque etenim contrarium oſtendi poſſet ex Evangelio &c.* Atqui non eſt gravioris difficultatis, efficere probando, Jeſum Chriſtum 80. annum, quam quadrageſimum exceſſiſſe; cum per Tillemontium *non poſſet oſtendi ex Evangelio, eum non evaſiſſe annum quadrageſimum*; *ſiquidem deſignat tria vel quatuor Paſchata inter Baptiſmum, & Mortem, ſed non prohibet quin credamus, plura alia interfluxiſſe.*

Ceterum ut Criticus accuratus credat, Salvatorem pluſquam tria, vel quatuor Paſchata peregiſse, licet Evangelium plura his haud recenſeat, non eſt ſatis, ſi dixerit: id non prohibere, quo minus alia queque interfluxiſse credamus; ſed oportet conſtituere conjecturas tantæ gravitatis, quæ videantur maxime adverſari communi ſententiæ Patrum, Litteratorum, ejuſdemque Textus Evangelici, atque iſtas argumentis ajentibus, atque, ut ita dicam, demonſtrantibus fulcire. Quænam oppugnari, aut propugnari non poſsemus hac adhibita argumentandi ratione? Verum enim vero quid ſi oſtendam Tillemontio, cogitatum ejus pugnare ſaltem indirecte cum Evangelio, immo cum Hiſtoria Eccleſiaſtica, & profana? Quamobrem ſi modo affirmare non licebit, Salvatorem celebraſse pluſquam 10., vel 15. Paſchata inter Baptiſmum, & Mortem, neque item licebit tribuere Irenæo locum, in quo contendit Jeſum Chriſtum 40., aut 50. annos ſuperſtitem fuiſse.

Deinde nefas quoque eſt, collocare multos annos inter XV. Tiberii; in quo S. Joannes prædicare cœpit, & Baptiſmum Jeſu Chriſti; quæ altera eſt Tillemontii conjectura. Id vero, quod tollit, ne annos multos ponamus inter initium prædicationis S. Joannis Baptiſtæ, & Baptiſmum Jeſu Chriſti, ſumitur ex Evangelio: 1. Quia quatuor Evangeliſtæ
Matt. 3. 13. Marci 1. 9. Lucæ 3. 21. Joann. 1. 33. adnectunt prædicationem S. Joannis Baptiſmo Chriſti, quod non feciſſent, ſi inter hæc duo facta anni multi, ſcilicet decem, aut duodecim, intercesſiſſent. 2. Ut tot anni interfuiſſent inter initium miniſterii S. Joannis, & Baptiſma Salvatoris, oporteret, eum perſeveraſſe in Verbo Dei nunciando totidem annos: quod ſane paradoxon eſset inter Sapientes, e nulla Evangelii autoritate deductum. 3. S. Joannes non deceſſiſset poſt mortem Tiberii. Cum etenim cœperit fungi munere ſuo anno hujus Principis XV., qui ſeptem duntaxat, aut octo annos ſupervixit, perſpicue ſequitur, Joannem capite truncatum ab Herode fuiſse poſt mortem Tiberii, ſi anni multi fluxiſsent inter prædicationis initium, & Jeſu Chriſti Baptiſmum, qui ſane decem, aut duodecim eſse debuiſsent.

Denique S. Matthæus non loquitur de Morte S. Joannis Baptiſtæ, niſi 14. capite Evangelii ſui, & S. Lucas cap. 6., quamvis uterque Evange-

liſta

liſta antea fuſis verbis narraverit Baptiſmum Salvatoris, ejus prædicationem, miracula, magnamque partem Actorum ejus. Non potuit itaque fieri, annos multos interceſſiſſe inter initium Prædicationis S. Joannis, & Baptiſmum Salvatoris. Quare cum inter duo hæc illuſtria facta, nemo poſſit decem, vel duodecim, aut minus annorum ſpatium commode reperire, illud certo fit, ut ſunt humana, locum S. Irenæi, qui animadverſionum iſtarum origo eſt, corruptum, vel ſuppoſititium eſſe, neque conciliari poſſe cum tribus aliis rebus, quas compertiſſimas S. idem Doctor Poſteris commendavit.

Ego vero animadverto tertio loco, ſi locus, qui controvertitur, revera eſſet S. Irenæi, fatendum eſſe, Sanctum Martyrem iſtum non modo collocaſſe mortem Jeſu Chriſti poſt mortem Tiberii, ſed etiam poſt mortem Caii, illumque ſuperſtitem feciſſe ad uſque 4., vel 5. annum Claudii Imperantis, 44. videlicet, vel 45. Æræ communis. Quæ poſitio conſtare ne poteſt cum Evangelio, quod perhibet, Jeſum Chriſtum a Pilato Judææ Præſide neci damnatum fuiſſe? Quem latet, Tiberium, antequam moreretur, renunciaſſe Vitellium Syriæ Præfectum, & Pilatum adventaſſe Romam anno primo Imperii Caii, qui anno 37. Æræ noſtræ Viennam exulatum ivit? Quamobrem hic haud præerat Judææ ante annos multos, cum aſſeritur Jeſum Chriſtum ejus ſententiam capitalem ſuſtinuiſſe ex jactato Irenæi loco. Quis credat, Patrem iſtum, in Eccleſiaſtica & profana Hiſtoria egregie verſatum, quem Tertullianus appellat *omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem*, turpem adeo errorem in ſe admiſiſſe, qui funditus multa concuteret, quæ in Traditione Apoſtolorum, & primorum Pontificum ſucceſſione idem ipſe conſtituit? *Tertull. l. adv. Valent c. 5.*

Poſtremo loco Autor Chronologiæ Sacræ putat ſibi admodum prodeſſe Traditionem, de qua loquitur Irenæus, petitam a teſtimonio eorum, qui viderant S. Joannem, alioſque Apoſtolos, a quibus acceperant, Jeſum Chriſtum inclinata fuiſſe, & maturiore ætate, cum docebat. Atque hoc pacto exiſtimat Scriptor hic, ſe purgare poſſe opinionem, decem, aut duodecim prioribus Ævis ignotam de ætate annorum Jeſu Chriſti 37. Vel hæc Traditio certa, & conſtans habenda eſt, vel ſuſpicioſa eſt, & ſuper hac quæſtione minime audienda. Si hanc autor noſter aliique in ſuſpicioſis habent, nihil confert ad ipſorum conſilium, & fruſtra ipſi innituntur; ſi vero certa eſt, quare illam minime ſequuntur?

§. III.

§. III.

Quid ſecundum rectam rationem opinandum ſit de ſententia S. Irenæi.

SI locus, de quo diſputamus, revera eſt S. Irenæi, obſequium tantò Doctori præſtandum flagitat, ut in ejus fide quieſcamus de facto, pro quo ſponſores affert tot graviſſimos ſanctoſque Viros, qui illud ab Apoſtolis audierant: *Quidam autem eorum non ſolum Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hæc eadem ab ipſis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione.* Quis unquam Traditionem firmius conſtitutam in medium proferat? Originem nanque habet ab Apoſtolis ipſis, qui tandiu Jeſum Chriſtum viderant, & cum eo verſati fuerant. Ab Apoſtolis manavit continenter ad ipſorum Diſcipulos, qui fontes veluti fuerunt, per quos ad poſteritatem propagata eſt, & collecta a S. Martyre, & eruditiſſimo Eccleſiæ Patre, qui de ea teſtatur; tanquam re percepta ab iis, qui eandem ex ore Apoſtolorum didicerant. Oportet itaque, eruditos Criticos noſtros profiteri, locum, qui in quæſtione eſt, additum certe operi fuiſſe, vel hanc opinionem amplecti. Si nanque hæc omnes notas non habet, quas Critice ſeveriſſima poſtulat, pauca profecto erunt hiſtorica facta, quæ admitti poſſint.

Interim tamen Autores iſti nobis perſuaſum eſſe volunt, locum iſtum legitimum eſſe, & ſimul poſſe ſe ad Traditionem iſtam animum non attendere. „ Nemo unus opinatur ad hanc diem, inquit Tillemontius, „ poſtquam locum S. Irenæi recitavit, Jeſum Chriſtum exceſſiſſe 36. annos „ natum, menſes tres, & dies aliquot.„ Atqui, ſi Teſtimonium S. Irenæi mendoſum non eſt, id opinati ſunt Apoſtoli, eorum diſcipuli, & S. Irenæus. Quare igitur nemo unus id opinatur ad hanc diem? Num fortaſſe quod ex recentioris Critices luminibus omnia a Veteribus viſa, & teſtata, dijudicanda ſint; alias nimium credulorum nomen ſubire neceſſe ſit? Retuli teſtimonia pluſquam viginti quinque Autorum Eccleſiaſticorum, ut probarem, Chriſtum in Cruce pependiſſe triceſimo circiter ætatis ſuæ anno: at nimis a fonte diſtant, ut fidem mereantur. Hic nobis opponunt locum, quem volunt ſuppoſititium non eſſe in eo, quod admitti poteſt, ſed nolunt doctrinam, quam refert, veram eſſe, licet a fonte rei proficiſcatur. Quam igitur viam ingrediemur, ut variæ huic & difficillimæ Criticæ ſatis aliquando faciamus?

Tillem. Tom. 1. art. 24. de Jeſu Chriſto.

Concludamus ergo totam argumentationem, & pronunciemus, ſimillimum vero eſſe, locum S. Irenæi, in quo ſcriptum eſt, Jeſum Chriſtum ex hac vita migraſſe poſt annum ætatis ſuæ quadrageſimum, & prope quinqua-

quageſimum, ſuppoſititium eſſe, vel corruptum. 1. Quia obſcuriſſimus eſt, involutiſſimus, atque adeo contrarius aliis multis rebus, quæ eodem capite continentur. 2. Quia repugnat doctrinæ Sancti Doctoris, ut ſuperius oſtendimus. 3. Quia dicendum eſſet, Magnum hunc Martyrem nunquam legiſſe Evangelium, ſupine ignoraſſe prima Hiſtoriæ elementa, ſi modo credidiſſet, Jeſum Chriſtum pluſquam decem, aut quindecim Paſchata inter Baptiſmum, & Mortem celebraſſe; vel confeſſus fuiſſet, multos annos fluxiſſe inter XV. Imperii Tiberii, quo S. Joannes initium fecit annunciandi pœnitentiam, & Baptiſmum Jeſu Chriſti. 4. Quia opus eſſet concedere, S. Irenæum adverſus manifeſtum Bibliorum teſtimonium poſuiſſe Mortem Jeſu Chriſti multo poſt, quam Pilatus e Judæa diſceſſerat. 5. Si locus hic legitimus eſt, Litterati Viri noſtri rationem ineant, vel illum cum eum Evangelio, atque Hiſtoria componendi, vel fateantur, Irenæum in errores pene incredibiles lapſum fuiſſe.

Denique ſi locus hic ſpurius non eſt, unde fit, Traditionem hanc totam Antiquitatem latuiſſe, atque omnes Patres in ſententia longe diverſa fuiſſe, ut crederent, eum animam dediſſe pro nobis, vel ſecundum probatiorem apud Veteres opinionem anno 30., vel ſecundum alios 31. 32. 33. aut 35. licet S. Irenæi Opera in Antiquorum omnium manibus verſarentur? Multi ne ex Patribus, quos protulimus, mortem Chriſti anno 30. obtrudiſſent nobis, veluti Traditionem ab Apoſtolis deſcendentem; ſi legiſſent in S. Irenæo, eum pluſquam quadraginta annos vixiſſe? Colligendum itaque neceſſario eſt, S. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem. S. Epiphanium, alioſque Veteres non legiſſe hunc locum in Operibus Irenæi, vel ſi ætate ipſornm extabat, eum cenſuiſſe ab aliquo aſſutum calumniatore, fortaſse ex illis, quos redarguit Divus Auguſtinus, quia ſtatuerent Nativitatem, & Mortem Chriſti, & putarent, eum in terris vitam egiſse 46. annis propter imperitiam nominum Conſulum, atque annorum Olympiadum. *Per Olympiadas, & nomina Conſulum multa ſæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, multos coegit errare, ut putarent, quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum.* Quis dixerit hæc Auguſtini verba afficere S. Irenæum? At de eo ſane aliud plane ſentiebat, cum ſcriberet contra Pelagianos, quibus de Irenæo teſtimonium dicit: *Illuſtris doctrina eſt.*

Aug. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 28.

Aug. l. 1. contra Julian. Pelag.

DIS-

DISSERTATIO II.

De quibuſdam Inſtitutionibus Sabbati Sancti, & Temporis Paſchalis.

INter præcipuas Pervigilii Paſchatis ceremonias redigere poſſumus Benedictionem Cerei Paſchalis, quæ omnibus Eccleſiis communis erat: qui porro Cereus in Eccleſia S. Sepulchri igne celitus immiſso accendebatur. Romæ benedicuntur quædam cereæ Effigies Agni, confecti ex particulis ejuſdem Cerei Paſchalis. Eodem die benedictio fontibus Baptiſmatis impertitur, & Cathecumeni ſacro Fonte expiantur. Quas omnes Traditiones in articulis ſequentibus examinaturi ſumus. Deinde agemus de Inſtitutione quadam, vulgo Παννυχία, quæ tempore Paſchali apud Græcos invaluerat;

ARTICULUS PRIMUS.

Cereus Paſchalis.

§. I.

Origo hujus Ceremoniæ.

Amalar. l. de Off. Eccleſ. c. 18. Vvalfr. Strabo cap. 30. Alcuinus de Div. Off. de Sab. Sanct. Baron. ad ann. 418. Spond. ibidem. Grethſerus l. 1. de Feſtis.

INſtitutio benedicendi Cereum Paſchalem refertur paſſim ad Zozimum Pontificem, qui Sanctam Sedem implevit anno 417. Quæ Traditio eruitur e verbis Pontificalis Romani, Amalarii, Vvalfridi Strabonis, Alcuini, & quorumdam aliorum Scriptorum. Non deſunt, qui Cerei Paſchalis originem repetant a quarto ſæculo, atque exiſtiment, hanc Ceremoniam in more fuiſse apud quaſdam Eccleſias particulares, antequam a Zozimo Pontifice renovaretur, vel toti Eccleſiæ ſolemnis redderetur. Illud ſaltem certum eſt, Pontificem hunc facultatem dediſse benedicendi in Paræciis Cereum Paſchalem: *Per Parochias conceſſit licentiam benedicendi Cereum Paſchalem*: Pro qua ſententia afferunt hymnum Prudentii Poetæ, quem ſcripſit ſub finem ſæculi VI. pro Tempore, quo Cereus Paſchalis accendebatur. Ita habet.

In-

Inventor rutili dux bone luminis,
Quis certis vicibus tempora dividis;
Merſo ſole chaos ingruit horridum,
Lucem Chriſte tuis redde Fidelibus.
Quamvis innumero Sydere regiam
Lunarique Polum Lampade pinxeris;
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere:
Hoc ſignas Opere, Conditor inclyte,
Lumen veridicum mentibus omnium
In Chriſto Domino quærere jugiter,
Quem Petra loquitur, Doctor egregius;
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis,
In Chriſti ſolido corpore conditum,
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris igniculis unde genus venit.

Menardus, & Bailletus contendunt, carmina hæc Poetæ Prudentii non eſſe interpretanda de Cereo Paſchali, ſed de Cereis, qui quotidie ſolemniter accendebantur horis Veſpertinis in Eccleſiis inſignioribus. Nihilosecius magis veriſimile fit, chriſtianum hunc Poetam loqui de Benedictione Cerei Paſchalis, ut verſibus ipſis mentem ſuam aperire videtur. *Menardus in Sacram. S. Gregor. Pag. 90. Bailletus in Feſtis Mob. de Sab. Sanct. Gall. art. 28.*

Ejuſdem Ceremoniæ antiquitas confirmari poteſt non ſolum ex Benedictione Cerei Paſchalis, quæ extat in Sacramentario Gelaſii Papæ, atque indicat id moris jam obtinuiſſe ſæculo V., ſed etiam ex duabus Benedictionibus Cerei Paſchalis, quas S. Ennodius Epiſcopus Papienſis reliquit nobis in Operibus ſuis; quæ, in poſtrema Editione Sirmondus collegit. Sanctus hic Antiſtes, qui Ævo ſexto ineunte vixit; nos docet, detrahi ſolitas particulas quaſdam e Cereo Paſchali, quæ diſtribuebantur Fidelibus poſt Miſſam Dominicæ: *Quaſi modo ec.*, ut eas cremarent domi, in Agris, & Vineis, utpote antidotum adverſus Tonitrua ec., quemadmodum loquitur Sanctus Epiſcopus in harum Benedictionum altera: *Si quis ſumſerit adverſus flabra ventorum, adverſus ſpiritus procellarum; tua juſſa faciens, ſit illi ſingulare perfugium, ſit murus ab hoſte Fidelibus.* *Sirm. Tomo 1. pag. 1721. & 1723.* *Ennod. Bened. 1.*

Aliud quoque extat egregium moris hujus teſtimonium ſæculo VII. in IV. Concilio Tolatano, anno 633. celebrato a ſexaginta Epiſcopis, quibus præerat S. Iſidorus Hiſpalenſis. Capite hujus Synodi IV. Epiſcopi referunt hujus Inſtitutionis cauſſam, inter quarum præcipuas una eſt: *Propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum hæc ſolemniter benedicimus, ut Sacræ Reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore noctis hujus votive advenit, benedictione ſantificati luminis ſuſcipimus.* Præterea, qui *Conc. Tolet. 4. c. 8. anno 633.*

inſequentibus Ævis de Ritibus Eccleſiæ ſcripſerunt, de Cerei Paſchalis benedictione locuti ſunt, & ceremoniæ hujus ſenſa myſtica retulerunt, nimirum Symbolum Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quod Fidelibus ſuis Eccleſia proponit. Quanquam vero Cerei Paſchalis benedictio, quæ incipit: *Exultet iam Angelica turba ec.* vetuſtiſſima ſit, Autor tamen ejus in incerto latet. Quidam eam tribuunt S. Auguſtino, vel S. Ambroſio, vel S. Leoni; alii Petro Diacono Montis Caſſini.

Codex Sacram. Thomaſii p. 125. Durandus l. 6. c. 80. n. 2. Mabill. Tom. I. Muſæi Italici p. 322. Euſeb. de Vita Conſtant. l. 4. c. 22.

Compertum eſt, referente Euſebio, multo ante quam conficeretur: *Exultat ec,* Conſtantinum curaſſe, ut ob Eccleſias, & ſemitas ipſas Urbis Byzanthinæ illuſtrandas nocte Paſchatis, columnæ quoque Cereæ accenderentur. Valeſius in Notationibus ad hunc Euſebii locum, ſcribit; columnas iſtas cereas ſignificaſſe Cereum Paſchalem, quem nos in pervigilio Paſchatis accendimus. Ceterum liquet, cereis columnis iſtis nihil fuiſſe cum Cereo Paſchali commune: præterquamquod etenim columnis iſtis non tribuebatur Eccleſiaſtica benedictio, ideo inſtitutæ fuerunt, ut conſuetudini accendendi quamplurimos cereos in Eccleſiis in nocte Paſchatis addito more alios multos accendendi extra Eccleſiam, Feſtum hoc eſſet magis ſolemne, atque ad illud longe plures confluerent.

Fortaſſe quidem ex columnis cereis Conſtantini idem nomen impoſitum eſt Cereo Paſchali: revera etenim in multis Italiæ, & Galliarum Eccleſiis omnes columnæ dimenſiones habet, tum in latitudine, tum in altitudine. Romæ apud S. Joannem in Laterano capitulum columnæ, cui imponitur Cereus Paſchalis, tam altum eſt, ut Diaconus infixurus grana Thuris, eumque accenſurus, ad illum aſcendat ſacris veſtibus indutus in ſuggeſtum. Carnoti cereus Paſchalis olim ſexaginta duarum librarum ponderis erat. Conſtantiæ vero tam procerus eſt, ut e loco inferiori non poſſint Ellychnium accendere, ſed id præſtare ex Eccleſiæ fornice neceſſe ſit.

Claudius Vertius Explic. Cerem. Eccleſ. Tomo 2. p. 120. Gall.

Nomen idem columnæ tributum etiam fuit Candelabro, cui inhæret Cereus Paſchalis; quod ſane multis in locis veræ columnæ figuram refert. Illud certe S. Joannis Lateranenſis Romæ columna eſt ænea cum capitulo, & baſi inhærente tergo Leonis. Ante annos, ne quinquaginta quidem, Cereus Paſchalis Eccleſiæ Remenſis poſitus erat ſuper lignea columna ſingularis magnitudinis. Immo nunc quoque Romæ in quibuſdam Eccleſiis viſitur craſſa, atque alta columna in rem eandem.

Tametſi igitur vulgatiſſima & teſtatiſſima opinio tradat, Zozimum Pontificem inſtituiſſe benedictionem Cerei Paſchalis; non deſinit tamen Bailletus hanc opinionem explodere. Cujus ratio hoc modo digeſta eſt. „ Autoritas Pontificalis tanti non eſt, ut ſpondeat pro „ hujus opinionis veritate. „ Habes quid vocent iſti ſententiam oppugnare tot Scriptorum teſtimonio firmatam? Alibi centies, ubi Cri-

Baill. in Tract. de Feſt. Mobil. Sabb. Sanct. art. 2.

ti-

ticus hic autoritate Pontificalis indiget, ſatis oſtendit, eam tanti eſſe, ut ſufficiat ad id, quod in medium affert, propugnandum.

Idem Bailletus aſſerit quoque, eos, qui Cerei Paſchalis in Eccleſia Romana inſtitutionem ad Zozimi Papæ tempora referunt, fateantur neceſſe eſſe, rem poſt ipſum centum pene, & quinquaginta annorum ſpatio interruptam fuiſſe. Nullum tamen rei hujus argumentum affert. „ Ideo „ fortaſſe non legitur (ſubjungit) Benedictio Cerei Paſchalis in S. Gre„ gorii *Sacramentario*. „ Quod quidem licet daremus ultro, nunquid non Benedictio Cerei Paſchalis, quæ extat in *Sacramentario* Gelaſii Papæ, efficere non poteſt, hanc jactatam intermiſſionem futile commentum eſſe? Præterea hoc *fortaſſe* præſtare ne debet teſtimonio perſpicuo Litteratorum multorum, qui ab hac intermiſſione diſſentiunt? Hæc tamen omnia noſtrum Sanctorum hiſtoricum non continent in officio; ſed ſuſpicionem movere nititur, quaſi vero benedictio hæc addita fuerit *Sacramentario* Gelaſii Papæ poſt tempora Theodori Papæ: videlicet ad VII. ſæculum. Atqui quodnam ſuſpicionis hujus argumentum affert? Hoc Critices genus ad hujus ne artis leges exactum eſt? Nihilo tamen ſecius videtur ſibi Bailletus poſſe hujuſmodi anfractibus eas Traditiones rejicere, quibus non ſapit palatus ejus.

§. II.

De Tabulis deſcriptis in Cereo Paſchali.

VEtuſtiſſima nos docet Traditio, in more fuiſſe, incidere in Cereo Paſchali Inſcriptiones quaſdam, vel ipſi affigere Tabulas, quas Paſchales, vel Eccleſiaſticas appellabant. In his deſcribebantur Epochæ graviores: v. gr. creationis mundi, Nativitatis Jeſu Chriſti, & erectionis cujuſcumque Eccleſiæ. Non omittebant tempus Pontificis, Epiſcopi, Regis, atque alia id genus multa; uti Indictionem, Epactam, Numerum aureum, Litteram Dominicalem, ordinem tandem Feſtorum mobilium, quæ in anni ſerie contingebant, a Paſchate deinceps. Ven. Beda, quemadmodum animadvertimus in Diſſ. præcedenti, meminit conſuetudinis hujus Eccleſiæ Romanæ, affigendi ſingulis annis in Cereo Paſchali Epocham Paſſionis Jeſu Chriſti: *Ipſis teſtatur indiculis, quæ ſuis cereis annuatim ſcribere ſolet, ubi tempus Dominicæ Paſſionis in memoriam populis revocans &c.*

Beda in Libro Temp. ratione cap. 45.

Ad Cancellarium autem ſpectabat, hanc Tabulam deſcribere. Ipſe aliquando Cantor eandem conficiebat, quod indicatur in Ordinario *Savigni* Diœceſis Lugdunenſis: *Magiſter Scholæ inſcribit Cereo anno ab Incar-*

Udalricus in Conſuet. Cluniac. l. 1. c. 14.

natione, præmiſſa ſuperius Cruce. In Inſtitutionibus Cluniacenſibus habentur hæc verba : *Tabulam Paſchalem Præcentor inſcribit quotus annus ſit Dominicæ Incarnationis, quota Indictio concurrens, & Epactæ, Circulus Lunæ, terminus Paſchæ, Littera Dominicalis, Dies Dominicus Paſchæ, Luna ipſius diei, & aureus numerus, Pontificante N. Papa, & quot anni ſunt Pontificatus ejus, regnante Illuſtriſſimo N. Francorum Rege, & quot anni ſunt Regni ejus, & a Nativitate ejuſdem*. Adnotavit Menardus, ſolitos fuiſſe ponere in fronte Tabulæ hujus Crucem, & in fine duas haſce Litteras Græcas *A, & Ω faciat Crucem &c. Inſcribatur annus Domini, atque A, & Ω*. Porro Chriſtiani utebantur ſæpe his duabus Litteris, veluti Symbolis Jeſu Chriſti, qui bonorum omnium origo eſt, ſecundum illud Prudentii:

Menard. in Notat Sacr. S. Greg. pag. 91.

Prudentius Hym. 9. de Chriſto.

Alpha, & Omega cognominatur,
Ipſe fons & clauſula omnium,
Quæ ſunt, fuerunt, quæque poſt
Futura ſunt.

Extant hæ tabulæ ad diem iſtam in multis Eccleſiis Remis, Bellovaci, Ambiani, atque in non paucis Ciſtercienſis Ordinis Monaſteriis. Quod ſi Tabulæ iſtæ non deſcriptæ ſunt, ut olim, in ipſa cera; ſaltem in papiro glutinato Tabulæ ligneæ infixæ Cereo ſub Cruce. Ut autem melius innoteſcat priſcus hic mos, & ratio ſcribendi Tabulas haſce Eccleſiaſticas, hic fuſe digeram illam, quam nobis dedit Ducangius, & depromſit ex Regeſtis Cameræ Rationum Pariſien. Ita habet:

Ducangius Gloſſ. Latin. verbo Cereus pag. 936.

Titulus Cerei Paſchalis Capellæ Regis Paris. Scriptus in Paſcha anno Domini MCCCXXVII.

Annus ab origine mundi, 6526.
Annus ab Incarnatione Domini, 1294.
Annus a Paſſione Domini, 1327.
Annus Indictionis, 10.
Annus Biſſextilis, 3.
Annus ſuſceptionis S. Coronæ Spineæ, 88.
Annus ſuſceptionis S. Crucis, Sanguinis Domini, Catenæ cum magna parte, & veſtimentorum infantiæ, & quadam tabula, quam tetigit facies Chriſti, & quodam fruſto Ligni S. Crucis, & Sanguine, qui fluxit de imagine Chriſti percuſſa, & cum Lacte B. Mariæ Virginis, & ſuperioris parte Capitis B. Joannis Baptiſtæ, cum capitibus S. Clementis, S. Blaſii, & S. Simeonis, 87.

An-

Annus ſuſceptionis Sacroſancti Ferri, & Lanceæ, cum Veſte purpurea, & Arundine, & Spongia Domini, & cum Linteo, quo fuit præcinctus in Cœna, & cum peplo B. Virginis, & Virga Moyſi, 79.

Annus Dedicationis Capellæ, 87.

Annus Tranſitus S. Ludovici, 57.

Annus Canonizationis ejuſdem, 29.

Annus Translationis capitis ejuſdem, 20.

Annus ætatis Caroli Regis præſentis, 32.

Annus Regni ejuſdem, 6.

Annus Epiſcopatus Hugonis Pariſ. Epiſcopi, 2.

Quæ Inſcriptio locum dare poteſt conjecturæ, alias Eccleſias in Tabulis Paſchalibus meminiſſe Reliquiarum ſuarum, & notam poſuiſſe anni, quo in illarum poſſeſſionem venerant, ut tantæ rei memoria ſervaretur. Quo item fit, ſi Tabulæ Paſchales iſtæ ad nos uſque perveniſſent inſtar hujus, poſſe nos certo ſcire, quænam Reliquiæ in iſtis Eccleſiis venerentur, & quo revera tempore ad illas translatæ fuerint. Magno etiam Tabulæ iſtæ adjumento eſſent ad cohibendum præcipitem impetum torrentis immoderatæ Criticæ noſtrorum Temporum, quæ contentione tanta invehitur in pleraſque Reliquias, aſſumta ratione, eas non ſatis teſtatas eſſe, & monumentis authenticis confirmatas. Interea tamen Eccleſiaſticæ Tabulæ iſtæ diligentiam oſtendunt ab Epiſcopis adhibitam, ut extaret memoria Reliquiarum. Quod ſi in præſens quamplurimæ reperiuntur, quarum originem aſſequi non poſſumus, ideo eſt, quia deſtiterunt conficere Tabulas Eccleſiaſticas, & temporum injuria ſuſtulit nobis illas, quæ ante hac deſcriptæ fuerant in certiſſimum veritatis Reliquiarum monumentum. Quamobrem pretioſæ Sanctorum pene omnium exuviæ nullam aliam reliquam probationem habent, niſi eam, quæ in immemorabili Traditione conſtituitur.

ARTICULUS II.

De miro Igne Sabbati Sancti, quo Cereus Paſchalis olim accendebatur.

SIngularis gratia fuit Urbis Hieroſolymitanæ, quæque uni tantummodo Eccleſiæ S. Sepulchri tribuebatur, ut Sabbati Sancti die deſcenderet ignis e cœlo, qui per ſe ſe Lampadem quandam accenderet, ex

qua deinde in Cereo Paſchali, Cereis aliis, & Lampadibus ignis excitabatur aliquando etiam mirus hic ignis continuo Cereum Paſchalem inflammabat. Quod portentum tam certum, & familiare erat, ut non inciperetur Officium illius diei, niſi prius ab inviſibili manu Lampas accenſa fuiſſet. Porro admirandum hoc factum non ſemel aliquot horas præſtolabantur; atque adeo ſcribit Herimanus Presbyter, qui anno 1101. aderat Hieroſolymis, eo anno contigiſſe poſtridie: *Lumen de cœlo nobis miniſtrari devoti nimis expectabamus uſque ad veſperam Orationibus ſolitis inſtitimus ...... dono cœleſti omnino fruſtrati.* Additque, cum omnes noctem precationibus, gemitibus, corporiſque afflictationibus tranſegiſſent, craſtino die *Intrantes vero in Eccleſiam, lampades duas cœlitus accenſas, immenſo gaudio repleti, conſpeximus.* Poſtquam igitur Oſtenti hujus originem, & quibus nititur, probationes expendero, conferam ſtudium omne, ut quædam a Bailleto objecta argumenta diſſolvam.

Uſpergenſis apud Quareſm. Tomo 2. l. 5. c. 23. pag. 565.

§. I.

De origine & fundamentis hujus Traditionis.

Revera non conſtat, quo primum tempore cœperit Deus miraculum iſtud perpetrare. Quidam initium ejus repetere voluerunt a temporibus Sacri fœderis, Gotifredo Buglione Duce, ſub finem XI. Sæculi, iidemque propugnarunt, illud ceſſaſſe ad annum 1187. Sed liquet, miraculum hoc multo vetuſtius eſſe, & longe ſerius deſiiſſe; ut modo probabimus.

Dicendum quidem eſt, Portentum iſtud pervagatum fuiſſe, exeunte jam XI. Sæculo, & ineunte XII.; quandoquidem teſtes habet tot Autores, qui vel eodem, vel propiori tempore vivebant. Guillelmus Malduneſis mentionem faciens Guillelmi Comitis Pictavienſis, aliorumque Magnatorum hæc habet: *Hieroſolymam proximo Paſcha contenderunt, ubi Sacroſanctum ignem lætis hauſerunt oculis, devotis adorarunt animis.*

Geſta Dei per Francos pag. 407. & 581. Fulcherius Carnot. Hiſt. Hieroſ. l. 2. cap. 7. Chron. Andrens. anno 1177. Apud Quareſm. ubi ſupra.

Vero ſimile etiam fit, mirum factum iſtud notum fuiſſe ante ſacra fœdera; cum Urbanus II. ejus meminerit in Sermone recitato anno 1095. coram Concilio Claromontano, ubi loquitur de Sancto Sepulchro: *Non ignara loquor ...... Neque equidem, ibi Deus hoc annuatim prætermittit facere miraculum, cum in Sepulchro, & in Eccleſia circumcirca Luminibus, iubare divino Lampades extinctæ reaccenduntur.* Sub exitum IX., vel initium X. Sæculi innumeri homines cujuſque conditionis, ſexus, & regionis Hieroſolymam properabant, ut Domini noſtri Sepulchrum inviſerent,

Apud Baron. Tomo 11.

ferent, & Miraculum Ignis Sacri in Sabbato Sancto cognoſcerent.

Tum certe fuit, cum Odolricus Epiſcopus Aurelianenſis in reditu ex peregrinatione Hieroſolymitana narravit admirandam rem iſtam, cui interfuerat, idemque ſcribit, ſe inde detuliſſe Lampadem, ab igne cœleſti eo anno, quo ibi erat, accenſam, quæ ſibi ab Jordano Patriarcha tradita fuerat. Quæ omnia hic Epiſcopus per ſe ſe retulit Rodulpho Glaberio, atque hic totidem verbis enunciat: *Eodem quippe tempore*. (anno a Paſſione milleſimo) *Odolricus Aurelianorum Præſul, illuc pergens, quid viderit, nobiſque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens, ab univerſo populo præſtolatur, ibi cum ceteris idem Præſul adſtabat: jamque dies in veſperum tranſiens repente penes horam, qua ſperabatur ignis affuturus...... ſtatim vero, ut aſſolet, Dei virtute erumpens ignis ex una Lampadarum, quæ ſeptem ibidem pendere cernuntur, curſim eructando, ceteras inflammavit.*

Guillelmus Maldunenſis teſtatur, ſe legiſſe in quodam Scripto Bernardi Monachi, eum, cum Hieroſolymam anno 870. migraverit, admirabilem hunc ignem vidiſſe. *Legi ego in Scripto Bernardi Monachi, quod ab hinc annis ducentis quinquaginta, ideſt anno Incarnationis* 870. *idem Hieroſolymam profectus ignem illum viderit.* Interim vero nemini dubium eſſe poteſt, oſtentum hoc multo ante incœpiſſe; ſi quidem fatetur autor idem, in incerto latere tempus, atque originem hujus Traditionis: *Quod miraculum quando cœperit, vel ſi ante tempora Saracenorum fuerit, nullius Hiſtoriæ cognitione diſcernitur.*

Rodulp Glaber. Hiſt. l. 4. c. 6.

Guibertus Nonigentinus, XII. Sæculi Scriptor, vocat illud Miraculum vetuſtum, quod quando initium habuerit, ignotum erat in Occidente. Uſpergenſis appellat *Miraculum antiquæ Miſericordiæ*. Glaberius recitans quod didicerat ab Odolrico, inquit, ignem erupiſſe, *ut aſſolet*; quod ſane oſtendit, Miraculum hoc eo tempore commune fuiſſe, nimirum ſæculo IX., & tum non conſtaſſe, qua primum ætate cœperit.

Guibertus Hiſt. l. 7. c. 37. & 38.

Quid autem ſi veroſimillimum eſſet, Portentum hoc ignotum non fuiſſe Sæculo V.? Conjecturam hanc duco e duobus locis S. Ennodii, in quibus de miro igne Sabbati Sancti ſermonem habet. In duabus Benedictionibus Cerei Paſchalis, quas ſanctus iſte vir nobis reliquit, indicat, ignem de cœlo Cereum iſtum, in Sabbato Sancto benedictum, accendiſſe: *Ceram*, ait, *paravit nectareis partubus fœta virginitas*; *papyrum* * *ad ali-*

Ennodius Opuſc. 9. Benedict. 1. Cerei apud Sirm. col. 1722.

* Olim *papyrus* adhibebatur ad Cereorum, & Lampadum Ellychnium componendum. Quæ quidem verba in aliis quoque Cerei Paſchalis benedictionibus reperire eſt. *Apud Menard. in Notis in Lib. Sacram. S. Gregorii pag.* 93. S. Gregorius Turonenſis *in Vitis Patrum c.* 8. meminit Lampadis, *in qua nec papyrus addita*. Papyrus autem Planta eſt ad Nilum creſcens; ex cu-

menta

menta ignium lympha tranſmiſit; lumen adhibetur e cœlo. E quibus verbis videtur S. Ennodius ſignificare, Cereum Paſcalem non terreno, ſed cœleſti igne inflammatum fuiſſe.

Ennod. ibid. Bened. 2. col. 1716.

At vero dilucidius loquitur in ſecunda Benedictione Cerei Paſchalis. Conſiderat nanque, Cereum tribus conſtare, quæ homines a Deo liberaliter accipiunt. Flumina priorem producunt rem, ſcilicet ex qua fit Ellychnium ad ſuſtinendum ignem: Apes ceram miniſtrant ad ſovendum; at ſubdit Sanctus Pater, *Ignis etiam cœlo infuſus adhibetur*. Poſt pauca verba tandem ita orat: *Serenis in iſto cereo reſpice oculis, quod contulit cœlum, fluenta, pudicitia.* *

Videtur itaque S. Ennodius voluiſſe monere locis iſtis, ignem e cœlo delapſum accendiſſe Cereum Paſchalem; licet non memoret, an hoc toti Eccleſiæ commune fuerit, vel alicubi tantum contigerit. Ut ut tamen ſe res habeat, non vacat dubitare, verba hæc: *Ignis etiam cœlo infuſus adhibetur*, indicaſſe Miraculum Sabbati Sancti die perpetratum, cum Cereus Paſchalis igne cœleſti flagrabat. Niſi ſi velis interpretari verba illa myſtica, & ſpiritali ſignificatione; aut Sanctus hic Epiſcopus intelligendus ſit tantummodo de Apibus, quæ Cereo Paſchali ceram ſufficiunt; de fluminibus, quæ Ellychnium pariunt; deque igne, qui originem ducit e cœlo. At enim non video, an hæc interpretatio cum S. Ennodii locis conciliari poſſit.

Habes quæcunque occurrerunt nobis certiora de origine miri Ignis in Sabbato Sancto. Si non liquet revera cum primum cœperit prodigium, hoc non liquet item cum patrari deſierit. Ego ſane non crediderim id accidiſſe ſub finem Sæculi XII., ut placuit quibuſdam Autoribus; quoniam dicendum erit perſeveraſſe adhuc, immo familiare fuiſſe Sæculo XIV. in Eccleſia Sancti Sepulchri, ubi audiamus Cantacuzenum, qui tum Imperator erat, laborantem in eo, ut Mahumetanos coargueret de hoc Miraculo ipſis non ignoto: *Miraculo, quod annuatim Hieroſolymis juxta Chriſti Sepulchrum tempore Reſurrectionis illius contigit, ut ipſe noſti, nunquid contradicere poteſt*. Deinde exequitur, in quo ſitum eſſet prodigium hoc: *Eo temporis articulo, quo Chriſtiani, qui illic agunt, Hymnum de Chriſti Reſurrectione compoſitum decantant, Lumen cœlo dilabitur, vidente hoc Muſulmanorum Principe, incendens tres illas, quæ Chriſti Sepulchro*

Joann. Cantacuz. Apol. 3. contra Mahumettanos.

jus caulis medulla, ad gluten album redacta, fiebant folia tenuiſſima, in quibus Veteres ſcribebant; atque eadem *papyro* utebantur ad Ellychnia Cereorum, & Lampadum conficienda. Alii putant ſignificare Juncum, vel Cannam, quæ in paluſtribus locis oritur.

* Hoc verbo *pudicitia* alludit ad Apes, quæ per ipſum fœcundæ ſunt, intacta Virginitate, *Aliud, quod Apum tribuit intemerata fœcunditas, in quarum partubus nulla patitur damna Virginitas*.

adſtant,

adſtant, *Lampades*. Unde apparet, mirum ignem ſabbati Sancti tum Lampades accendiſſe, e quibus ignis in Cereo Paſchali excitabatur; cum alias ignis idem e cœlo delapſus Cereum continuo Paſchalem inflammaret.

§. II.

Sententia Bailleti de miro Igne Sabbati Sancti.

UT peritus iſte Criticus extenuet miraculum Ignis ſacri; qui in Paſchatis Pervigilio, vel Lampades, vel Cereum Paſchalem accendebat, inquit, „ Ex more cuſtodiendi clam in Veſpere Feriæ VI. majoris Hebdomadæ ignem in craſtinum, videtur manaſſe inſignis opinio de prodigio, quo vulgabatur, ignem in Sabbato ſancto cœlitus deſcendere, qui per ſe ſe Cereum Paſchalem accendebat, e quo deinde Cerei ceteri, & Lampades ignem concipiebant. „ Secundum quæ Bailleti verba affirmandum erit; tot Autores fide dignos, & prodigii teſtes oculatos deceptos fuiſſe, atque hanc opinionem nullum aliud momentum habere, niſi in conſuetudine ſervandi abſcondite ignem a Veſpere Feriæ VI. ad diem Sabbati Sancti.

Baill. Hiſt. de Sabbato Sancto §. III. Art. 3. Gall.

Atqui ſi negat doctus hic Sanctorum hiſtoricus, ſtandum nobis eſſe in verbis, & fide tot illuſtrium Scriptorum, qui teſtes ſunt prodigii hujus, quod vel ante illorum conſpectum patratum fuit, vel illud ab oculatis teſtibus didicerunt: quam ex adverſo probationem affert; ut id ſtatuat, quod ſine ullo ſponſore in medium affert? Nunquid intereſt, nos verbo uni *Videtur* innixos, ſubtrahere Eccleſiæ teſtimonium tam legitimum, ut apparet, divinæ poteſtatis & bonitatis? Qui porro hunc agendi modum cum accuratæ Critices legibus conferemus? Nonne Miraculum hoc probe firmatum eſt, omneſque notas refert hiſtorici facti, extra omnem controverſiam conſtituti? Quodnam miraculum obſiſtere poſſet Criticæ hujuſmodi, ſi revocandum hoc in dubium eſt ex uno duntaxat *videtur*, omni probatione deſtituto?

Porro addit Bailletus: „ Cum primum autem compertum fuit, nullam „ ſpem ſuperſuiſſe, illud objiciendi populo tanquam Myſterium, invaluit rurſus mos extinguendi ignem Feria VI., & novum excitandi Sabbato ſancto. „ Eccleſia itaque ſervans pro Sabbato ſancto ultimum Cereum accenſum Feria VI. volvebat animo in fraudem inducere pietatem fidelium; ipſiſque obtrudere, ignem Sabbato ſancto excitatum, mirum ignem eſſe?

Id quidem inde videtur effici; quandoquidem Bailletus ait: *Cum*

primum autem compertum fuit, nullam ſpem ſuperfuiſſe, illud objiciendi populo tanquam myſterium. Quorum verborum proprius ſenſus eſt, deceptionem, fieri ſolitam in Eccleſia S. Sepulchri, cum ſimulabatur ignis e cœlo deſcendens, revocatam fuiſſe demum ad priſcam omnium aliarum Eccleſiarum conſuetudinem, excitandi ſcilicet novum ignem, vel editum ex petra, aut ſilice, vel per vitrum, aut ſpeculum e Sole detractum. Quo pacto probat Bailletus enunciationes iſtas? Citat ipſe quidem in margine Ordinem Romanum, at quo loco reperit in hoc Eccleſiaſtico Libro: *Cum primum autem compertum fuit, nullam ſpem ſuperfuiſſe, obiiciendi illud populo tanquam myſterium, invaluit rurſus mos extinguendi ignem Feria VI.*?

Deinde quod judicium ferendum erit de hoc quoque Bailleti pronunciato? „ Quibuſdam aliis placet, miraculum hoc verum, ſive apparens „ (quod patrabatur in Eccleſia S. Sepulchri) vulgatum in Occidente ab „ iis, qui redibant a ſacro Fœdere, vel a Peregrinationibus Orientis, po„ tuiſſe Latinos excitare, ut quid tale mente conciperent alicubi loco„ rum, in quibus animadvertimus, cuſtodiri diligenter conſueviſſe ignem „ Eccleſiæ Feria VI. veſpertina ad cereos accendendos in die Sabbati „ ſancti....... Cum primum autem compertum fuit, nullam ſpem ſu„ perfuiſſe, illud objiciendi populo, tanquam myſterium. „ Sed tamen ad Bailletum ſpectabat aperire, ubi nam mente conceperunt quid tale, atque illud, quod Hieroſolymis patrabatur; ut ſcilicet purgaret enunciatum ſuum, quod certe videtur Eccleſiis iſtis admodum noxium; cum illis tribuat, quod cogitatione finxerint ceremoniam; non parum ſimilem miraculo de igne delapſo Sabbato ſancto in Eccleſia ſancti Sepulchri. Immo ſpeciem habet, ex verbis Bailleti, Eccleſias iſtas confinxiſſe genus quoddam Portenti, ut populi admirationem captarent. Nanque ſubjungit. *Cum primum autem compertum fuit, nullam ſpem ſuperfuiſſe, illud obiiciendi populo tanquam myſterium.*

Quæ ſane enunciationes oſtendere poſſunt, Criticen Bailleti aliquando nimis immoderatam eſſe, & impudentiorem.

AR-

ARTICULUS III.

De Agnis cereis, qui Sabbato ſancto benedicebantur.

SAbbato Hebdomadæ Paſchalis Pontifex in primo ſui Pontificatus anno, & aliis quoque ſeptem, benedicit parvas quaſdam cereas Imagines rotundas, in quibus impreſſa eſt figura Agni, & propterea dicuntur *Agni Dei*. Olim Archidiaconus parvis Agnis iſtis Benedictionem impartiebatur, atque inter Paſchæ Octavam illos diſtribuebant. Antiquitus confecti erant ex cera puriſſima, & candidiſſima, commixto Balſamo, vel Oleo ſacro, & Chriſmate, quod anno præterito ſuperfuerat. Nunc fiunt ex cera, & deinde benedicuntur, cujus benedictionis pars ſita eſt in immergendis illis in aqua precationum ritu conſecrata, & commixta Balſamo, & ſacro Chriſmate.

Ordo Rom. Alcuinus l. de Div. Off. tit. de Sabb. Sancto Paſcha. Durandus lib. 6. Ration. c. 79. Amalarius, & alii.

Diviſi ſunt Scriptores quod attinet ad tempus Inſtitutionis Agnorum iſtorum cereorum. Lorinus contendit, morem hunc obtinuiſſe ætate S. Joannis Chryſoſtomi, nititurque cuidam loco Patris hujus, relato a Sancto Theodoro Studita, & laudato ab Epiphanio Diacono Actione VI. Concilii Æcumenici VII. Audi verba S. Theodori in propugnandis ſacris Imaginibus. *Vox Chryſoſtomi eſt: Ego ex cera fuſam amo picturam, pietatis ergo factam. Vidi enim Angelum in Imagine Barbarorum copias in fugam vertentem.* Sed non apparet quid conferant verba hæc ad ceremoniam, de qua nunc agimus. Si etenim S. Joannis Chryſoſtomi tempore extabant Imagines cereæ, ſequitur ne propterea eas fuiſſe Agnos benedictos?

Lorinus in c. 8. Act. 31. ad 31.

Theod. Studita l. 2. Epiſt. 8.

Conſpiciebantur olim multæ Agnorum] figuræ in fornice Baſilicæ S. Petri, a Conſtantino ædificata. Quod in cauſſa fuit, ut crederent Autores multi, Inſtitutionem Agnorum benedictorum non eſſe hac Baſilica recentiorem. Verum quænam ſimilitudo eſt inter Agnos lapideos inſculptos in fornice, & Agnos cereos tanta cum ſolemnitate efformatos?

Molan Orat. de Agno c. 6. Vvidmanſtad in Præf. ad Teſt. Syr.

Non deſunt, qui ad S. Auguſtini regulam ſe recipiant, in qua ſtatuit, repetendos ab Apoſtolis eſſe mores illos Eccleſiæ, quorum Autores reperiri nequeunt. Cum etenim Agnorum origo, licet vetuſtiſſima, nemini tamen cognita ſit, non poteſt niſi ad Apoſtolorum tempora referri. Quare, inquiunt Autores iſti, præſumere non poſſumus, Apoſtolos & primorum Chriſtianorum multos, cum Paſcha Legis obſervaſſent, inſtituiſſe ceremoniam benedicendi Agnos cereos in Memoriam Jeſu Chriſti, qui

Aug. Ep. 118.

Jodocus Lorichius Tomo 1. Theſauri Theol. V. Agnus Dei. Vincent. Bonard. Ep. Hieracenſ. Diſſ. de Agno Dei.

Theoph. Raynaud. Tomo 10. de Agno Cereo c. 13.

Agnus eſt ſine macula; atque ut extaret monumentum beneficiorum; quæ Judæi receperant, cum Paſcha primum ex Inſtituto divino celebrarunt? Ego vero non crediderim, eo animo futuros eſſe Criticos, ut Traditioni tam veteri ſtatuendæ hujuſmodi conjecturas probent.

Anonym. Tract. de Cereis Agn. c. 12 apud Theoph. Raynaud. ubi ſupra.

Neque item hic præteream eruditionem, quam Anonymus quidam præſefert in rem hanc. Non modo ad Apoſtolos revocat Inſtitutionem Agnorum benedictorum; ſed exiſtimat quoque, rei hujus non deeſſe argumenta ſæculis primis. In Canonibus, qui Apoſtolorum nomine circumferuntur, putat, ſe repperiſſe locum præclarum moris hujus Ævo primo. In Canone nanque 82., ait Autor noſter, Apoſtoli damnant eos, qui deferant Oleum, & Ceram in Templa Idolorum, atque in Synagogis Judæorum: additque, vetitum eſſe Canone eodem, Ceram, aut Oleum, ex Eccleſia rapere ſub pœna ſeparationis a ſocietate Chriſtianorum. Acta S. Euſtachii fundamentum præbent, unde ſumatur uſus Agnorum benedictorum ſæculo ſecundo. Referunt enim Acta iſta, hominem ſanctificatum ſignum deferre, qui illum ovibus Chriſti accenſet, porro ſignum hoc, ex Anonymo noſtro, aliud eſſe non poteſt, niſi Agnus benedictus. Ceterum cuicumque legenti locum illum Vitæ S. Martyris, perſpicuum fiet, ibi fieri mentionem Impreſſionis, quæ ſuſcipitur in Baptiſmate.

Pro ſæculo tertio Acta S. Laurentii, & Prudentii Hymnus in honorem hujus Martyris ipſi probationem ſufficiunt, ut Traditionem ſuam proſequatur; quoniam in his duobus Opuſculis legitur: *fixos eſſe cereos*. Sed conjectura hæc nihilo firmior eſt illa, quam depromit ex dicto S. Agnetis, affirmantis, Sponſum ſuum: *poſuiſſe ſibi ſignum in faciem*, nimirum per Autorem noſtrum, detuliſſe illam in pectore, & ſinu Agnum cereum, cumque ſancta eadem Virgo ait; *Sponſum ornaſſe collum ſuum lapidibus pretioſis*, id intelligendum eſſe de parvis Imaginibus cereis, quæ Agnos referebant. Quod ſi non arridet hæc probatio pro benedictione Agnorum cereorum ſæculo IV., non poſſumus meliores ex hoc Anonymo præſtolari.

Anno 1544. repertum fuit in Eccleſia Vaticana ſub Altari S. Petronillæ, quod nunc dicatum eſt SS. Apoſtolis Simoni, & Judæ, Sepulchrum marmoreum, in quo conditi erant cineres Mariæ Filiæ Stiliconis, & Uxoris Honorii Imperatoris. In eodem ſepulchro erant margaritæ, aliaque pretioſa Mulierum ornamenta, inter quæ viſa eſt Agni imago cum hac Inſcriptione: *Maria noſtra omnium pulcherrima*. Munſterus teſtatur, Viros eruditos, poſtquam diligenter figuram hanc examinarunt non dubitaſſe, eam pronunciare Agnum benedictum noſtris ſimilem. Atque hac ratione confirmat Autor noſter Traditionem ſuam ſæculo V.

Munſt. Coſmographia Surius in Hiſt. anni 1544.

Qui-

Quibus tamen parata reſponſio eſt. 1. Sapientes multos, inter quos Raynaudum, contendere, Imaginem Agni hujus auream fuiſſe, non vero ceream. 2. Quis credat Imagini cereæ, tot ceremoniis Eccleſiaſticis conſecratæ, appoſitam fuiſſe inſcriptionem apprime profanam, aut certe nihil congruentem Imagini, ſacro Chryſmate benedictæ, tot ſolemnitatibus a Pontificibus conſtitutis? 3. Nunquid non poſſemus conjicere, Agnum hunc fuiſſe Symbolum Baptiſmi fœminæ hujus Principis, quæ ſalutaris aquæ virtute in mundum Agnum evaſerit? 4. Si certum eſſet, Agnum hunc cereum fuiſſe, & verum Agnum benedictum; Zozimus Papa Autor non eſſet benedictionis harum Imaginum. Autor tandem noſter inſequentibus Ævis reperit Exempla probatiora Traditionis hujus, quæ nemo illi negabit.

Theoph. Raynaud. ubi ſupra.

Quamquam igitur difficile ſit, aſcendere ad originem primam Inſtitutionis hujus, & cognoſcere, an adjudicanda ſit Zozimo Papæ, ut libitum fuit Scriptoribus multis; vel tantum eam inſtauraverit, & ſolemnitate majori celebraverit; nihilominus citra omnem dubitationem eſt, eam in more fuiſſe ſæculo V., quandoquidem parvi Agni iſti tum temporis conficiebantur ex reliquiis Cerei Paſchalis, cujus benedictio eo ſæculo, ut probavimus, uſurpabatur.

Opinio eſt S. Gregorium Pontificem miſiſſe ad Regem Aigulphum duos ex his Agnis benedictis in Pyxide aurea, qui etiam 'num ſervantur. Volunt quoque, Leonem III. dono dediſſe Carolo Magno ex his Imaginibus unam. Fortunatus loquitur de benedictione Agnorum iſtorum, tanquam de re vetuſtiſſima: *Quando Agnum de cera videmus, Agnus præfiguratus, & in Paſcha immolatus ad memoriam reducitur; cui Sanctus Gregorius oleum inſtituit, quando myſteria Paſchalis Agnus reſeravit.* Attendenda ſunt diligenter verba illa: *Oleum inſtituit.* quæ ſignificant, S. Gregorium juſſiſſe, ut in cereorum Agnorum benedictione oleum adhiberetur.

Torrig. in Cryptis Vaticanis. Scortia in Theoremat. Lorinus in Act. c. 8. v. 12. Fruſius Carm. de Agno Dei. Amal. Fortun. l. 9. de Eccl. Off. c. 17.

Qua de re ſupervacaneum eſſet addere alia teſtimonia pro continuanda hujus Traditionis catena ſæculis inſequentibus, ſed ſatis erit mihi, ſi retulero quædam carmina, quæ nos docent ea, de quibus hæ cereæ Imagines conflantur, & miros effectus, quos producunt. Anno 1362. Urbanus Papa V. miſit Agnum cereum ad Joannem Paleologum Imperatorem Byzanthinum, & ſimul tres verſiculos, Andreæ Fruſio tributos, in quibus refert res præcipuas, quæ in Agnorum Dei confectione ingrediuntur.

Balſamus, & cera munda, cum Chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum;
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.

Pontifex hic narrat ſubinde quoſdam effectus, quos Deus ſæpe per haſce

ſee Imagines operatur. Sed Guillelmus Eſtius illos accuratius, atque elegantius enumerat. Ecce quibus id explicet.

Pellitur hoc ſigno tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo ſurgit, abitque tepor.
Hoc aconita fugat, ſubitæque pericula mortis,
Hoc & ab inſidiis vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne ſæva tonitrua lædant,
Ne mala tempeſtas obruat, iſtud habe.
Undarum diſcrimen idem propulſus & ignis,
Ullaque ne noceant vis inimica, valet.
Hoc facilem portum tribuente, puerpera fœtum
Incolumem mundo proferet, atque Deo.
Unde rogas, uni tam magna potentia ſigno?
Ex Agni meritis, haud aliunde fluit.

ARTICULUS IV.

De Baptiſmate Sabbati Sancti, atque an apud Gallos in uſu fuerit die Nativitatis Dominicæ.

IN die Sabbati Sancti poſt benedictionem Fontium, ſcilicet aquæ, qua abluendi erant Catechumeni ritu ſolemniſſimo, jubebantur in Baptiſterium ingredi ii, qui baptizandi erant. Poſt inſtitutionem etenim, Exorciſmos, Unctiones, quæ ipſis peractæ fuerant ante Divinum Officium, quibus ad Sacramentum iſtud ſuſcipiendum diſponerentur, ipſos collocaverant extra Eccleſiam ſub Porticu, vel alibi, ut Baptiſmatis horam opperirentur. Cum denique Epiſcopus, vel Preſbyter præſtitiſſet ea omnia, quæ tum de more erant; Sacris aquis abluebantur quicumque alterius illius Nativitatis Sacramento parati erant.

Aucto vero non parum numero Chriſtianorum, ut tolleretur, ne multi ſine Baptiſmate interirent, mos hic illud conferendi una tantum Paſchatis nocte abrogatus eſt ſæculo IX., * ut didicimus a Theophilacto, ejus ætatis Scriptore, cum dicit: *Quotidie qui baptizantur, liberantur a vulneribus animæ*. Hic tamen inſurgit difficultas: Videlicet, ſi conſuetudo

Theoph. in cap. 10. Luc.

* Dicendum tamen eſt, uſum hunc aſpergendi homines ſacro Fonte in die Sabbati Sancti perſeveraſſe ad XII. pene ſæculum, ſi ferendum judicium eſt ex Decretis multorum Conciliorum; uti II. Matiſconenſis *Can.* 3., Rothomagenſis, celebrati anno 1072., & nonnullorum aliorum.

hæc

hæc non Baptizandi præterquam in Feſto Paſchatis univerſe ſervata eſt in omnibus Eccleſiis ante IX. ſæculum, quonam pacto Clodoveus lotus fuerit Sacris aquis in Feſto Nativitatis; atque an in facto iſto firmari poſſit in Galliis Traditio, ex qua licitum eſſet, conferre Baptiſma, non modo in diebus Paſchatis, & Penteeoſtes, ſed in ſolemnitate quoque Jeſu Chriſti naſcentis?

§. I.

Baptiſma ex Conſtituto Eccleſiæ non poterat conferri niſi in Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes.

UT rem ab exordio ſuo petamus, meminiſſe neceſſe eſt, in Eccleſiæ primordiis Apoſtolos quocumque tempore Sacramentum hoc adminiſtraſſe. Statim ac Philippus Eunuchum divinis Myſteriis inſtituit, illum ſacro fonte expiavit. *Act. 8. 38.* Cum primum Saulus viſum recepit, ſurrexit, atque ab Anania Baptiſmate lotus eſt. *Ibid. 9. 18.* Poſtquam Petrus fidem Cornelio, iiſque, qui cum Ipſo erant, enunciavit, chriſtianæ Religionis Sacris Initiati ſunt. *Ibid. 10. 48.* Lydia, pereepta Fide S. Pauli verbis, ſalutaribus aquis cum univerſa familia tincta eſt. *Ibid. 16. 15.* Idem Apoſtolus Carceris cuſtodem baptizavit, ubi eum rebus Chriſtianorum ſatis imbutum cognovit. Quæ facta nobis perſuadent, Apoſtolorum ætate nullum fuiſſe deſignatum diem, in quo ſacris aquis Fideles regenerarentur. Quod idem induxit Autorem, qui S. Ambroſii nomen præſefert, ut diceret: *Apoſtoli primum omnes docebant, & omnes baptizabant quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio.* *Autor ſub nomine Ambroſii in Ep. ad Epheſ. c. 4.*

Cum vero paullatim Eccleſia creviſſet, propter ingentem eorum numerum, qui Fidem complectebantur, præſertim reſtituta Eccleſiæ pace; erecta ſunt Baptiſteria, * in quibus Præſules commode poſſent Baptiſ-

* Initio Eccleſiæ Flumina, Fontes, Mare, publica loca, & ſubterranea, in quibus flueret aqua, Baptiſterii vices faciebant. Poſtquam reddita fuit Eccleſiæ pax, tum Baptiſteria conſtructa ſunt, vel in Eccleſiis, vel prope ipſas. Erat hoc Ædificium in cujus ſinu ponebatur aqua pro Cathecumenis abluendis. Sanctus Eucherius illud vocat: *Bapriſterium cinctorium*. S. Ambroſius *Epiſt.* 13. *Bapriſterii Baſilicam*; & Fortunatus l. 1. Poem. 15. *Aulam Baptiſmalem*.

Inſtaurata etiam Sacri eſt Baptiſmatis Aula:
Qua maculas veteres Fons lavat unus aquis.

Baptiſteria paſſim non ædificabantur, niſi in magnis Eccleſiis, quæ quidem magnifice marmore, & porphyrite ex ornabantur: ab iis pendebant columbæ aureæ, vel argenteæ; ante omnia vero picturis decorabantur. Autor quidam narrat, quid plerumque hæ picturæ exprimerent. Locutus nanque de Oberto Epiſcopo Laudenſi, ita habet.

Fontes fecit opere fabrili,
Arte vix incomparabili
Duodecim qui ſuſtinent,
Boves, typum gratia continent:

ma-

mum adminiſtrare; additæ ſunt ceremoniæ aliæ ſervandæ in hujus Sacramenti collatione, tempuſque Paſchale huic Solemnitati decretum eſt; ut demum nemini fas eſſet extra illud baptizare.

Tertull. de Bapt. c. 19. Mos hic Tertulliani ætate jam conſtitutus erat, quandoquidem ait: *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & Paſſio Domini, in qua tingimur, adimpleta eſt*. S. Gregorius Niſſenus diſputans de Feſto Paſchatis: *Greg. Niſſ. Ep. Can. ad S. Latium Milevit. Epiſc.* *Hodierna die*, inquit, *eos, qui ex regeneratione per Lavacri gratiam transſmutati ſunt, adducimus*. S. Ambroſius, mentionem faciens de Jejunio Quadrageſimæ, ſcribit, *S. Ambroſ. lib. de Eleem. & Jejun.* Jejunium iſtud concludi Feſtis Paſchalibus; & Reſurrectionis Dominicæ die illuceſcente, Cathecumenos ſacro Fonte Batiſmatis expiari. S. Auguſtinus nihil obſcurius ſuper hac re explicat mentem ſuam: *S. Auguſt. ſerm. 163. de temp.* *Hic igitur eſt dies, quam fecit Dominus. Ad hoc enim Dominus hodie reſurrexit, ut imaginem nobis futuræ Reſurrectionis oſtenderet; & ideo hodie vitali lavacro reſurgens Dei populus Eccleſiam noſtram ſplendore nivei candoris illuminat.*

Nihil autem firmius addere poſſumus in rem hanc, quam illud, quod ſcripſit S. Leo ad quoſdam Epiſcopos, *S. Leo ad univerſos Campaniæ, Samnii, & Piceni Epiſc. Ep. 78.* qui Baptiſma extra Paſchatis noctem adminiſtrabant. „ Magna indignatione commoveor, & multo dolo„re contriſtor, quod quoſdam ex vobis comperi ita eſſe apoſtolicæ „ Traditionis oblitos; & ſtudio ſui erroris intentos: ut præter Paſchæ „ Feſtum, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeat ſibimet, „ non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola indiſci„ plinati arbitrii libertate, jus baptiſmatis vindicare, & in natalibus Mar„ tyrum. „ *Admonemus itaque, & non ſine periculo Status eorum, qui hæc faciunt, proteſtamur, ut ab hac præſumptione ceſſent..... & nonniſi in Paſchali Feſtivitate deſiderantibus, & credentibus conferatis.*

Teſtimonia Patrum excipiant Concilia, quæ acriter interdixerunt, ne extra Paſchatis Feſtum hoc Sacramentum adminiſtraretur. Graviora ſunt *Amalarius Fortunatus l. 4 de Off. Eccleſ. c. 29. Berno Augienſ. de Miſſ ac. 5. & alii.* Toletanum XVII. *Can.* 2., Antiſiodorenſe *cap.* 18., Pariſienſe II. *l.* 1. *c.* 13., & Gerundienſe. Audi quomodo loquantur duo Priora: *Quod ſi qui poſt noſtrum Interdictum infantes ad Baptiſmum detulerint ad Eccleſias noſtras, non recipiantur. Et quicumque Preſbyter ipſos extra noſtrum per-*

Materia eſt de magiſterio,
Quod tractatur in Baptiſterio.
Hic baptizat Joannes Dominum,
Hic gentilem Petrus Cornelium
Baptizatur Craton Philoſophus;
Ad Joannem confluit populus
Hoc quod Fontes deſuper operit;
Apoſtolos & Prophetas erexit.

Ægidius Monachus *Aureæ vallis in Oberto Epiſc. Leod. c.* 18.

Ut plurimum Baptiſteria bipartita erant, alterum pro hominibus, alterum pro fœminis. Nemo unus, cujuſcumque generis eſſet, extra commune Baptiſterium poterat baptizari. *Conc. Conſtant.* 6. *cap.* 59. Ipſi Regum Filii ad illud deferebantur; antequam Concil. Colon. concederet: *Neminem alibi, quam in Eccleſia, quocunque loco natus ſit, debere baptizari, exceptis Regum filiis.* Conc. Colon. c. 15.

miſ-

miſſum recipere præſumpſerit; tribus menſibus a Communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit. Tandem hæc fuit conſtans primorum ſæculorum Traditio, ut ſcriptores multi fatentur.

§. II.

Animadverſiones in hanc conſuetudinem.

UT autem majorem Traditioni huic Eccleſiaſticæ claritatem afferamus, hæc quæſo, quæ ſequuntur, Lector, animadverte. Primum ſit, Feſtum Pentecoſtes non fuiſſe in Eccleſia minus celebre, quam ſolemnitas Reſurrectionis. Quæ quidem communis ſententia fuit, præſertim Patrum, Conciliorum, & Scriptorum, quos modo retulimus: Baptiſma ſcilicet in Feſtorum iſtorum altero conferri potuiſſe. Atque hoc diſerte in locis illis animadverterunt, licet ego Pentecoſtes haud meminerim.

Certum itaque eſt, Patres, & Concilia hæc duo ſemper Feſta connectere, noſque docere, primis Eccleſiæ ſæculis indifferens fuiſſe, regenerari ſalutaribus aquis Baptiſmi vel die Paſchatis, vel die Pentecoſtes; quoniam eos ejuſdem ſolemnitatis dies ſemper habuerunt. Id ſane conſideravit Ambroſius, cum de Feſto Adventus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, inquit: *Eſt enim utraque ſimilis, eademque ſolemnitas; in Paſcha enim omnes gentes baptizari ſolent, in Pentecoſte Apoſtoli baptizati ſunt.* *Ambr. ſerm. 71. de die Pentecoſt.* Atque adeo quicumque impedimento aliquo remoti fuerunt a Baptiſmate in Feſto Paſchatis, quemadmodum etiam pueri in lucem editi poſt illud Feſtum, ſalutari lavacro in Feſto Pentecoſtes abluebantur.

Altera animadverſio eſt, quanquam Patres, & Concilia, tam perſpicue caveant de Baptiſmate aliis diebus conferendo, excipere tamen ſemper inevitabilem neceſſitatem. *Ceterum*, inquit Tertullianus, *omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo; ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert*. *Tertull. de Bap. c. 19.* Sanctus Leo tradit, quando nam quis ab hac Eccleſiæ conſuetudine eximeretur. *Ita enim ad has duas Feſtivitates connexas, atque ſibimet cognatas incolumium, & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare remedium cuiquam denegemus*. *S. Leo Epiſt. 4. ad Epiſc. Sicil.*

Poſtremo loco prætereundum non eſt, conſuetudinem hanc tam fuiſſe Deo acceptam, ut illam miraculis confirmaverit. Primo ſeſe offert illud, quod Paſchaſinus Epiſcopus Lilybœnſis in Sicilia, ſingularis virtutis, ſapientiæ, & meriti Vir, narravit Sancto Leoni Pontifici anno 443. *Quæ-* *Paſchas apud S. Leonem Ep. 63.*

dam viliſſima poſſeſſio, Meltines appellatur, in montibus arduis, ac Sylvis denſiſſimis conſtituta, illicque perparva, atque vili opere conſtructa eſt Eccleſia. In cujus Baptiſterio, nocte ſacroſancta Paſchali, baptizandi ora, cum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur; pauciſque, qui fuerint, conſecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſeſe diſcedit...... Cum ergo apud Occidentales error ortus fuiſſet, (anno 417.) *conſuetis Lectionibus nocte ſancta diſcuſſis, cum Presbyter ſecundum morem baptizandi hora requireret uſque ad lucem aquam non venientem, non conſecrati, qui baptizandi erant, receſſerunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ luceſcebat in diem Dominicam, decimo die Kal. Maii, fons ſacer hora competenti repletus eſt. Evidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuiſſe errorem*; ut ſcilicet octavo Kal. Aprilis Paſcha celebrarent.

Caſſ. Var. l. 8. Ep. 33. Aliud prodigium refert Caſſiodorus haud abſimile, quod contingere ſolebat in annos ſingulos nocte Paſchatis in Lucania apud Marcillianum. Fons ibi erat magnus, & pellucidus, cujus crater in modum naturalis Antri fabricatus, delectus fuerat, ut in illo Baptiſma conferretur in Pervigilio Paſchatis. *Cum igitur die ſacratæ noctis preces Baptiſmatis cœperit Sacerdos effundere....... mox in altum unda proſiliens, aquas ſuas non per meatus ſolitos dirigit, ſed in altitudinem, cumuloſque tranſmittit..... Nam cum fons ipſe quinque gradus tegat..... aliis duobus cernitur creſcere, quos nunquam præter illud tempus cognoſcitur occupare........ hic miniſterium annua devotione cuſtodit.* Quod quamvis uſitatum jam fuerit, neque minus ſingulare, neque minus admirabile habitum fuit.

Neque hæc tantummodo loca ſunt, in quibus mira patrare voluit Deus, ut ſe probare oſtenderet, non modo diem Paſchatis, ſed etiam Pentecoſtes. *Pratum Spirituale c. 215.* Prodigium Cedebrati in Lycia in eo memorandum erat, quod aqua miro modo deducta in Fontes Baptiſmatis, apparebat a Pervigilio Paſchatis, & quinquaginta totis diebus perſeverans, poſt Pentecoſtes Feſtum evaneſcebat. In quo non parum admiranda erat bonitas divina, quæ moribus Eccleſiæ ſeſe conformare volebat, ſuæque probationis ſenſibilem hanc notam præbere.

§. III.

§. III.

Revocatur ad judicium, utrum Clodoveus tinctus ſit aqua Baptiſmatis in Feſto Nativitatis Domini.

QUanquam Eccleſiaſtiea conſuetudo non abluendi Cathechumenos, niſi in Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes inviolate ſervata ſit in Eccleſia univerſa, tanquam primorum ſæculorum, atque adeo per Divum Leonem Apoſtolica Traditio, nec non Concilia, gravibus pœnis impoſitis, caverint, ne quiſquam aliis temporibus baptizaret; nihilominus extra omnem dubitationem eſt, Clodoveum Regem ſalutis lavacro mundatum fuiſſe non in Feſto Paſchatis, vel Pentecoſtes, ſed in die Nativitatis Domini. Quod munire pergo argumentis inſequentibus.

Autor Vitæ S. Vedaſti narrat, agente Remis Clodoveo poſt reditum e Germania, S. Remigium *Statuiſſe diem, quo Rex Eccleſiam intraret; & ad ſuſcipienda divinæ pietatis Sacramenta.* Fredegarius ſibi viſus eſt, hunc fuiſſe diem Paſchatis, quo Clodoveus novi in Chriſto ortus Sacramentum ſuſcepit. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Flodoardus, aliique bene multi ab hac ſententia fuerunt, * his vocibus expreſſa: *Baptiſmi gratia cum ſex millibus francorum in Paſcha Domini conſecratus eſt.*

Alcuinus in Vita S. Vedaſti. Fredeg. Hiſt. Epiſt c. 21. Hincm. in Vita S. Remigii. Flodoard. l. 1. c. 13.

Interea tamen non eſt dubium, quin Clodoveus Baptiſmo lotus ſit in die Nativitatis; poſtquam detecta fuit Epiſtola, quam S. Avitus Epiſcopus Viennenſis ad hunc Principem dedit, in qua gratulatur de ejus Baptiſmate, illius magnificentiam deſcribit, & commoda; denique diem hunc Nativitatis Dominicæ memorat fuiſſe. Ecce hujus Epiſtolæ ſenſa: *Occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congrue Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit, ut conſequenter eo die ad Salutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo; in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam Poſteris conſecraſtis.*

S. Avitus ad Clodov. Ep. 41.

Addo argumentum ejuſdem rei aliud æque concluſum. Non vacat dubitare, regeneratum fuiſſe Principem hunc anno 496. Æræ communis.

* Locus Fredegarii a nobis laudatus evincere commode poteſt, Sirmondum captum omnino fuiſſe, cum dixit, neminem ante Hincmarum ſcripſiſſe, Clodoveum ſuſcepiſſe Baptiſma in Feſto Paſchatis; cum hic Archiepiſcopus Remenſis ſæculo poſt Fredegarium vixerit: *Quis enim*, inquit eruditus hic Jeſuita, *ſi ejus quemquam movet autoritas, quis poſt illum, inquam, quis primus, ni fallor, memoriæ id prodidit, Clodoveum Regem in pervigilio Paſcha baptizatum non credidit?* Sirmondus de duob. Dion. c. 4.

O 2 Por-

Porro menſe Decembris hujus anni Clodoveus Remis erat non multò ante. Cum etenim de Germanis Victoriam Torbiacenſem reportaſſet, *Venit ad Tullum Oppidum, ubi Sanctum cognovit Vedaſtum*, a quo primis Chriſtianæ Fidei rudimentis inſtitutus eſt. Sanctus iſte Vir Clodoveum comitatus eſt Remos uſque, ubi S. Remigius eum ad optimam frugem convertere abſolvit, & cum tribus Gallorum Nobilium hominibus Religionis Myſteriis initiavit. Ut autem conſtet, Clodoveum nullibi ſubſtitiſſe in reditu ex victoria Germanica, animadvertit Autor Vitæ S. Vedaſti, eum Tullum tranſeuntem *Ad Rhemorum properaſſe Civitatem*.

Alcuinus in Vita S. Vedaſti.

Secundum hæc Clodoveus Rhemis erat ſub finem hujus anni, qui primus eſt ab ejus traductione ad Chriſtianam Religionem. Dum etenim adhuc veſtem albam novis initiatis indutam, deferret, Diploma conceſſit, * ſignatum: *Primo noſtræ ſuſceptæ Chriſmatis, atque ſubjectionis Gallorum anno. Datum ſub die IV. Kal. Januarii, Actum Remis civitate, anno Magni Clodovei XVI.* Porro id omne conciliari nequit cum Epocha eorum, qui cenſent, primum Regni hujus Chriſtianum Regem ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem in Feſto Paſchatis baptizatum fuiſſe.

§. IV.

Ex exemplo Clodovei conſtituere poſſumus Traditionem in Galliis adminiſtrandi hoc Sacramentum die Nativitatis.

NON deſunt, ut mihi videor, conjecturæ firmiſſimæ ad factum hoc hiſtoricum confirmandum. Prima eſt, nihil tum præſtitum fuiſſe, quod ex ritu, & conſuetudine Eccleſiæ Gallicæ non eſſet. Si nanque cautum ibi, ne Baptiſma conferretur in Natali Jeſu Chriſti, quis dixerit, S. Remigium in Eccleſiaſtica diſciplina egregie verſatum, & flagranti adeo ejus obſervantiæ ardore correptum, voluiſſe Baptiſma adminiſtrare tempore, quo vetitum erat tum illud conferre, tum ſuſcipere; ſeque periculo exponere, quod minatus fuerat S. Leo iis, qui extra Paſchatis, & Pentecoſtes tempora Sacramentum hoc collaturi eſſent; niſi in Galliis per legitimam Traditionem uſus contrarius invaluiſſet?

* Hoc Diploma conceſſum fuit Monachis, vulgo, *Roemaenſibus*, quia ſcilicet ædificaverant Monaſterium in loco dicto: *Roemans* ſub Territorio *Tornotriſio*. Monachi iſti vitam agebant *ſub Regula B. Macarii*, ut loquitur Privilegium ipſis elargitum. Porro duæ fuerunt Regulæ nomine B. Macarii, de quibus ſermonem habet Hugo Menardus in adnotationibus ad concordiam Regularum S. Benedicti de Aniano. Petrus Roverius excripſit hoc Diploma ab antiquo Monaſterii hujus MS. Cointius illud fuſe recitat, non ſecus atque Regulam Monacorum iſtorum, in quam adnotationes fecit eruditione recondita confertas. *Tomo 1. Annal. Franc. ad ann. 496. pag. 173. & ſeq.*

Cui

Cui pariter perſuaſum erit, Epiſcopos, qui aderant Baptiſmati Clodovei, quique plurimi eſſe debebant: *Adunatorum numerus Pontificum*, ut ait S. Avitus in Epiſtola: cui, inquam, perſuaſum erit, tot Antiſtites paſſos fuiſſe Eccleſiaſticam Legem peſſimo hoc exemplo violari, vel illorum neminem adverſus auſum hoc, & tanti periculi novitatem ſurrexiſſe?

Ipſe Sanctus Avitus dediſſet ne ad Principem iſtum Epiſtolam, ut gratularetur de Chriſtiano facinore ſuo, ipſumque ſummis laudibus celebraret; ſi tum in Traditiones Eccleſiaſticas error commiſſus fuiſſet? Nonne Clodoveo propoſuiſſet, melius facturum, ſi tempus ab Eccleſia conſtitutum præſtolaretur, cum nulla urgeret neceſſitas properandi in Sacramenti hujus ſuſceptione, quod legitime perfici non poterat, niſi in Solemniis Paſchæ, & Pentecoſtes?

Quod tamen magnopere animadvertendum eſt: Anaſtaſius Pontifex, cum primum nuncius ad ipſum delatus eſt de Baptiſmate Clodovei, Cumerium Presbyterum ad illum ablegavit, ut Regi Epiſtolam ſuo nomine traderet, in qua Principem commendat, & cum eo gratulatur, quod in Eccleſiæ ſinum ſe ſe receperit; hortaturque, ut eam defendat, atque ab hoſtibus tueatur: denique ne verbum quidem ponit in objurgationem ejus, quia in Feſtis Natalitiis Baptiſma ſuſceperit.

Apud Cointium in Annal. Franc. Tomo 1. ad ann. 497. pag. 149.

Nemo itaque propugnare poterit, interdictum in Galliis fuiſſe, Baptiſmum adminiſtrare extra tempus Paſchatis, & Pentecoſtes, quin vituperet, & in Diſciplinæ Eccleſiaſticæ violatoribus habeat S. Remigium, S. Avitum, numerum illum Epiſcoporum Gallicanorum, qui Ceremoniæ huic interfuerunt; ipſumque Pontificem ſummum; non modo quia non obſtiterint huic novitati; ſed quia etiam ad eam contulerunt, & rem tam Chriſtianam celebrarunt, nulla ſignificata Religione, quod attinet ad tempus Nativitatis Domini, in quo peracta fuit.

Secundum argumentum petimus a Deo ipſo approbante; qui per miracula oſtendere voluit, ſibi acceptum eſſe Baptiſmum Clodovei. Hic autem quædam ſubjicio in fide eorum, qui ad Poſteros illa propagarunt; ut tamen jus ſit cuique de his omnibus pro libito ſententiam ferre. Primum prodigium tum evenit, cum S. Remigius, Clodoveus, & Regina, plurimis aliis comitantibus ſederent in Sacello S. Petri, ubi S. Epiſcopus eos de Fidei myſteriis inſtituebat, atque ad Baptiſmum ſuſcipiendum præparabat: *Repente lux tam copioſa totam replevit Eccleſiam, ut claritatem Solis evinceret, & cum luce vox pariter audita eſt dicentis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere; manete in dilectione mea.*

Hincm. in Vita S. Remigii Remorum Epiſcopi.

Alterum Oſtentum eſt de ampulla ſacri Balſami, ad S. Remigium a Columba delata e cœlo pro Clodoveo baptizando: *Et ecce ſubito*, inquit Hinc-

Ibidem.

Hincmarus; *columba nive candidior attulit in roſtro ampullam, Chriſmate Sancto repletam, cujus odore mirifico &c.* Cum vero S. Gregorius Turonenſis non ſit locutus de miro hoc Evento in Hiſtoria ſua, * neque Fortunatus in Epitome Geſtorum a S. Remigio; apud multos factum hoc de fide laborat: nihilominus cum teſtimonium pro illo ferant Flodoardus, Aimonius, atque Annales S. Bertini, Cointius illius defenſionem ſuſcepit iis argumentis, quæ probabiliſſima videntur. Atque hæc ſunt prodigia, quæ feruntur a Deo patrata, ut Clodovei Baptiſmati, in Natalitiis Feſtis recepto adverſus uſitatum Eccleſiæ morem, ſuam autoritatem adjiceret.

Aimonius l. 1. c. 16.

Cointius annal. Franc. Tomo 1. ad ann. 496. pag. 150.

Quod ſi hæc duo prodigia, quæ argumentis tantum negantibus oppugnari queunt, ſummæ veritatis non ſunt, quod nimirum ab Autoribus ejuſdem Ævi non referantur: habeto aliud, quod videtur firmius teſtatum, ut eo ſtatuamus Baptiſmum in Galliis ex Traditione in Nativitate Domini conferri potuiſſe. Hoc refert S. Gregorius Turonenſis ſingulis annis contigiſſe Ebroduni in Fontibus Baptiſmalibus. S. Marcellinus primus hujus Urbis Epiſcopus *feciſſe dicitur Lavacrum ad baptizandum, in quo Natale Domini, & Dominicæ cœnæ aqua dicitur divinitus exoriri; de quo etiam ad aliud Lavacrum, in quo conſuetudo priſca baptizari inſtituit, aqua defertur.*

Greg. Turon. de Gloria Confeſſ. c. 69.

Apud Scriptores multos Prodigii hujus mentio fit. Ado quoque illud recitat in ſuo Martyrologio; ſed ait, miraculum perpetrari ſolitum: *In Sacroſanctis Paſchatis Feſti Vigiliis.* Ceterum Cointius opinatur, locum hunc Adonis corruptum eſſe ab aliquo indocto, qui cum neſciret, Baptiſmum olim adminiſtratum etiam fuiſſe in Feſto Nativitatis, non auſus eſt illud adjungere, ut legerat Ado in Sancto Gregorio Turonenſi. Atqui majorem habet veritatis ſpeciem, Adonem decerpſiſſe narrationem ſuam ab Anonymo, qui conſcripſit S. Marcellini Vitam, relatam apud Bollandiſtas, in qua dicitur miraculum hoc uno Paſchali tempore contigiſſe.

Ado in Martyr. ad diem 20. Aprilis.

Cointius ubi ſupra ad annum 497. n. 3.

Bolland. Tomo 2. Aprilis ad diem 20.

Attamen, quamvis vetuſtus ſit Autor hic Vitæ primi Epiſcopi Ebrodunenſis, vixit Sæculo tantum ſexto, ut fatetur ipſe Mabillonius; ** cumque non ſit S. Gregorio Turonenſi antiquior, atque alias ex Bailleto exiguo autoritatis; ejus opinio præſtare non debet opinioni S. Gregorii Tu-

Bailletus in Tabula ad 20. Aprilis.

* Centuriatores Magdeburgenſes illudere nobis ſane voluerunt, cum ſe vidiſſe in Germania excogitarunt MS. S. Gregorii Turonenſis, in quo meminit ſacræ ampullæ, delatæ e cœlo ad Baptiſma Clodovei; ſed Germanos verba obliteraſſe eo prætextu, quia non reperiebantur in Exemplaribus Galliarum, ubi vixerat S. Gregorius.

** Ait Mabillonius, ſe vidiſſe priſcum MS. de Vita & Miraculis S. Marcellini, conſcriptum ante octingentos annos a quodam Presbytero homine Deodato. *Mabill. de Re Diplom. l. 2. c. 23. nu. 4. pag. 172.*

conen-

ronenſis. Et fortaſſe iccirco Anonimus iſte non auſus eſt aſſerere, Miraculum Lavacri Ebrodunenſis eodem modo fieri in Solemnitate Nativitatis, quam Reſurrectionis; quia morem Galliarum conferendi Baptiſma Feſtis Natalitiis haud calleret.

Contra vero Gregorius Turonenſis optime facti hujus certior factus fuerat, quandoquidem narrat quædam ejus adjuncta ſingularia, additque, miraculum Ebrodunenſe differre multis ab alio, quod unoquoque anno fiebat Oſeni, Vico Portugalliæ prope Vandalitiam. Quare apparet, ſentiendum eſſe ſecundum mentem S. hujus Epiſcopi, & concludendum; quemadmodum Miraculum Oſenianum ſpecimen dabat, Deum probare morem Eccleſiæ conferendi Baptiſma nocte Paſchali; ita Deum adhibuiſſe Prodigium Ebrodunenſe, ut indicaret, conſuetudinem Galliarum a ſe non improbari.

Tertium argumentum Traditionis Gallicanæ baptizandi in Feſto Nativitatis duci poteſt ab eo, quod accidit anno 585., narratque S. Gregorius Turonenſis de Rege Guntramo, qui hæc habet: *Germanus meus Chilpericus dicitur filium reliquiſſe, cujus nutritores matre deprecante petierunt, ut eum de Sancto Lavacro in Dominici Natalis ſolemnitate deberent excipere, & non venerunt.* *Greg. Turon. Hiſt. l. 8. c. 9.*

Quæ conſuetudo tribuendi in Nativitate Domini Baptiſmum ex Gallia in Angliam trajecit. Hujus rei meminit S. Gregorius Papa in Epiſtola, quam Scripſit ad S. Eulogium Epiſcopum Alexandrinum; eique refert anno 597. *In ſolemnitate Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima Indictione tranſacta eſt, pluſquam decem millia Angli ab eodem* (S. Auguſtino Angliæ Apoſtolo) *nunciata ſunt Fratre, & Coepiſcopo noſtro baptizati.* Quod ſi integrum non fuiſſet eo tempore ſacro Lavacro regenerari, ſanctus hic Pontifex, tantum abeſt ut factum hoc commendaſſet, ut illud potius redarguiſſet. *Greg. Papa l. 7. Epiſt. 30.*

Neque vero in Galliis tantum, atque Anglia conferebant Sacramentum hoc extra Paſchatis, & Pentecoſtes ſolemnia: ſed alibi quoque, licet Patres, & Concilia illud interdixerint. Ut etenim animadvertit Ducangius, in Sicilia, Irlandia, atque Africa; in quibuſdam Græcorum Eccleſiis; apud Ethyopes, & Coptos, baptiſmus adminiſtrabatur aliis plane diebus, quam Reſurrectionis, atque adventus Spiritus Sancti. Idemque S. Eleutherius Epiſcopus Tornacenſis, ut adnotavit Autor ejus Vitæ, aquis Baptiſmatis lavit quinto Kal. Octobris anni 496. Cenſorinum Tribunum, alioſque multos. *Omnes autem, qui crediderunt, diem ſolemnem, in qua baptizandi erant, conſtituerunt, ideſt quinto Kalendas Octobris.* *Ducangius Gloſſ. Latin. verbo Baptizo Col. 468.* *Apud Boll. Acta 20. Februarii.*

AR-

ARTICULUS V.

De Ceremonia, παναγία dicta, quæ uſu venit apud Græcos tempore Paſchali, aliiſque temporibus.

Meurſius in notis ad cap. 7. Cod. Curopalata de Officiis Conſtant.

VErbum hoc παναγία plura ſignificat. Junius & Meurſius contendunt, vocem hanc barbaram eſſe conflatam ex alia *Panis* Latina, & Græca alia ἅγιος, quæ ſignificat panem a Sacerdotibus conſecratum.

Jacob. Gretſ. l. 3. Obſerv. ad cap. 1. Codin. Off. Conſtant. Item de Cruce Tomo 2. in notat. in Orat. Germ. Patriarch. pag. 633.

Iiſdem Scriptoribus placuit, uſum conſecrationis hujus, vel potius id Benedictionis genus e Galliis in Græciam deſcendiſſe. Galli nanque, inquiunt, conſueverant benedicere panem, cujus diligentiſſime fragmenta omnia, quæ loco, & tempore manducaverant, ſervabant. Verumtamen conſtat, Græcos uti voce hac ad res longe diverſas exprimendas.

Goartius in Euchologio pag. 867.

Accommodant vocem hanc, Παναγία, Deiparæ Virgini, tanquam Epitethon ipſi tributum ad ſignificandam ſummam ejus ſanctitatem. Secundum Goartii mentem Παναγία accipitur magis proprie pro *buccella panis*, quam parabant, benedicebant, & comedebant, adhibitis magnis ceremoniis ſæpe, ſed præſertim tempore Paſchali.

Simeon Theſſal. in Opuſc. de Elevato Deiparæ panis fragmento.

Vetuſtiſſima Traditio apud Græcos eſt, Ceremoniam Παναγία, ab Apoſtolorum exemplo manaſſe. Hoc itaque, ait Simeon Theſſalonicenſis, *panis ſegmentum Apoſtolica nobis Traditione a Patribus primitus eſt traditum, ut ſingulis diebus ſoli Deo noſtra in Trinitate devovendum in Deiparæ memoriam, per cujus partum Trinitatem agnovimus.*
Hæc eſt Traditionis hujus origo, qua ratione refertur in Horologio ſive Diurnali Græcorum. * Poſt Reſurrectionem Domini noſtri Apoſtoli ſimul vivebant magna voluntatum conſenſione, & Sancti Spiritus adventum præſtolabantur. Quo tempore cum menſæ aſſiderent, præmiſſa Oratione, locum vacuum relinquebant, in quo pulvinum ponebant, & ſuper illud partem panis, quam Jeſu Chriſti portionem dicebant. Eodem loco animadvertunt, Apoſtolos ab adventu Spiritus ſancti ad illud uſque tempus, quo ad enunciandum ubique Evangelium diſpertiti ſunt, ab hac Ceremonia non abſtinuiſſe.

* ΩΡΟΛΟΓΙΟΝ nihil aliud apud Græcos eſt, niſi liber, qui complectitur precationes atque Officia diei, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, preces pro Communione, aliaſque multas ad impetrandum auxilium Mariæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum: in fine Kalendarium habet, & id genus alia.

Poſt

Poſt prandium, gratiis de more actis, panem hunc in manus ſumebant, illumque elevantes, ajebant: *Gloria tibi, Deus noſter*; *Gloria Patri, Gloria Filio*, *Gloria Spiritui Sancto*. Pro verbis iſtis a Paſchate uſque ad Aſcenſionem exclamabant: Μέγα τὸ ὄνομα, *Magnum nomen*: *Jeſus Chriſtus a mortuis ſurrexit*. Ab Aſcenſione ad Pentecoſten hanc precationem recitabant: *Magnum Nomen Sanctiſſimæ Trinitatis*: *Domine Jeſu adjuva nos*. Quibus precationibus abſolutis, ſecundum temporum rationem, portionem panis pro Jeſu Chriſto ſervatam inter ſe dividebant, & comedebant.

Græci imitantes Apoſtolos, & Jeſu Chriſti Reſurrectionis memoriam recolentes, perſtiterunt in more elevandi Παναγία, quanquam eorum ritus nonnihil ab antiquo differat. Typicum Græcorum * deſcribit ea quæ in hac ſolemnitate ſervantur hoc pacto: „ Quolibet die Hebdomadæ Paſ-
„ chatis Sacerdos elevat Panem ter dicens: *Chriſtus ſurrexit a mortuis*.
„ Populus præſens, ſe Crucis ſigno muniens, reſpondet: *vere ſurrexit*,
„ *triduanam ejus Reſurrectionem veneramur*. Deinde oſculamur panem,
„ ſed non comedimus uſque ad Sabbatum; quamvis hoc modo illum ele-
„ vemus, atque oſculemur. Sabbato vero manducamus canentes: *Surre-*
„ *xit Chriſtus*.

„ A Sabbato Paſchali ad Aſcenſionem uſque panem elevamus hoc mo-
„ do. Sacerdos celebritatis præſes clamat elata voce, attollens panem:
„ *Surrexit Chriſtus*; & facto ſigno Crucis, ait: *Sancta Maria Mater Dei*
„ *adjuva nos*: populus vero reſpondet: *ejus precibus Deus miſerere*, &
„ *ſalva nos*.

Qui inter Græcos majori pietate præſtabant, Monachi in Monaſteriis, Sacerdotes, & plebs reliqua in Eccleſiis, & domibus, ipſaque Imperatoris familia habebat in more comedendi poſt prandium panis fragmentum, quod vocabant Παναγία. Ecce autem qua id perficerent ratione; licet modus parandi & comedendi non idem eſſet.

Goar. in Euchologio ubi ſupra.

Unus e Cœtu aſſurgebat, elata voce dicens: *Benedicite Patres Sancti*, & *veniam mihi peccatori concedite*. Adſtantes reſpondebant: *Parcat tibi Deus*. Thure vero adhibito, & inclinato corpore, ſumebat panis fragmentum, repoſitum in Vaſe, dicto Παναγίαειον, quod ante menſam coram Beatæ Virginis imagine collocaverant. Qui Ceremoniam dirigebat, panem elevabat, eo ferme modo, quo Sacerdos Hoſtiam Sanctam extollit, dicebatque *Magnum eſt nomen*, adſtanteſque addebant *Sanctæ Trinitatis*.

* Typicus eſt Liber magnus, in quo ſunt Officia recitanda totius anni ſpatio; quæ ſervanda aut canenda ſunt in Miſſa; in Matutino, & ſingulis aliis horis; dies Jejunii &c.

Ceremoniæ Miniſter ſubjungebat: *Sanctiſſima Deipara ſuccurre nobis*; atque univerſi, qui aderant, reſpondebant: *Ejus precibus, o Deus, miſerere, & ſalva nos*. Dum vero fruſtum hoc panis inter alios dividebatur, Mariæ Virginis laudes decantabant. Tandem Ceremoniam abſolvebant, bibentes ſinguli alternatim ex eodem Vaſe.

Simeon Theſſal. Opuſc. de elevato Deipara panis fragmento.

Simeon Theſſalonicenſis memorat conſuetudinem hanc, eamque non multo aliter a nobis refert. Inſuper docet, fruſtum hoc panis trianguIæ figuræ fuiſſe; ut Divinæ naturæ unitatem, & Perſonarum Trinitatem ſignificaret. Panis hujus elevatio, concludit Autor idem, inſtituta erat ad cœleſtes benedictiones impetrandas: *Præſertim vero Sancitum eſt, ut in fine Menſæ Fratrum elevetur in Sanctificationem eorum, & ad ſumpti cibi Sacram oblationem. Elevatur pariter omni alio tempore, cum quis noſtra ope indiget, & in Sacra Miſſa, prout a pleriſque Sacerdotibus pro more obſervatur.*

Simeon Theſſal. ibidem.

Apud Goar. pag. 865.

In Euchologio, ſive Rituali Græcorum extat formula cum omnibus precationibus, atque Orationibus ad elevandum panem eo tempore, quo quiſpiam in terreſtri, vel maritimo itinere verſatur. Formula hæc titulum habet: *De elevatione panis*, Παναγία, *Sanctiſſima nuncupati, cum quis iter eſt aggreſſurus.*

Codinus de Offic. Curiæ Conſtant. c. 7. nu. 32. 33. 34.

Hæc porro Ceremonia olim celeberrima fuit in Aula Imperatorum Byzanthinorum. Codinus Curopalata eam deſcribit in hunc modum. *Sublata menſæ mappa, cum Domeſticus rei domeſticæ panem affert in Panagiario.* * *Imperator ſtatim ſurgit. Porro Præfectus Menſæ acceptum Panagiarium Menſæ imponit, & levans Panagiam, dat illam domeſtico Menſæ, ille magno Domeſtico, hic Imperatori; & quamprimum Panagiam ori inſerit, omnes accinunt: ad multos annos; & confeſtim Pincerna Cellæ vinariæ ſcutellam affert cum mantili.* Allatius uberrime loquitur de hac Ceremonia. *De Lib. Eccl.* Græcæ *Diſſ.* I., ſed rem non multo ſecus enarrat.

* *Panagiarium eſt Vas, concha more apertum; in cujus imo B. Virginis imago eſt, in operculo Chriſti Domini.* Codinus ibidem.

DIS-

DISSERTATIO III.

Quando nam prima Miſſa celebrata ſit poſt Euchariſtiæ inſtitutionem. Qua Liturgia uterentur Apoſtoli; & de aliis Liturgiis, quæ adhibita ſunt, cum in Eccleſia Græca, tum etiam Latina.

CUM Jeſus Chriſtus poſtremam cœnam fecit, atque in illa ſumma veneratione dignum Altaris Sacramentum inſtituit; tum Apoſtolis ſuis facultatem contulit conſecrandi, eoſque Presbyteros inauguravit; addito præcepto, ut id facerent in ſui commemorationem. (*1. ad Cor. cap. 11, 24.*) Apoſtoli Jeſu Chriſti juſſa non neglexerunt; ut pluribus in locis adnotarunt S. Lucas in Actis, & S. Paulus in Epiſtolis. (*Act. c. 2. 42. 46. Item 20. v. 6. 7. 11. 1. ad Cor. cap. 11. v. 24. & 23.*) Non tamen compertum eſt, utrum Apoſtoli cœperint facultatem a Chriſto traditam exercere ſtatim ab Inſtitutione Euchariſtiæ, vel poſt Reſurrectionem; an vero Spiritus Sancti Adventum expectaverint.

Per occaſionem primæ Miſſæ ab Apoſtolis celebratæ, expendemus quoque, quam initio adhibuerint Liturgiam; utque auguſti hujus Sacrificii ritus paullatim inſequentibus Ævis aucti ſunt; tandem depellere curabimus quaſdam difficultates de præcipuis Liturgiis cum Græcis, tum etiam Latinis.

ARTICULUS PRIMUS.

Apoſtoli Myſteria ſancta non celebrarunt, antequam in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus ſuper illos deſcenderet.

QUanquam Apoſtoli collata ſibi conſecrandi facultate uti ſtatim potuiſſent; non tamen certum eſt, quo primum tempore Officium Sacerdotum novæ Legis cœperint exercere. Communis ſententia fert, eos Sacra non feciſſe ab Inſtitutione Sacramenti Euchariſtici ad uſque Salvatoris Reſurrectionem. Cum etenim poſt Mortem Præceptoris ſui amantiſſimi, & jacturam ſupremi Paſtoris, inſtar ovium diſperſarum, ingenti triſtitia, atque acerrimo dolore affecti fuerint; non eſt ſimile

vero, eos ſacra tum Myſteria celebraſſe. Poſtquam autem Chriſtus a Mortuis ſurrexit, inquiunt nonnulli Theologi, Sacrificium incruentum Apoſtoli Deo obtulerunt; ſed multo probabilius eſt, eos id non feciſſe, niſi poſt adventum Spiritus Sancti.

Tametſi vero hac de re in ſacris Litteris nullum indicium ſit, & Patres ſuper ea mentem ſuam fere non explicaverint; nos tamen manent tot Antiquitatis teſtimonia, ut hanc Traditionem ſtatuamus. S. Ioannes Chryſoſtomus in hæc verba loquitur. Decimo ab hinc die natura noſtra in cœlum evecta eſt, atque hodie ad nos mittitur Spiritus Sanctus; ut conſtet quid apud Patrem pro nobis fecerit Chriſtus. *Cum enim uniti ſunt, & reconciliati inter ſe inimici, poſt reconciliationem ſequuntur invitationes, convivia, & munera.*

S. Joann Chryſoſt. ſerm. 36.

Sanctus igitur iſte Doctor conjungit adventum Spiritus Sancti cum myſtico convivio, ut nos doceat, Apoſtolos non paraſſe ſacras Epulas, antequam ſuper illos deſcendiſſet Spiritus Sanctus, per quem Deo reconciliandi erant. Idem Pater addit ſub finem ſermonis, adventum Spiritus Sancti cognitum fuiſſe *ex myſtico Sacrificio*, quod Apoſtoli eo die celebrarunt primo; poſtquam Spiritus Sanctus eorum corda accendit, ut ad auguſtum Sacramentum ſuſcipiendum diſponerentur.

S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus pulcherrimam ſubjicit animadverſionem in ea verba, quæ Diſcipulis ſuis protulit Chriſtus Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem*. *Non ſane*, ait, *id facere juſſiſſet niſi vim inducturus fuiſſet, ut id facere liceret. Et quæ eſt poteſtas? Spiritus Sancti virtus ex alto, quæ Apoſtolos armavit.* Quibus verbis videtur S. Germanus innuere, in die Pentecoſtes Apoſtolos virtutem cœleſtem recepiſſe, per quam cognoverunt, quomodo ſacra Myſteria celebranda eſſent.

Germ Conſt. Theoria verum Eccleſ.

Heſychius: *Tunc*, inquit, *Sacrificium ſuum Chriſtus innoteſcere cœpit, ex quo Spiritus adveniens, Parthos, & Medos, Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apoſtolorum Cænaculi ſuperiora collegit.*

Heſich l. 2. in Levit. c. 9.

Ven. Beda ſermonem habens de die Pentecoſtes hæc habet: *Novum in ea ſacrificium Domino ipſi quoque Apoſtoli, mox accepto dono Spiritus, obtulerunt.... & hos fonte Baptiſmatis renatos, ac Spiritus Sancti gratia ſanctificatos, vivas utique Novi Teſtamenti primitias ad communionem Dominici Altaris, obtulerunt.*

Beda Hom. de Pentec. & in c. 2. Act. Apoſt.

Alius autem Scriptor ſatis diſerte ſuper hac re aperit mentem ſuam. Poſtquam Apoſtoli ex deſcenſu Spiritus Sancti renovati ſunt, & divinæ Charitatis vino inebriati: *Ex eo ſane credimus, hunc Calicem in Eccleſia conſecratum*. Urbanus IV., & Clemens V. Feriam quintam poſt Feſtum Pentecoſtes deſignarunt, qua Inſtitutionis Euchariſtiæ memoria ce-

Paſchaſ. Ratbertus lib. de Corp. & Sang. Dom. c. 21.

le-

lebraretur, quod pariter Concilium Viennenſe Decreto ſuo confirmavit. Divus Thomas in Officio SS. Sacramenti iccirco, ait, Eccleſiam ſe legiſſe tempus illud, ut ſolemnitatem iſtam recoleret: *quia in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari.*

Clem. unic. de Reliq. & Vener. Sanct.

Quibus verbis indicavit S. Thomas, ante Pentecoſten Diſcipulos Jeſu Chriſti, alioſque Fideles, qui perſeverabant orantes in Cænaculo poſt Salvatoris Reſurrectionem uſque ad adventum Spiritus Sancti; nondum cœleſti pane enutritos fuiſſe, & Pentecoſtes tantum die hac felicitate gaviſos, quod fieri non poterat, quin Sacrum peragerent. Atqui non fit credibile, neminem e Chriſtianis Sacramenti hujus participem fuiſſe; ſi modo ante illud tempus Apoſtoli rem divinam conſecraſſent. Quapropter ſi Fideles, ex animadverſione D. Thomæ, Euchariſtiam frequentare Pentecoſtes tempore cœperunt, neceſſe eſt Apoſtolos quoque per id tempus cœpiſſe uti facultate, ſibi a Chriſto Domino collata, tanquam Sacerdotibus novæ Legis.

Act. 1. 14.

Ipſe etiam Divus Lucas videtur ſignificare voluiſſe, primam Euchariſtiæ Communionem ante Pentecoſten peractam minime fuiſſe. Primo nanque capite Actorum Apoſtolicorum memorat Evangeliſta, *perſeveraſſe omnes unanimiter in Oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & Fratribus ejus*. Capite vero ſecundo eorundem Actorum eandem ferme ſententiam inculcat: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Quo in loco animadverte, priora verba referri ad Chriſtianos congregatos in Cœnaculo ante Pentecoſten; poſteriora autem intelligenda de iis, quæ contigerunt poſt deſcenſum Spiritus Sancti, & tum non dicit Lucas tantum, Apoſtolos ceteroſque perſeveraſſe orantes; ſed perſeveraſſe *in communicatione fractionis panis, & Orationibus*. Atque adeo fortaſſe Sanctus Lucas monere voluit his verbis *in communicatione fractionis panis*, poſt Pentecoſten Fideles non perſeveraſſe tantummodo in Orationibus, ut antea, ſed panem quoque ſanctum fregiſſe, nimirum, poſt rem Divinam celebratam ſacrorum Myſteriorum participes fuiſſe. Quod ejus rei adjunctum animadverſione dignum eſt, cum illud ante Pentecoſten Lucas non memoret.

Act. 2. v. 42.

Tandem ſi fides Theologis habenda eſt, Lex vetus non ceſſavit, niſi Pentecoſtes die, quia nova Lex hac tantum die promulgata eſt. Non decebat itaque, conficere Sacrificium Legis Evangelicæ; donec Sacerdotium ſecundum Aaron traduceretur ad Miniſtros Pontificis Magni ſecundum Ordinem Melchiſedech, ſcilicet Jeſu Chriſti. Quidquid autem adverſus hanc Traditionem objiciunt, probat quidem, Apoſtolis fuiſſe ante adventum Spiritus Sancti poteſtatem conſecrandi, eaque uti potuiſſe; ſed ex eo non poſſumus colligere illos hanc poteſtatem revera adhibuiſſe.

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 5. art. 1.
Theoph. Rayn. lib. de prima Miſſ. ſect. 1. c. 2.

AR-

ARTICULUS II.

De Liturgiis, quibus uſi ſunt Apoſtoli in primi Sacri celebratione cum ante, tum poſtquam diviſi ſunt; & de iis, quæ adhibitæ ſunt ad quartum uſque ſæculum.

QUotquot de Rebus Liturgicis opus aliquod in vulgus ediderunt, * ii omnes in hoc conveniunt, ſacrificium Miſſæ primis temporibus celebrari conſueviſſe paucis ritibus, ſummaque ſimplicitate. Paulatim vero additæ ipſi ſunt precationes, & ceremoniæ, ut auguſto huic Sacrificio majorem populorum exiſtimationem compararent. Denique Eccleſiæ in ordinem redegerunt, & Scripto tradiderunt rationem Miſſæ celebrandæ; quod vocant Liturgiam. Intereſt igitur in præſenti cognoſcere, quænam ſint hæ Liturgiæ, quæ obtinuerunt tribus, aut quatuor primis Ævis.

§. I.

In ortu primo Religionis Chriſtianæ Liturgia nihil aliud præter Orationem Dominicalem, & Verba Divina complectebatur.

Greg. l. 7 Ep. 63 ad Joann. Syrac.

A Sancto Gregorio Magno didicimus: *Morem Apoſtolorum fuiſſe, ut ad ipſam ſolummodo Orationem oblationis hoſtiam conſecrarent*: *Dominus*, ait Honoratus Auguſtodunenſis in hæc Gregorii verba, *inſtituit Miſſam, cum panem & vinum in Corpus, & Sanguinem ſuum transmutavit, juſſitque Apoſtolis, ut id in memoriam ſui facerent. Hanc Apoſtoli auxerunt, dum ſuper panem, & vinum verba, quæ Dominus dicit, & Orationem Dominicam dixerunt*. Vualfridus Strabo addit: *Et relatio majorum eſt, ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas.*

Honor. Auguſt. in Gemma Animæ c. 86.

Vualfr. Strabo de rebus Eccleſ. l. 1. c. 22.

Ex iſtorum igitur Scriptorum teſtimonio certum eſt, Apoſtolos Sacrum primum in die Pentecoſtes conficientes, nihil addidiſſe verbis, a Chriſto in Conſecratione prolatis, præter Orationem Dominicam. Immo veriſimillimum eſt, nullam aliam ab exordio Eccleſiæ Liturgiam fuiſſe, vel

* Vualfridus Strabo *de rebus Eccleſ.* c. 22. Honoratus Auguſtodun. *Gemma Animæ l.* 1. *c.* 86. S. Remigius Antiſiodorenſis *de Celebr. Miſſæ l.* 1. Durandus Anderidenſis, Paulus Tungrenſis, Rupertus, Caſſander, Polidorus Virgilius, aliique, qui de Eccleſiæ ritibus, & ceremoniis diſſeruerunt:

ſal.

ſaltem uſque ad Apoſtolorum ſeparationem. Cave autem, ne ſecundum Litteram accipias illud ſolum modo, quod eſt in loco S. Gregorii Magni, aliorumque Scriptorum a nobis laudatorum; neque tibi perſuadeas, in Cœtibus Fidelium, in quibus ſacra Myſteria celebrabantur, nihil aliud præſtitum fuiſſe, quam Orationem Dominicam recitare; panem & vinum conſecrare, atque adſtantibus præbere. Conſtat nanque, Apoſtolos non oblitos fuiſſe verborum, quæ Chriſtus uſurpavit, neque aliorum. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Verum quidem eſt, Miſsæ Sacrificium tum conſtitutum fuiſſe duntaxat his duobus: ſed ante & poſt confectionem hujus auguſti Miſterii Pſalmi, Hymni, & Cantica Sacra ad Dei gloriam canebantur. Hoc eſt Chryſoſtomi cogitatum in rem hanc. *Cum ſacras illas Cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & Hymnos? Nonne in ſanctas Vigilias? Nonne in longam illam Doctrinam, & multæ Philoſophiæ plenam?* *Chryſ. hom. 27. in Ep. 1. ad Corinth.*

S. Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus eadem ferme habet: *Fuſiſſime*; ait de Apoſtolis loquens, *longoque verborum ambitu Miſſam decantabant..... quocirca & contrito Spiritu multas preces decantabant, impenſe divinum implorantes Numen.* Quod ſi Miſſa componebatur ſolum Oratione Dominica, & verbis Conſecrationis; qui affirmare potuit Sanctus hic Pater, Apoſtolos Sacrum peragentes, verba multa recitaſſe, precationes prolixas, atque impenſe Numen divinum imploraſse? Ut inquam nos doceret, Apoſtolus præter Orationem Dominicam, & verba Divina, addidiſse precationes multas, aliaſque Sanctas exercitationes, quæ aliquando longiores erant, aliquando pro temporum, atque opportunitatis ratione breviores. *Procl. Conſt. lib. de Trad. Div. Liturg.*

§. II.

Sanctus Paulus primam nobis Liturgiæ Sacræ ſpeciem propoſuit.

EGO equidem ſum neſcius, an æquiſſima conjectura eſſet, aſſerere, primos Chriſtianos nulla alia Liturgia uſos præter illam, quæ ſacro Pentecoſtes die adhibita fuit, donec Apoſtoli in omnem terram diſtributi ſunt. Id ſane colligere commode poſsumus ex Epiphanii verbis, ubi ait: *Petrus & Andreas, Jacobus, Joannes, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi ſunt Apoſtoli, per Orbem ſacram Evangelii functionem adminiſtrantes una cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis myſteriorum Inſtitutoribus.* Quibus poſtremis verbis, *ac reliquis Myſteriorum Inſtitutoribus* S. Epiphanius exprimere intelligit celebrationem Sancti Sacrificii Miſsæ, quod Apoſtoli, atque Epiſcopi primi inſtituerunt, videlicet ejus Ritus digeſserunt, & ceremonias auxerunt. *Epiph. Hæreſ. 79 1. ad Timoth. c. 20. 1. & 2.*

Quam-

Quamquam vero Doctor Sanctus non recenſeat ſingillatim, quid quiſque Apoſtolus addiderit formulæ, quam ſectata eſt Eccleſia primitiva, locus tamen præſumendi eſt, omnia, quæ in Liturgiam ſacram invecta ſunt, redigi ad quatuor res poſse, comprehenſas in verbis Pauli Apoſtoli in Epiſtola prima ad Timotheum: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Quæ Apoſtoli verba haberi poſsunt inſtar primæ Liturgiæ, qua uſi ſint Apoſtoli, & ſectatores ad initium uſque alterius ſæculi, queque continent quidquid ſpectat ad auguſti Altaris Sacrificii naturam.

Paulinus certe percontatus Auguſtinum quid ſibi vellent hæc Pauli verba, ab eo reſponſum tulit, commodiorem *obſecrationum, orationum, poſtulationum, gratiarum actionum* interpretationem eſse, quæ illas refert ad conſuetudinem Eccleſiæ in Sanctis Myſteriis. *Eligo in his verbis intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia; ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quòd eſt in Domini Menſa incipiat benedici: Orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit..... Interpellationes autem, ſive, ut veſtri Codices habent, Poſtulationes, fiunt, cum populus benedicitur. Tunc etenim Antiſtites, velut advocati, ſuſceptos ſuos per manuum impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

Aug. Epiſt. 59 ad Paulinum q. 5. vel Epiſt. 149. num. 15. 16. Proſper l. 1. de Vocat. Gent. c. 47.

Per ſe liquet, Auguſtinum in his Pauli verbis inſpicere Liturgiæ ritum, *quem omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia*, quandoquidem præſeferunt quatuor res pertinentes ad naturam cujuſque Liturgiæ, quas Apoſtoli inſtituerunt in Eccleſiis ab ipſis erectis, vel in morem ſæculorum inſequentium venerunt. Neque etenim ulla eſt, quæ non afferat precationes ante Conſecrationem, alias pro Conſecratione, alias ad benedicendum populum, & poſtremo loco Gratiarum actiones. Quare ſi Liturgia, quam Apoſtolus veluti adumbravit in his verbis, prima eſt omnium editarum, & aliquanto latior ea, quæ initio ipſo Apoſtoli uſi ſunt, cum addat multa in illa haud relata; affirmare quoque commode poſſumus, eam eſſe normam omnium Liturgiarum hactenus emiſſarum, vel in Eccleſia adhibitarum. Quidquid etenim in ſeſe continent, concluditur tandem quatuor hiſce exercitationibus, quas memorat Paulus; atque Auguſtinus magis nominatim explicavit.

Tametſi Divus Paulus primus, atque unus Apoſtolorum ſit, qui ſcripto tradiderit primam Liturgiæ Sacræ ſpeciem, quæque revera complectitur ex Auguſtino quatuor præcipuas Miſſæ partes, quæ religioſe in unaqua-

unaquaque Liturgia, deinceps prodita in Eccleſia; ſervatæ ſunt, nihiloſecius conſtans ſæculorum omnium Traditio nos docet, Sanctos Petrum, & Jacobum, ore ſaltem tenus, atque exemplo normam dediſſe Liturgiarum omnium, quæ ab Eccleſiis Græca, & Latina uſurpatæ fuerunt. Quo intellecto S. Petrus habendus eſt, tanquam primus Inſtitutor Sanctæ Miſſæ Romanæ, & S. Jacobus Hieroſolymitanæ, quæ deinde propagatæ ſunt, prior in omnibus Occidentis, altera in Orientis Eccleſiis. Antequam rei hujus argumenta profero, quædam §. inſequenti animadvertenda ſunt.

§. III.

Animadverſiones ad cognoſcendam originem Liturgiarum omnium, quæ ab Apoſtolicis temporibus in Orientis, atque Occidentis Eccleſiis obtinuerunt.

SUper hac re ego libentius quidem aliorum placita audirem, quam meum proferrem; idque eo magis, quo nullum Autoris ejuſdem temporis teſtimonium habemus, quo veluti duce, viam inire poſſimus, vel lucem haurire ſuper obſcuriſſimo Facto iſto, licet duorum, vel trium ſæculorum ſpatio verſatum ſit in conſpectu totius Eccleſiæ Orientis, atque Occidentis. Res itaque deducta eſt ad ſolas conjecturas; quæ tamen videbuntur eſſe alicujus momenti ad Factum iſtud vetuſtiſſimum extricandum; quoniam eas roboro inſequentibus animadverſionibus, quas nemo unus, niſi fallor, in controverſiam vocare poterit.

1. Illud ſtatim pro certo pono, ab Apoſtolorum ætate ad noſtra tempora nunquam deſitum in Eccleſia fuiſſe, ſacra Myſteria celebrari, ubicumque chriſtiana Religio radices egerat: niſi ſi fortaſſe alicubi, & aliquando propter gravitatem inſectationis.

2. Quandoquidem Liturgia ſacra ſaltem a ſecundo ſæculo redundabat quamplurimis precationibus, orationibus, obſecrationibus, gratiarum actionibus; Epiſtola, Evangelio, aliiſque multis Miſſæ partibus, e ſacris Litteris depromptis; nemo ſibi perſuadere poterit, rem divinam celebratam fuiſſe ſine Liturgiis, conſcriptis in uſum Miniſtrorum, atque Officii publici exemplar. Item neceſſariæ erant ad ſervandam æquabilitatem in ſanctis iſtis Conventibus, atque removendos malos uſus, qui nullo negotio irrepſiſſent, ſi Sacerdotum, vel Adſtantium pietati liberum fuiſſet tempus in iis inſumendum: cum quidam longius æquo Sacrum protraxiſſent, alii brevius, quam par erat, abſolviſſent. Denique neceſſitatem habebat, Liturgiam deſcribere, ut univerſa Eccleſia ritus eoſdem, quod attinet ſaltem ad eorum naturam, ſervaret.

3. Ex omnibus Libris Eccleſiaſticis, tributis trium priorum ſæculorum Autoribus, qui in divinis Myſteriis celebrandis uſum habere potuiſſent, ætatem evaſerunt duntaxat Liturgiæ Sanctorum Petri, Matthæi, Marci, Barnabæ, duodecim Apoſtolorum, queis addere potes illas, quæ circumferuntur nominibus Sancti Jacobi, Sancti Clementis, vel Autoris Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Sancti Dionyſii Areopagitæ, quæque reperitur capite tertio de Hierarchia Eccleſiaſtica, ipſi adjudicata.

4. Conſtans res eſt, & Sapientum omnium judicio confirmata, Liturgias Sanctorum Petri, Matthæi, Marci, Barnabæ, & duodecim Apoſtolorum certo ipſis ſuppoſitas fuiſſe; nullam in Eccleſia Catholica autoritatem habuiſſe, neque ab ullo uſurpatas fuiſſe, præterquam ab Schiſmaticis, vel Hæreticis.

5. Quanquam Sapientes multi conatus omnes ſuos eo contulerint, ut probarent, Libros, qui extant nomine S. Dionyſii Areopagitæ, confectos fuiſſe a diſcipulo S. Pauli, cui erat hoc nomen, ejuſque Opera legitima eſſe: nihilo tamen minus, cum animus non ſit id facti hoc loco examinare, atque aliorum interſit, principia jacere omnibus probata, do libens & concedo, Scriptorem hunc non vixiſſe ante quartum ſæculum; atque adeo jactatam ejus Liturgiam non potuiſſe tribus prioribus Ævis adhiberi.

6. Inter Viros doctiſſimos receptum eſſe debet, ſive Liturgiam Jacobi huic Apoſtolo adjudicent, vel ab eo abjudicent, eam tamen in more fuiſſe primorum ſæculorum, quamvis ei identidem non pauca adjuncta ſint. Convenit pariter inter omnes poſt S. Epiphanium, S. Clementem Autorem non eſſe Conſtitutionum Apoſtolicarum; has ab ignoto Scriptore fuiſſe exaratas, atque incertum eſſe tempus, quo confectæ fuerunt; licet multa utiliſſima, atque excellentiſſima complectantur. *Qui liber tametſi dubiæ fidei ſit, non eſt tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam, aut in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi ac Decretis contrarium continent.* Hæc Epiphanius. Et vero omnia in illis concinunt egregiæ quatuor primorum Sæculorum Eccleſiaſticæ diſciplinæ; ut Aubeſpinus non dubitet affirmare, Librum hunc fuiſſe olim Eccleſiæ inſtar Ritualis, Pontificalis, & Codicis, & collectionem eſſe variorum morum, qui paullatim in Eccleſia invaluerunt, atque a Clemente, qui illos ab Apoſtolis audierat, ſcripto traditi ſunt.

Epiphan. hær. 70. num. 10.

Aubeſp. Obſerv. l. 1. c. 3.

Morinus de ſacris Ordinat. p. 2. in Præf.

Conſtitutiones illas, inquit Morinus, *quæ vulgo Clementis nomine feruntur, cenſeo Diſciplinam eſſe Eccleſiaſticam, qua Orientalis Eccleſia ante Conſtantinum primum ſub Ethnicis Imperatoribus regebatur. Primus eas in* or-

ordinem ex ore, mandatiſque Apoſtolorum exceptas redegit, & edidit Clemens; deinde ſucceſſu temporis a Synodis Orientis auctæ, primi Authoris nomen conſtanter retinuerunt.

Quibus poſitis animadverſionibus, dicendum eſt, ſi Sacrificium Miſſæ ab Eccleſiæ primordiis ſine intermiſſione celebratum fuit; ſi numerus ingens precationum, & ceremoniarum, ipſi diverſis temporibus additarum, poſtulabat Liturgiam litteris conſignatam eſſe; ſi quæ tribuuntur Sanctis Petro, Matthæo, Marco, & Barnabæ, duodecimque Apoſtolis ignotæ ſunt, atque autoritate carent: conſequens neceſſario eſſe, inter omnes Liturgias, quæ feruntur conſcriptæ primis Ævis, atque ad noſtram notitiam traductæ ſunt, eas tantummodo, quæ leguntur nomine S. Jacobi, & S. Clementis, potuiſſe uſum habere temporibus Apoſtolicis ad quartum Sæculum uſque, atque exiſtimari poſſe fontes primos ceterarum cum Eccleſiæ Græcæ, tum etiam Latinæ. Conſecutio hæc habenda eſt, tamquam certa, ſi animadverſiones hactenus conſtitutæ ab æqua ratione non abhorrent.

Poſt argumentum hoc veluti generale, efficiamus pariter ſingillatim, Eccleſiam Græcam non habuiſſe aliam Liturglam, niſi S. Jacobi, a qua partæ ſunt ceteræ ab Orientalibus adhibitæ; necnon Liturgiam, quæ Clementis nomine inſignitur, invaluiſſe ab Ævis primis in Eccleſia Romana, cui Pontifices plura addiderunt, atque adeo ad omnes Occidentis Eccleſias propagata eſt, vel fortaſſe ab utraque Liturgia iſta univerſas alias utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ deſcendiſſe.

Quod ſi Additiones, & mutationes in eas inductæ duas haſce Liturgias flocci faciendas eſſe declarant, ſique priſtinæ vetuſtatis rationem pene omnem amiſerunt; illud tamen ſemper verum erit, ſummam harum Liturgiarum naturam veluti conſtituere ceterarum, quæ uſitatæ fuerunt in univerſo Oriente, atque Occidente. Seponamus in alium locum diſputationem de Liturgia S. Clementis, atque exordiamur ab illa, quæ S. Jacobi nomen præſefert.

§. IV.

Liturgia, S. Jacobi nomine vulgata, prima eſt, & fons ceterarum, quæ ab Orientalibus uſurpatæ ſunt.

NON crediderim, quempiam a me præſtolari, ut aggrediar ad probandum, Liturgiam S. Jacobi vocabulo editam, ab ipſo re vera conſcriptam fuiſſe. Novi equidem, Leonem Allatium fuſam Diſſertationem adornaſſe, ut legitimam Liturgiæ hujus veritatem tueretur; in

hoc ſectatores habuiſſe Cardinales Bonam, Bellarminum, alioſque multos, ſed neque me fugit, eam rejici a pleriſque Criticis præclariſſimis, & complecti ritus quoſdam, qui temporibus Apoſtolicis congruere nequeunt. Quare cum dico, Miſſam, quæ nomine S. Jacobi ad hanc diem extat, fontem eſſe, atque originem Liturgiarum omnium Orientis; id tantum mihi ſumo, vetuſtiſſimam videlicet Traditionem eſſe, modum celebrandi divina Myſteria tribus prioribus Ævis, & ſequentibus invectum fuiſſe in Eccleſiam Græcam, tanquam conſuetudinem ab hoc Apoſtolo petitam, & proinde Liturgiam S. Jacobi nuncupatam, ſive ab ipſo litteris commendata ſit, ſive oretenus tradita. Compertum tandem habeo, multa ab ea deleta fuiſſe, plura in ea addita, atque immutata, atque Archetypi ſummam tantum ſervatam fuiſſe; ut demum difficile ſit certo indicare, quod reipſa ab hoc Apoſtolo proficiſcatur: licet pro viribus, & Traditione præeunte, harum rerum diſcrimem habere curabimus.

Proclus Tract. de Tradit. Divina Liturgia.

S. Proclus, qui ad medium fere quintum Sæculum floruit, ponit S. Jacobum in numero eorum, qui *Myſticæ Liturgiæ expoſitionem in ſcriptis relictam Eccleſiæ tradiderunt*. Canon 32. Concilii Trullenſis, celebrati anno 692. hanc Traditionem confirmat, ſtatuitque ex Liturgia, S. Jacobo Fratri Domini adjudicata, miſcendam eſſe vino aquam in Calice: *Myſtice nobis in Scriptis tradito Sacrificio, ita conſecrandum in divina Miſſa ex aqua, & vino ſacrum Calicem, edidit*.

Allat. in Symmictis pag. 176. Bona Rer. Liturg. c. 8. n. 3. Abraham Echell. in notis ad Hebedieſu de Scrip. Chald.

Leo Allatius, & Bona contendunt, ex Traditione Eccleſiæ Græcæ conſtanti S. Jacobum ſcripſiſſe Liturgiam. Syri conveniunt in hoc cum Græcis, inquit Abrahamus Ecchellenſis; additque, Joannem Marum, labentis ſæculi VI. Scriptorem, lucubraſſe commentarium Lingua Syriaca in S. Jacobi Liturgiam, in quo animadvertit, Traditionem hanc ab Apoſtolorum temporibus ſervatam fuiſſe. Ex quibus omnibus teſtimoniis nolo ſane inferre, certum eſſe, S. Jacobum traduxiſſe ad Poſteros Liturgiam a ſe conſcriptam, multo vero minus Autorem ejus eſſe, quæ ipſius nomine extat; ſed tantum ſimile vero eſſe, Apoſtolum hunc potuiſſe ſcriptis committere rationem celebrandi Myſteria divina in Eccleſia ſuâ; vel alium, ipſo ſuperſtite, ſive paullo ante vita functo, ut rei monumentum ad poſteritatem propagaret, vel ad ceterarum Eccleſiarum inſtitutionem, potuiſſe corpus veluti conficere Liturgiæ, quæ deinceps ſæculis inſequentibus huic Apoſtolo tributa ſit. Neque etenim ſpeciem veritatis habet, perennem adeo Traditionem ubique conſtitutam, & firmatam fuiſſe, niſi altero ex his modis a nobis allatis res accidiſſet.

Si vero integrum eſſet ad conjecturas confugere, ſatis probabile eſſe dicerem, Liturgiam hanc conſcriptam, ut ſerius, fuiſſe ſub finem primi ſæculi, vel initium alterius. Cum etenim per id tempus Apoſtoli, ſive

homi-

homines Apoſtolici Sacrificio Miſſæ addiderint precationes, gratiarum actiones, & ceremonias, plurimas; ſuperat fidem omnem, eos tandiu diſtuliſſe, quin ſcriptis mandarent ritus, in celebratione Myſterii auguſtiſſimi ſervandos. Ipſa quoque id flagitabat ęquabilitas Eccleſiæ; quanquam etenim conveniſſet inter omnes de quatuor partibus a Divo Paulo recenſitis, eſt tamen cur credamus, in ratione eas adimplendi diſcrepaſſe, atque in aliis plurimis ceremoniis, quas ſive Apoſtoli, ſive ipſorum ſucceſſores introduxerant ſecundum inſtituta locorum populorumque, qui noviſſime fuerant Religioni initiati. Porro difficile eſt perſuaſu, Miniſtros Altaris, non eadem facultate, atque ingenio præditos, Rem divinam, tot precationibus, ritibuſque plenam, conficere potuiſſe una Traditione vocis, ſine ullo ſcriptionis adjumento.

Illud certe videtur firmum, & ratum, Liturgiam hanc ante S. Juſtini tempora conſcriptam fuiſſe. Sanctus nanque hic Martyr in epitomen redegit Liturgiam, qua Chriſtiani ejus ætate utebantur, quæque alia eſſe non poterat ab illa, quæ tum temporis S. Jacobi nomine vulgata erat: 1. quia S. Juſtinus Palæſtinus, & diu in Hieroſolymitana Eccleſia commoratus, callentiſſimus eorum eſſe debebat, quæ ibi uſuvenerant; & conjicere ſane poſſumus, in Apologia, ab ipſo Imperatoribus oblata, eum narrare, quæ in Hieroſolymitana Eccleſia factitari ſolebant, quæque in hujus Liturgia deſcripta erant. 2. Nihil ipſe dicit, unde colligi poſſit, modum hunc celebrandi Miſſam hæſiſſe tantum in memoria Miniſtrorum Altaris. 3. Multa revera dicit, quæ indicant, Liturgiam hanc manu exaratam fuiſſe; ut planum fiet ex ejus Collectione, quæ proinde duo confirmare poteſt a nobis prolata: primum eſt, quidquid recitat S. Juſtinus de Sacrificio Miſſæ, depromptum fuiſſe e Liturgia, tum celebri titulo S. Jacobi: alterum, Liturgiam hanc ſcriptis commiſſam fuiſſe. Habeto paucis quidquid S. Juſtinus in Apologia ſua refert de Myſteriorum noſtrorum excellentiſſimo.

§. V.

Epitome Liturgiæ S. Jacobi a S. Juſtino collecta.

S. Juſtinus ait initio ipſo, Fidelium ſive in Urbibus, ſive ruri degentium conventus fieri ſolitos diebus Dominicis, ubi *Commentaria Apoſtolorum, & Prophetarum ſcripta leguntur*. Poſt lectionem Scripturarum Præſidem oratione plebem inſtituere, qua abſoluta, precationes recitari, & *ſub finem precum inter ſe oſculo ſalutari*. Idem S. Martyr animadvertit, *dum ſupplicationes fundebant*, orare ipſos, ut digne miniſte- *Juſtinus Apol. 2.*

rio

rio fungerentur; religioſe præcepta ſervarent, & *ſalute ſalvarentur ſempiterna*.

Poſt Orationes, *cui fratribus præeſt*, ſubjicit Juſtinus; *offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quæ cum accepit, laudem & gloriam omnium Parenti, Filii, Spirituſque nomine tribuit, gratias diu agit: Quibus rite perfectis precibus, & gratiarum actione, populus omnis qui adeſt, acclamat dicens: Amen.*

Deinde ii, quos Diaconos vocamus, & Miniſtri diſtribuunt Adſtantibus id, de quo gratiæ ſunt actæ, nimirum panem, & Calicis participes faciunt, in quo vinum aqua permixtum, atque eadem Myſteria ad abſentes deferunt. *Porro alimentum hoc*, concludit Sanctus hic Apologiſta, *apud nos appellatur Euchariſtia. Quibus copiæ ſuppetunt, ii, ſi volunt, quiſque ſuo arbitratu quod vult largitur*; quæ eleemoſynæ dividuntur a Præſide Orphanis, Viduis, Pauperibus, Carcere incluſis, atque Advenis, qui aliqua neceſſitate laborant.

Ex hac ſumma duo colligere merito poſſumus. Primo, S. Juſtinum nullius meminiſſe ceremoniæ, quæ in S. Jacobi Liturgia non reperiatur. Secundo, non eſſe credibile, tot preces ab Altaris Miniſtris atque a Fidelibus recitatas, tot gratias a Sacerdote diuturno tempore actas, *Gratias diu agit*, perfici potuiſſe ſine quadam conſcripta formula Liturgiæ ſacræ. Quare cum ex Traditione nullam aliam tum noverimus extitiſſe Liturgiam præter illam, quæ S. Jacobi nomine vulgabatur, merito inde poſſumus efficere, S. Juſtinum ex ea decerpſiſſe, quæ in Apologia ad Imperatores delata reperiuntur.

§. VI.

Aliud argumentum deductum a S. Cyrillo Archiepiſcopo Hieroſolymitano.

AB ætate D. Juſtini ad uſque medium fere ſæculum quartum nullus Græcorum Patrum eſt, qui mentionem fecerit eorum, quæ in Myſteriorum ſacrorum celebratione recolerentur. Unus eſt S. Cyrillus Archiepiſcopus Hieroſolymitanus, qui hac de re verba fecerit. Recenſet nanque præcipuas Liturgiæ Ceremonias, quæ tum exercebantur; in ſingulas quædam ad mores ſpectantia animadvertit, earumque myſticum intellectum interpretatur.

S. Cyrill. Hieroſ. Catecheſ. Myſtag. quinta.

Primo ſcribit, Diaconum detuliſſe aquam ad Sacerdotem ſacrificaturum, atque ad alios omnes, qui intererant. 2. Diaconum exclamaſſe contenta voce: *Complectimini, & oſculamini vos invicem*. 3. Sacerdos operans Deo dicebat eadem voce: *Surſum corda*; & Fideles reſpondebant:

Habe-

Habemus ad Dominum. 4. Sacerdos addebat: *Gratias agamus Domino*; populuſque reponebat: *Dignum & juſtum eſt*. 5. Poſt hæc mentio fiebat Cœli, Terræ, Maris; Solis, Lunæ, & Stellarum; omnium rerum creatarum, ratione compotum, atque expertium; adſpectabilium, & non adſpectabilium, uti ſunt Archangeli, Angeli, Virtutes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Throni, Cherubim, & Seraphim; & canimus, addit S. Cyrillus, Seraphicam hanc Theologiam, quam ab eis didicimus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*.

6. Poſtquam ſanctificati ſumus Hymnorum ſacrorum recitatione, oramus Deum, ut Mittat Spiritum Sanctum: *ut panem quidem faciat Corpus Chriſti, vinum vero Sanguinem Chriſti*. Quo ſpiritali peracto Sacrificio; oramus Deum, ſubjungit, pro pace Eccleſiæ; pro Orbis tranquillitate; pro Regibus & militibus; pro amicis, ægrotis, atque afflictis; pro iis omnibus tandem, qui cœleſtis indigent auxilii. Non præterimus orare Dominum pro Sanctis Patribus, * & pro Epiſcopis vita functis, proque iis omnibus, qui deceſſerunt, quique inter nos vitam egerunt.

5. S. Cyrillus ait, Adſtantes poſtea recitare Orationem, a Jeſu Chriſto Apoſtolis traditam, atque a nobis dictam, Orationem Dominicam: *Pater noſter, qui es in cœlis &c.* 8. Expleta Oratione, & reſponſione populi *Amen*, Sacerdos ait voce clara: *Sancta Sanctis*; quibus verbis reſpondent Chriſtiani: *Unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus*. Hortatur deinde eos, ut ſacra Myſteria recipiant his verbis: *Guſtate & videte, quod Chriſtus eſt Dominus*. Et ſuſcepto Corpore, & ſanguine Jeſu Chriſti, gratiæ Deo aguntur. *Quæ omnia*, ut putat Baronius, *idem Cyrillus non aliunde, quam ex Jacobi Liturgia, cognoſcitur accepiſſe*. *Baronius ad ann. 63.*

Excerpta igitur Liturgiæ, quæ nobis reliquit S. Juſtinus, atque illa, quæ depromſimus e Divo Cyrillo, in eo conveniunt, quod utraque complectuntur quatuor partes, quæ attinent ad naturam Miſſæ, atque ab Apoſtolo recitantur. Si vero S. Juſtinus non meminit quorundam rituum, qui leguntur in Liturgia S. Cyrilli, propterea fuit, quia Sanctus hic Martyr in iis tantummodo immoratus eſt, quæ ad ipſius conſilium neceſſaria erant, & quatenus fieri poterat intra fines Apologiæ: & ſi uter-

* Ex more loquendi veteris Eccleſiæ Sacrificium Miſſæ offerebatur pro juſtis, pro Sanctis, atque adeo pro Martyribus; non tamen, ut pro ipſis orarent, cum probe noſſent, eos gaudere Deo, præſertim Martyres; ſed ut in eorum honorem caderet, & memoriam.. *Palmas a Domino*, inquit S. Cyprianus Ep. 34. *& coronas illuſtri paſſione meruerunt: Sacrificia pro eis ut meminiſtis offerimus*. Vel Sacrificium pro eis offerebant, ut Deo grates agerent de beneficiis ipſis collatis. Quorum plane ſenſuum altero intelligendum eſt, quod memorat Baronius *ann.* 295. Cajum Pontificem quotidie ſacrum feciſſe pro Sancta Suſanna Virgine, & Martyre, Nepte ſua; ut refert Innocentius III. *cap. cum Martha de celebr. Miſſ.* Extat quoque *Secreta* his verbis: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio &c.* nimirum, ut a Chriſti fidelibus honor ipſi, & gloria tribuatur.

que

que rem ex eodem fonte hauſerit, qui alius eſſe non poterat, niſi Liturgia S. Jacobi; quæ una tum extabat, quæque ob argumenta ſuperius allata, ſcriptis utique comiſſa fuerat.

Sancti Juſtinus, & Cyrillus, ut apparet, eam nobis dederunt Liturgiam, quæ per id tempus in more erat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, atque adeo pluribus conſtabat, quæ a Divo Jacobo deſcendere poterant. Sed ſive Apoſtolus hic litteris demandaverit ordinem Liturgiæ, ſive digeſtus hic fuerit ex iis, quæ ipſe præſtare conſueverat, vel alios præſtare juſſerat: illud certe conſtans eſt ex Traditione quatuor primorum ſæculorum, rationem celebrandorum Myſteriorum ſcripto traditam hujus Apoſtoli nomine, ejuſque ſummam ipſi adjudicatam fuiſſe, ſive illam litteris, ſive traditione reliquerit. Qua de re Liturgia hæc obtinuit in Eccleſia Græca, atque habita eſt, tanquam fons omnium aliarum: quod tamen non obeſt, quin aliæ Eccleſiæ, ſecundum locorum, temporum, hominumque varietatem, alios ipſi ritus addiderint.

Illud autem in præſentiarum intereſt ſcire, an dignoſci poſſint ea, quæ a S. Jacobo, atque ab aliorum Apoſtolorum Traditione profecta ſunt; mihi nanque ſtat animo, Liturgiæ hujus ſummam, licet S. Jacobo tribuatur, collectam tamen eſſe ex moribus, ab ceteris Apoſtolis inductis; ut demum Apoſtolorum omnium Liturgia nuncupari merito poſſit. Quam igitur novis ſubinde temporibus nova pariter ipſi addita, & mutata ſunt, tam non eſt in promptu, certo cognoſcere, quidquid ab hoc, vel ab aliis Apoſtolis manaverit. Nihilominus mihi videmur, poſſe nos ſubſidio Traditionis, niſi delectum hunc numeris omnibus habere, ad rem tamen quam proxime accedere.

Animadvertendum autem eſt, antequam Paragrapho huic modum impono, S.Cyrillum Fidelibus commendare, quibus præcipuas Liturgiæ ceremonias mittebat, ut *retinerent has Traditiones*. Quo in loco non ſane intelligit, Ritus illos omnes fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutos; cum non pauci ſint, qui poſt eorum duntaxat interitum in Liturgiam importati fuerunt, ut quamprimum videbimus; ſed videtur potius is intellexiſſe Traditionum nomine eas, quas decerpſerat e Liturgia, ſub Jacobi nomine tum vulgata; quoniam Sanctus iſte Doctor nullam refert ceremoniam in illis Excerptis de Sacrificio Miſſæ, quæ in Jacobi Liturgia deſideretur.

§. VII.

§. VII.

In Liturgia, S. Jacobo adjudicata, multa ſunt, quæ ab Apoſtolica Traditione procedunt, atque alia, quæ poſt illorum mortem adjecta ſunt.

ANte omnia palam facio, Ceremonias omnes, ſive Ritus, qui in jactata S. Jacobi Liturgia continentur, triſariam dividi poſſe. In primum genus redigendi ſunt ii, qui autoritati Apoſtolicæ nituntur; in alterum alii, qui adjuncti ſunt ab obitu Apoſtolorum ad finem uſque Sæculi quarti. Ii tandem, qui ab Eccleſiaſticis Præfectis ſequiori ætate inſtituti ſunt, tertium locum tenere poſſunt. Incipiamus a rebus illis, quæ ad Apoſtolos ſpectare debent, eo ordine, quo in Miſſali noſtro digeſtæ ſunt.

Primum, quod ab Apoſtolis repetere poſſimus; eſt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, a Veteribus appellatum, *Hymnus Glorificationis*, qui poſt Introitum Miſſæ recitatur. Theodoretus, & Sozomenus autorem ejus faciunt Monachum Antiochenum, & VValfridus Strabo accenſet Patribus primi Concilii Nicæni; ſed Baronius innixus duobus locis, alteri S. Athanaſii, alteri vero S. Baſilii, contendit, precem hanc ab Apoſtolica Traditione deſcendere. Poſt *Gloria in Excelſis &c.* Sacerdos dicit: *Dominus vobiſcum*; quod Eccleſiæ omnes Orientis, ait Concilium Braccarenſe, retinuerunt, tanquam Traditionis Apoſtolicæ: additque populum reſpondere: *Et cum Spiritu tuo. Placuit, ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum; & ut reſpondeatur a populo: Et cum Spiritu tuo: ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens*. Alii legunt *Occidens*.

Theodor. Hiſt. l. 2. c. 24.
Sozom. l. 3. c. 29.
VValfridus de Rebus Eccleſ. c. 25.
Baron. ad ann. 325.
Athan. l. de Virgin. ſive de Medit.
Baſilius L. de Spiritu Sancto cap. 7.
Concil. Braccare Can. 21. ann. 563.

Nomen *Collectæ* multa ſignificat; ſi tamen *Collectæ* vocabulo intelligamus precem, quæ ambitu verborum exiguo id complectitur, quod a Deo poſcimus. Cœleſtinus Pontifex nos docet, Apoſtolos id genus *Collectarum* inſtituiſſe: *Obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo, atque in omni Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur*. Poſt *Collectam* populus reſpondet *Amen*, cujus Apoſtolus meminit *c. 14. Epiſtolæ primæ ad Corinthios*; & cujus conſuetudo ſervata eſt in Sacra Liturgia ab Ævis primis, uti perhibet S. Juſtinus *Apol. 2.*, & S. Hieronymus *Præfat. l. 2. in Epiſt. ad Gal.*

Cœleſt. Epiſt. ad Galli. Epiſcop. c. 11.

Antiqui Scriptores de Re Sacramentorum indicant, poſt *Collectas ſequi Apoſtolum*, nimirum *Epiſtolam*, cui quidem *Apoſtoli* nomen impoſitum eſt, quod ſæpius a S. Paulo Apoſtolo deſumatur; quamvis haud

raro ſumpta ſit ex Libris aliis cum Veteris tum novi Teſtamenti. Non conſtat, inquit VValfridus Strabo, a quo primum inſtitutum ſit, legere Scripturam ſanctam ante Conſecrationem: *Creditur tamen a primis Succeſſoribus Apoſtolorum eam diſpoſitionem factam*. Quod eſt moris legendi ſanctarum Litterarum partem in Re divina publica, certum eſt ab Apoſtolis deſcendere, ut pluribus in locis indicat Divus Paulus; aſſeritque Juſtinus: *Commentaria Apoſtolorum, & Scripta Prophetarum, quo ad tempus fert, leguntur*; neque obliti ſunt hanc Traditionem Apoſtolicam Tertullianus, & S. Cyprianus. Poſt Epiſtolam legebatur etiam Evangelium, qua de re Euſebius nos docet, conſcripto a D. Marco Evangelio ſuo, S. Petrum *Librum illum ſua autoritate comprobaſſe, ut deinceps in Eccleſiis legeretur*. Alii vero Patres a nobis modo laudati animadvertunt, Evangelium in Miſſa legi conſueviſſe, ex more per Apoſtolos inducto.

VValfr. Strabo cap. 22.
1. ad Cor. c. 14. ad Coloſſ. c. 4. 1. ad Theſſal. in fine.
Juſtinus Apol. 2.
Tertull. in Apol. c. 39.
S. Cyprian. Epiſt. 13. & 34.
Euſeb. l. 2. Hiſt. cap. 15.

Ad Apoſtolos quoque referenda eſt inſtitutio recitandi Homilias, interpretandique populo ſacras Litteras poſt Lectionem Evangelii. S. Juſtinus id habet diſertis verbis in Apologia paullo ante citata: Origenes, S. Hilarius, aliique Patres huic conſuetudini teſtimonium dicunt. Poſtquam Sacerdos obtulit panem, immittit in Calicem vinum, & aquam ex exemplo Jeſu Chriſti, quod Apoſtoli ad Poſteros propagarunt. Extat Decretum Concilii Carthag. III., quod jubet: *Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panem, & vinum aqua mixtum*. SS. autem Juſtinus, Irenæus, Cyprianus, aliique Patres morem hunc ad Apoſtolicam referunt Traditionem.

Conc. Carthag. III. can. 24.
Irenæus l. 4. c. 57.
Cyprianus Epiſt. ad Cæcil.

Cardinalis Bona autor eſt, *Præfatia*, quæ canuntur in Sacris, in more fuiſſe primorum Eccleſiæ ſæculorum, atque inſtituta ab Apoſtolis, ſive hominibus Apoſtolicis. Quod vero liquet, verba *Præfatii*, quæ dicit Sacerdos: *Surſum corda*, atque illa, quæ populus reſpondet: *Habemus ad Dominum*, ex Auguſtino, Cyrillo, Baſilio, & Joanne Chryſoſtomo ex Apoſtolorum Traditione proficiſcuntur.

Bona Rerum Liturg. l. 2. c. 10. art. 1.
Auguſt. l. de Viduit. c. 16. & de bono Perſev. c. 13.
Cyrillus Tract. de Orat. Dom.

Vigilius Papa adnotavit in Epiſtola ad Eutherium, nos Canonem Miſſæ *ex Apoſtolica Traditione ſuſcepiſſe*. Concilium Tridentinum affirmat, eum eſſe confectum ex verbis Jeſu Chriſti, ex Apoſtolorum Traditionibus, rebuſque a Pontificibus conſtitutis: atque in hoc dignum animadverſione ſit, nullum Pontificem a D. Gregorii ætate quidpiam Canoni Miſſæ addidiſſe. *

* Gregorius III. dum Leo Imperator bellum gerebat adverſus ſanctas Imagines, ut refert Anaſtaſius, conſtructo Sacello, in quo plurimas Sanctorum Reliquias collocavit, juſſit Sacerdotes, Sacra in eo Sacello facturos,

San-

Sancitum eſt in quodam Concilio Aurelianenſi: *Ut juxta Apoſtolicam Traditionem omnes in communi pro diverſis neceſſitatibus preces fundant ad Dominum pro Rege, & Epiſcopis, & Rectoribus Eccleſiarum, pro Pace, pro Peſte, pro Infirmis . . . . . pro nuper defunctis*. Divus Paulus imperat, ut oremus pro Regibus, licet Ethnicis, uti erant ætate ſua. *Sacrificamus Deo*, inquit Tertullianus, *pro ſalute Imperatoris*. Et Sanctus Optatus: *Merito Paulus docet, orandum pro Regibus & Poteſtatibus, etiamſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viveret*.

Concil. Aurel. apud Ivon. p. . . Decreti c. 120. — *1. ad Timoth. c. 2.* — *Tertul. ad Scap. c. 2.* — *Optat. Milevi. l. 3.*

Ante Conſecrationem Sacerdos pronunciat ea verba: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem*, aliaque quæ ſequuntur. Sed Innocentius Pontifex animadvertit, voces haſce, *elevatis oculis in cœlum*, quæque dicuntur in Conſecratione Calicis, *æterni Teſtamenti, & Myſterium Fidei* non reperiri in Evangelio, ſed adjunctas eſſe, quia ex Apoſtolorum Traditione receptæ ſunt. Quod optime concinit cum celeberrimo loco S. Baſilii, in quo ab Apoſtolorum Traditione repetit preces, quæ in Conſecratione recitantur. *Invocationis verba, cum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Evangelium, verum alia quoque, & ante, & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad Myſterium, quæ ex Traditione citra Scriptum accepimus*.

Innocent. l. 4. Myſter. Miſſæ c. 5. — *Baſil. l. de Spir. Sancto c. 27.*

Teſtimonium S. Joannis Chryſoſtomi ſatis eſt, ut ſtatuamus, nos ex Apoſtolorum Traditione accepiſſe conſuetudinem orandi Deum pro Defunctis in ſancto Miſſæ Sacrificio. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis Defunctorum agatur commemoratio*. Supervacaneum quoque foret oſtendere, Orationem Dominicam in Miſſa recitari ex Apoſtolica Traditione; quandoquidem hæc eſt communis opinio Patrum, uti S. Cyrilli Hieroſolymitani, S. Auguſtini, S. Gregorii Papæ, qui hunc *Morem Apoſtolorum fuiſſe*, dicit. Fonte item atque exemplo Apoſtolorum ad nos derivavit uſus dividendi Hoſtiam, ut innuunt Lucas, & Paulus. Quod in cauſſa fuit, ut S. Clemens Alexandrinus de Sacerdotibus diceret: *Cum Euchariſtiam, ut mos eſt, diviſerint, permittunt unicuique ex populo ejus partem ſumere*. Ferunt tandem, Apoſtolos inſtituiſſe Oſculum Pacis in Sacro. Tertullianus certe, aliique Veterum moris hujus mentionem faciunt, atque illum Apoſtolis tribuunt.

Chryſ. hom. 69. ad Pop. Antioch. — *Greg. l. 7. Epiſt. 64.* — *Act. c. 2.* — *1. ad Cor. c. 10.* — *Clemens Alex. l. 1. Strom.*

Nefas etiam eſſet ſilentio præterire Traditionem aliam, de qua Juſtinus: nimirum olim uſuveniſſe, concludere preces, & ſupplicationes his verbis: *per omnia ſæcula ſæculorum*, quæ per Irenæum Apoſtolorum Tra-

Tertull. de Orat. c. 14.

poſt ea verba Canonis, *Et omnium Sanctorum tuorum*, addere: *quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter in toto Orbe terrarum*.

ditio ad nos traduxit, atque in Miſſa frequentari fecit. Omnes fere Liturgiarum veterum Orationes deſinunt in hæc verba. Duodeviginti vicibus reperiuntur in Liturgia S. Jacobi, ter in ea, quæ S. Clementi adjudicatur; ſexdecim in Liturgia S. Baſilii, & tribus ſupra viginti in Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi.

Denique generalem hanc condere poſſumus regulam, omnibus paſſim Viris Litteratis, vel certe Catholicis acceptam, ad habendum diſcrimen morum, qui oriuntur ab Apoſtolorum Traditione, vel additi ſunt ſancto Miſſæ Sacrificio poſt illorum interitum. *Quæcumque in omnibus Liturgiis eodem modo leguntur, ab Apoſtolis, ſive Scripto, ſive Traditione deſcenderunt*. Ex quo pronunciato cum mos aliquis in quadam Liturgia deſiderabitur, tum erit dubitandi locus, utrum illum nec ne ab Apoſtolica Traditione acceperimus. Certum nanque eſt, Eccleſiam obſequio, ac veneratione tanta proſecutam fuiſſe memoriam Apoſtolorum, ut collegerit quidquid tradiderunt nobis, vel exemplo, vel Litteris, ut illud in auguſtiſſimi Sacramenti celebrationem inferret.

Tillem. in S. Jacob. Minorem adnot. 16.

Quibus poſitis, non eſt difficile ſecernere ea, quæ addita ſunt Liturgiæ ſacræ poſt mortem Apoſtolorum ad finem uſque ſæculi quarti. Extra omnem dubitationem, ut mihi videtur, eſt, ea omnia, quæ retulimus ex Juſtino, ad Apoſtolos pertinere, aut certe vero ſimillimum eſt, id illos conſtituiſſe, nihilque horum eſse, quod primo Eccleſiæ ſæculo non congruat. Quod eſt cereorum accenſorum, thuris, & Catechumenorum, *Gloria in excelſis &c.* * Filii Patris *conſubſtantialis*, Miniſterii Diaconorum ad Altare, memoriæ rerum creatarum omnium, cum animantium, tum inanimatarum, corporearum, atque incorporearum; *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; *Sancta Sanctis*, quæ voce contenta a Sacerdote proferebantur; moris Fidelium accipiendi Hoſtiam manu dextera, quam fulciret læva; & id genus aliorum: hæc omnia aſſuta ſunt Liturgiæ S. Jacobi ante ſæculum V.

Exinde etiam paratum judicium eſt, cum in hac Liturgia Mariæ Virgini titulus Matris Dei vindicatur; cum dicitur, canendum eſſe *Symbolum Apoſtolorum*, atque *Agnus Dei* poſt diviſionem Hoſtiæ; Hymnumque: *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte Immortalis, miſerere nobis*; atque alii mores hujuſmodi obverſantur, illos omnes ſuperveniſſe poſt quintum Ævum in hac credita Liturgia S. Jacobi; ut videre eſt in Libris eorum, qui rem hanc ex inſtituto enucleandam ſuſceperunt; longius etenim progrederer, quam par ſit, ſi minutius ſingula concidere vellem.

* Hujus meminit S. Athanaſius *lib. de Virginit.*

§. VIII.

§. VIII.

Liturgia, S. Jacobo tributa, fons eſt, vel ſumma earum, quæ confectæ ſunt a Sanctis Viris Baſilio, & Joanne Chryſoſtomo; nec non omnium, quotquot ab Eccleſia Græca uſurpatæ ſunt.

SAnctus Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui floruit paullo poſt S. Baſilium, atque auditor fuit S. Joannis Chryſoſtomi, ſcribit, collocandos eſſe S. Jacobum, & S. Clementem in eorum numero, qui Liturgias confecerunt. *Paſtores, & Doctores Eccleſiæ pietate inſignes myſticæ Liturgiæ expoſitionem in ſcriptis relictam Eccleſiæ tradiderunt. Inter hos primum locum obtinent B. Clemens, S. Petri diſcipulus, & ejuſdem ſucceſſor; & D. Jacobus, is, cui Eccleſiæ Hieroſolymitanæ adminiſtratio ſorte obvenit.* Sed reſtincta Chriſtianorum charitate, ſubjungit idem Proclus, *Liturgiæ prolixitatem faſtidierunt.* S. Auguſtinus quoque animadvertit, conqueri ſolitos Chriſtianos ætate ſua de Officiorum divinorum diuturnitate. *Baſilius Magnus, cum hominum Liturgiæ prolixitatem faſtidientium, oſcitantiam, & propenſionem perſpiceret, redactam in compendium Eccleſiæ recitandam exhibuit..... & methodum recitandi, quam breviſſime poſſet, tradidit.*

Proclus Conſt. de Tradit. Divin. Liturg.

Aug. de Temp. ſerm. 251.

S. Joannes Chryſoſtomus, ſubdit rurſus D. Proclus, hujuſmodi rationibus permotus: *multa ſuſtulit, breviorem que peragendi modum præſcripſit.* Goartius in Adnotationibus in Liturgiam S. Joannis Chryſoſtomi conſiderat, *Ritus, & preces quaſdam ab alterius* ἱερουργοῦ, *ſacræ nimirum Liturgiæ conditoris ter magni Baſilii opere, in ſuum transferre non eſſe veritum.*

Goart. in Euchologio p. 108.

Ex quibus S. Procli locis Factum narrantis, cujus teſtis erat, concludendum eſt. 1. Certum eſſe ſub exitum ſæculi IV. extitiſſe duas Liturgias, alteram nomine S. Jacobi Fratris Domini, alteram vero tributam S. Clementi diſcipulo B. Petri, ejuſque ſucceſſori. 2. Non liquere, alias fuiſſe tum temporis Miſſæ formulas præter illas, quæ utriuſque Sancti hujus vocabulo circumferebantur.

3. Communem tuliſſe ætatis S. Procli Traditionem, Sanctos Jacobum & Clementem litteris demandaſſe Liturgias: nimirum, ſenſu a nobis propoſito, potuiſſe priorem colligere, quidquid ſervabatur in Eccleſia ſua; alterum vero quidquid didicerat a Sancto Petro præceptore, vel ab aliis Apoſtolis: ſive aliquos poſt mortem hujus Apoſtoli, vel hujus Pontificis ſcripto tradidiſſe Liturgiam titulo S. Jacobi, ſecundum ea, quæ viderant ab eo agi; alioſque idem præſtitiſſe, quod attinet ad ea, quæ perceperant a S. Clemente; ſed quacumque id contigerit ratione, ſententiam fuiſſe quatuor primorum ſæculorum, eos Autores haben-

habendos iſtarum Liturgiarum, quas vel ſcripto, vel voce reliquerant; atque hiſce tantum Eccleſiam per ea tempora uſam fuiſſe.

4. S. Baſilium, & S. Joannem Chryſoſtomum non adornaſſe novas duas Liturgias, ſed laboraſſe tantummodo in contrahendis illis, quæ ætate ipſorum inoleverant: ut id perſpicue prodit locus S. Procli. Sed non modo ſancti Doctores iſti ſuſtulerunt ea, quæ longiora & faſtidioſiora videri poterant Chriſtianis ſegnibus, & parum piis; immo etiam ſimillimum veri eſt, eos adjeciſſe ritus novos, & alia ratione Liturgiam divinam digeſſiſſe.

Quæ animadverſiones nos in apertam cognitionem inducunt, ut fateamur, Liturgias ſanctorum Jacobi, & Clementis originem, & ſummam eſſe non modo alterius S. Joannis Chryſoſtomi, ſed omnium aliarum, quas in re divina peragenda adhibuerunt Eccleſia Græca, atque Latina. Si nanque hi duo Doctores compendio dederunt Liturgias Sanctis Jacobo, & Clementi tributas, neceſſe eſt earum ſummam ſervaſſe; atque adeo tam Miſſas, ab his lucubratas, rivulos eſſe a SS. Jacobi & Clementis Liturgiis, veluti a fonte manantes, quam iſtorum Miſſas confectas fuiſſe ex iis, quæ Apoſtoli, vel uſurpaverant, vel deſcripſerant.

Altera pars enunciationis meæ, nimirum Liturgias omnes Eccleſiæ Orientis alias non eſſe a Liturgiis Sanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, vel in rei ſumma ab his petitas fuiſſe: pars inquam hæc enunciationis meæ omnem veritatis imaginem præſefert, ſi fides habenda ſit ſcriptori ineuntis ſæculi VI., qui teſtis eſt, ætate ſua Liturgiam S. Baſilii eam fuiſſe, *quam pene univerſus frequentat Orbis*.

Petrus Diacon. Epiſt. ad Fulgent. inter Opera Fulg. c. 8.

Propterea, Leontius Byzanthinus acerrime redarguit Neſtorium, quod tantæ fuerit impudentiæ, ut novam ediderit Liturgiam in ejus contemptum, quam Sancti Patres reliquerant: *Aliam Miſſam effutivit præter illam, quæ a Patribus tradita eſt Eccleſiis, neque reveritus illam Apoſtolorum, nec illam Magni Baſilii, eodem ſpiritu conſcriptam*. Atque alius Autor Græcus ſcribit: *Conſtat ab antiquo, jam duos Tomos nobis traditos eſſe, ex quibus Liturgiam celebramus. Tum ipſius Baſilii, tum S. Patris Joannis Chryſoſtomi*.

Leont. Byzanth. l. 3. contra Neſtorium.

Hierem. Patriarcha. Reſponſ. ad Cadec. cap. 13.

Cardinalis Bona paucis recenſet Eccleſias omnes Orientis, quæ Liturgiis Græcorum adhærent, licet illas in Linguas ſuas converterint. Duperronius ait, Coptos & Ethyopes, trecentos ante annos ab Eccleſiis Græca, & Latina diviſos, retinere tamen Liturgias Sanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, & Sacrum facere eodem plane modo, quo Eccleſiæ Græcæ. Liturgiæ tandem iſtæ redditæ ſunt Syriace, Armene, Arabice, Coptice, Ethyopice, & Linguis aliis bene multis.

Bona Rer. Liturg l. 1. c. 9. Duperronius Tract. de Euchar. l. 2. Reſp. ad Object. petita a Liturgiis c. 1. Gall.

Animadverſione etiam dignum eſt, Ethyopes ſemper adhæſiſſe ritibus Græ-

Græcorum, licet populi iſti penes ſe habeant Liturgias multas apprime diverſas, redditaſque Linguæ ſuæ. Michael Vvanſlebius in Epiſtola, quam præfixit Lexico Ethyopico Ludolphi, Indicem texuit Librorum MSS. Lingua Ethyopica, quorum primus inſcribitur: *Liber Liturgiarum*, in quo ſunt Liturgiæ decem. 1. Nomen fert S. Joannis Evangeliſtæ. 2. Trecentorum duodeviginti Sacerdotum Orthodoxorum. 3. S. Epiphanii. 4. S. Jacobi Syrorum Epiſcopi. 5. S. Joannis Chryſoſtomi. 6. Autoris caret nomine. 7. Tribuitur SS. Apoſtolis. 8. S. Cyriaco. 9. S. Gregorio. 10. Impio Dioſcoro Patriarchæ Alexandrino.

Porro fines mihi præſtitutos tranſgrederer, ſi vellem omnes Orientis Liturgias ſingillatim percurrere. Tot nanque ſunt, ut Abrahamus Ecchellenſis enumeret ſupra quinquaginta, ſive multis Provinciis communes, ſive aliquibus Regionibus peculiares: ex his reperit, & recitat unam ſupra triginta. Et Gabriel Sionita ſexdecim memorat, quarum quædam differunt ab iis, de quibus agit Ecchellenſis. Satis erit itaque dixiſſe in univerſum, Miſſas omnes, adhibitas in Eccleſiis Orientis, fluxiſſe a Liturgiis SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi; licet verbis, & rerum ordine tantiſper diſcrepent, nihilominus tamen ritus iidem ſunt, & Liturgiarum iſtarum ſumma ab iſtorum duorum Sanctorum Liturgiis deprompta eſt. Sed non deſunt Eccleſiæ multæ, quæ ſine mutatione ulla iis utuntur, haud aliter quam Græci.

Abraham Ecchell. in notis ad Catal. Hebedieſu p. 134.

Poſtremo loco meminiſſe juvat, inter populos Orientis Armenos Liturgiam habere peculiari Lingua ſua exaratam; Maronitas Montis Libani non omnino ſectari Ritus Græcorum; atque Armenos, & Maronitas ſacra facere in pane Azymo, in quo a ceteris omnibus Orientalibus diſſentiunt. Illud pariter ſciendum eſt, Eccleſias, quæ Græcorum utuntur Liturgiis, non adhibere Liturgiam S. Baſilii, niſi in diebus Dominicis totius Quadrageſimæ, excepta Palmarum; in Feria quinta, & Sabbato Sancto Majoris Hebdomadæ; in pervigiliis Nativitatis Domini, & Epiphaniæ; atque in Feſto S. Baſilii: reliquo anni tempore S. Joannis Chryſoſtomi Miſſam recitare.

AR-

ARTICULUS III.

De Liturgiis Eccleſiæ Latinæ.

QUandoquidem Liturgiæ, quæ totius Occidentis Chriſtifidelibus uſui fuerunt, quamplurimæ ſunt, hoc loci præcipuas tantummodo recenſebo. Omnium vetuſtiſſima, & quæ paſſim in Eccleſia Latina adhibetur, *Romana* eſt. Liturgia Gallis uſitata ab exordio Chriſtianæ Religionis in illis regionibus ad uſque Caroli Magni tempora, multas inter Viros litteratos peperit concertationes; aliis contendentibus antiquiſſimam eſſe; aliis non differre a Mozarabica, cujus Eccleſiæ Hiſpaniarum aliquorum ſæculorum ſpatio uſum habuerunt; aliis non diſtinguentibus Liturgiam Gallicanam ab ea, quam Flaccus Illyricus in vulgus protulit medio circiter ſæculo decimoſexto. Noſtra erit, varias haſce de vetere Miſſa Gallicana ſententias extricare; poſtquam expenderimus originem, & progreſſus Liturgiæ Romanæ, & quo pacto omnes Occidentis Eccleſias occupaverit, exceptis Mediolanenſi, & aliquibus ſingularibus Hiſpaniarum.

§. I.

De Miſſa Eccleſiæ Romanæ.

TRaditio eſt apud omnes paſſim probata, rationem peragendi Rem divinam in Eccleſiis Occidentis, & præſertim Romæ originem ducere a S. Petro Apoſtolo, ſive quod illam libro complexus ſit; ſive alii eam confecerint ex iis, quæ Princeps hic Apoſtolorum per ſe ſe exercuerat. *Ordinem Orationum ex Apoſtolica Traditione accepimus*: inquit Vigilius Papa, qui claruit medio fere Sæculo VI. S. Iſidorus Hiſpalenſis adnotavit: *Ordinem Miſſæ, vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primum a S. Petro inſtitutum fuiſſe*. VValfridus vero Strabo apertius ſuper hác re loquitur, atque Apoſtolorum Principi vendicat Liturgiam, quam Romæ adhibent: *Et Romani quidem uſum obſervationum a B. Petro Principe Apoſtolorum acceperunt. Quorum morem ideo in ſacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti Magiſterii ex apice Apoſtolico primordiis clarent.*

Vig. Ep. ad Eutherium. Iſid. l. 1. de Eccleſ. Off.

Vualfr Strabo l. de Eccleſ. rebus c. 12.

Non eſt autem facile conſtituere, qua ratione D. Petrus Eccleſiæ Ro-

ma-

manæ modum recolendi Sacra reliquerit. Paſſim duo feruntur Traditionis hujus fontes. Primus eſt Liturgia, a S. Petro nuncupata, & publici juris facta a Lindano 1589. ex Codice MS. Cardinalis Sirleti. Verum præterquamquod MS. hoc non eſt admodum vetuſtum, exiſtimat nanque Bona, Codicem illum eſſe poſſe poſtremi Sæculi; tot inſuper ſuppoſitionis notas refert, ut citra hæſitationem ullam ab omnibus rejiciatur. Immo licet firmæ, & ratæ non eſſent probationes, quas afferunt de monumenti hujus falſitate, aſſequi facile poſſumus conjectura, Liturgiam hanc conſcriptam fuiſſe ab aliquo Presbytero Græco-Latino, quoniam partim ex Græcorum, partim ex Latinorum Miſſa conflata eſt. Quare S. Petri nomen ipſi ſine ulla dubitatione impoſitum fuit, vel ut majori autoritate præſtaret, vel quia multa Liturgiæ Romanæ complectebatur.

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 8.

Alex. Hiſt. Sac. 1. c. 12. art. 13.

Dupinus, Tillemontius, Cavius, & alii.

Cardinalis Baronius, Traditioni innixus, S. Clementem exiſtimat, Liturgiæ Eccleſiæ Romanæ primum fontem. Sentit nanque, magnum hunc Pontificem, cum a S. Petro accepiſſet modum offerendi Deo Sacrificium novæ Legis, *Romanæ Eccleſiæ Scriptis conſignatum reliquiſſe.* Traditio iſta fundamentum habet in teſtimonio S. Procli, cujus hæc verba ſunt: *Multi quidem, & alii Divini Paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ac Eccleſiæ Rectores, ſacrorum illius Divinæ Miſſæ Myſteriorum rationem explicantes, ſcriptis mandatam Eccleſiæ tradiderunt. In quibus primi; & clariſſimi ſunt B. Clemens, ſummi illius Apoſtolorum Principis Diſcipulus, & ſucceſſor, qui ſacroſancta illa myſteria, a Sanctis Apoſtolis ſibi revelata in lucem edidit.*

Baron. ad ann. 102. num. 23.

Bellarm. de Script. Eccleſ. Proclus de Tradit. Divinæ Miſſæ.

Quamvis Patriarcha hic Conſtantinopolitanus affirmet, Apoſtolos ipſos S. Clementi Liturgiam dictaſſe, & certum ſit, ut ſuperius adnotavimus, tribus, aut quatuor prioribus Ævis nullam aliam innotuiſſe Liturgiam præterquam S. Jacobo, & S. huic Pontifici tributas: nihilo ſecius multi operis eſt internoſcere, quænam ſit Liturgia hæc S. Clementis, atque utrum ad nos uſque pervenerit. Solent in medium afferre quandam conſcriptam Græce, & Chaldaice ad V. Sæculum. Sed Cardinalis Beſſarion propugnavit adverſus Græcos, qui eam laudabant, Liturgiam hanc adſcriptam ſemper libris Apocriphis fuiſſe, in cujus ſententiam alii quoque Viri doctiſſimi deſcenderunt. Baronius, Bona, Tillemontius, aliique multi exiſtimarunt, Liturgiam, S. Clementi adjudicatam, nihil aliud eſſe, niſi capita quædam Libri Conſtitutionum. Saltem non extat Miſſa alia, quam magno Pontifici huic tribuere poſſimus.

Alexander ubi ſupra.

Conſt. l. 7. c. 25. & ſeq. l. 8. c. 15. & ſeq.

Quidquid tamen rei ſit de Liturgia hac S. Clementis, conveniat neceſſe eſt, non potuiſſe non extare quinque prioribus Ævis Miſſam litteris exaratam, ſive Divus Petrus eam digeſſerit, & S. Clemens, vel ſucceſ-

ſor aliquis eam ex ejus inſtitutis collegerint; ſive illam ab hominibus Apoſtolicis didicerint. Præſumendum tamen eſt, multa huic addita fuiſſe uſque ad exitum Sæculi quinti. Quo tempore Gelaſius Papa Liturgiam hanc, quæ in Eccleſia Romana uſurpabatur, plurimum auxit. Scribit Anaſtaſius in Vita hujus Pontificis, eum *feciſſe Sacramentorum Orationes, & Præfationes*; Atque hæc in cauſſa fuerunt, ut priſca Eccleſiæ ſuæ Liturgia appellaretur *Codex Gelaſianus*.

Joannes Diac. in Vita S. Gregorii.

Berno Augienſis Libello de Rebus ad Miſſam pertinentibus c. 1.

Hic cum prolixior S. Gregorio Magno videretur, multa ex eo ſuſtulit, non pauca mutavit, addiditque, & duos Papæ Gelaſii Tomos ad unum redegit, quem vocarunt homines *Sacramentarium S. Gregorii*, nimirum Librum de Sacris Myſteriis. *Sed & Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſolemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla ſuperadjiciens, in unius Libelli volumine coarctavit.*

Ante duos itaque Pontifices iſtos fuit certe Romæ Liturgia aliqua uſitata, quoniam non pauci ipſorum Deceſſores multa ipſi addiderant. Alexander Papa I. juſſit ex Apoſtolica Traditione, ut vino aqua miſceretur in Calice. Hymnus *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* inſtitutio fuit Sixti I. Damaſus Papa I. ante omnes ſanxit, ut in Miſſa caneretur Symbolum Nicænum. Oſculum Pacis, quod datur ante *Communionem*, ab Innocentio Primo Pontifice initium habuit. S. Leo adjecit Canoni verba hæc: *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam.* * Quæ additamenta Miſſæ, & Canonis opera Summorum Pontificum, quorum aliqui vixerunt prope tempora Apoſtolica, argumento perſpicuo ſunt, in more fuiſſe Eccleſiæ Romanæ Liturgiam ante Gelaſium Pontificem conſcriptam, immo ab initio ſecundi Sæculi.

Gelaſius Pontifex non modo *Præfationes* lucubravit, ſed Hymnos quoque, atque illos, quos *Tractus* appellamus. Decretum edidit Symmachus, ut *Gloria in Excelſis &c.* caneretur diebus Dominicis, atque in Feſtis Martyrum, cum ante illud tempus ex Inſtitutione S. Teleſphori mos eſſet canere Hymnum hunc in nocte tantummodo Nativitatis Domini. Sanctum Cœleſtinum autorem faciunt Pſalmi centeſimi quinquageſimi recitandi, qui dicitur ante Miſſam. S. Gregorius Magnus alia inſuper addidit; in quorum numero ſunt *Kyrie Eleiſon*, & *Alleluia*, extra tempus Pentecoſtes: Canoni attexuit hæc verba: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*: Decrevit, ut poſt Canonem Oratio Dominica recitaretur. *Agnus Dei &c.* quod Clerus canit, dum Sacerdos Corpus Domini ſuſcipit, Inſtitutio eſt Sergii Papæ.

* Rabanus Maurus *de Juſtitia Cleric. l. 1. c. 32.* Berno Augienſis *de Rebus ad Miſſam pertinent.* Rupertus *de divin. Off. l. 2. c. 21.* Innoc. III. *l. 2. de Myſteriis Miſſæ c. 48.*

Alii

Alii pariter Pontifices temporibus inſequentibus immutarunt, & detraxerunt Ritus multos ex Liturgia Romana, ut promptum eſt cognoſcere ex emendatione *Miſſalium*, quam identidem Summi Pontifices inſtituerunt. Quæ varietas, & mutatio Rituum nihil violat Fidei, & Sacrificii unitatem; quandoquidem id tantum ſumere ſibi, placuit Chriſto Domino, ut Euchariſtiæ Myſterium inſtitueret, reliquorum curam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus demandaret. Apoſtoli ipſi Rituum æquabilitatem, cum haud intereſſe rei crederent, minime ſtatuerunt; atque adeo in hoc collata Epiſcopis facultas eſt mutandi, atque addendi, quod ipſis videretur ad Sacri Myſterii majorem majeſtatem, atque venerationem conferre, habita ſimul temporum, hominum, & locorum ratione. Quod ab ineunte Eccleſia præſtitum eſt, ut in hac Diſſertatione docuimus.

Auguſt. Epiſt. 118.
Hieronym. Ep. 28. ad Lucinum.
Nicolaus I. Ep. 2. ad Photium.
Fulbertus Carnot Ep 2. ad Finardum.

Hæc tamen varietas non obeſt, quominus ſint multa in Liturgiis omnibus, quæ omnibus Eccleſiis communia ſunt, uti ea, quæ ſpectant ad naturam Sacrificii, & ſine quibus eſſe non poteſt; cujuſmodi ſunt præparatio panis, & vini, oblatio, conſecratio, perfectio Sacrificii, & Communio. Quibus addas præcipuas auguſti hujus Myſterii partes, quæ licet ad Miſſæ integritatem minime pertineant, in omnibus tamen Liturgiis leguntur; v. g. recitationem cantumque Pſalmorum, lectionem Sanctarum Scripturarum, ornamenta Miniſtrorum, thus, preces, gratiarum actiones, & id genus alia.

Quod eſt autem Rituum, & eorum peragendorum modum; verborum, quibus utimur in precibus fundendis, ipſorumque numerum; partium Biblicarum quæ leguntur; ordinis Ceremoniarum; formæ Veſtium Miniſtrorum, atque aliorum minus gravium: hæc omnia differre invicem poſſunt, citra quam Sacrificii unitatem tollant.

Quoniam vero Rituum diverſitas diſſidia nonnunquam excitabat, ſancitum eſt in Conciliis multis, ut in Provinciis ordo Miſſæ, Metropolitanæ Eccleſiæ uſitatæ, ſervaretur. Summi quoque Pontifices nihil prætermiſerunt eorum, quæ ad hanc Rituum convenientiam facere poterant; quam aſſecuti ſunt ſubſidio Principum, qui in re tanti momenti laborarunt*. Quapropter Eccleſiæ omnes Occidentis retinent in præſenti Romanum Ordinem, atque antiquos Ritus ſuos paullatim oblitæ ſunt, ut Eccleſiæ Romanæ inſtituta amplecterentur. Una fuit Mediolanenſis Eccleſia, quæ ab Ordine Ambroſiano deficere noluit, & quædam Hiſpaniarum, quæ veteri Liturgiæ Mozarabicæ adhuc adhærent.

Concil. Epaunenſe anno 509. can. 27.
Concil. Gerund. ann. 517. can. 1.
Concil Bracar. 1. anno 563. can. 22.

* Carolus Magnus, ejuſque Succeſſores induxerunt in Gallias Liturgiam Eccleſiæ Romanæ. Gregorius Papa VII. in univerſa pene Hiſpania Romanam Miſſam pro ea ſubſtituit, quæ in ſingulis Gothicæ Dictionis locis pe-

§. II.

De vetere Miſſa Gallicana:

Hild. Epiſt. ad Lud. Pium. in Areop.

APud omnes firmum, & conſtans eſt, ſub Regibus primæ ſtirpis extitiſſe in Galliis Liturgiam, quæ ad Caroli Magni tempora perſeveravit. Quod percepimus ab Hilduino Abbate his verbis: *Adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia fere vetuſtate conſumpti Miſſales Libri, continentes Miſſæ Ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ Fidei in Occidentali hac plaga eſt habitus, uſquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit.*

Greg. Turon. Hiſt. l. 2. c. 22.

Hujus Miſſæ antiquitatis argumentum aliud ſufficit nobis Hiſtoria S. Gregorii Turonenſis. Narrat etenim de Sidonio Apollinari: *Contigit quadam die, ut ad Feſtivitatem Monaſterii invitatus accederet; ablatoque ſibi nequiter libello, per quem Sacroſancta Myſteria agere conſueverat &c.* Quod oſtendit manifeſto, in Galliis a ſæculo ſaltem V. immo ante illud tempus, ut deinceps probabimus, non defuiſſe Liturgiam litteris exaratam.

Gennadius de Viris Illuſtr.

Certo non conſtat, quiſnam fuerit hujus Miſſæ Autor. Quidam eam tribuunt Muſæo Presbytero Maſſilienſi, qui occubuit anno 458., vel 459. Sunt, qui confectam exiſtiment a Sidonio Apollinari, qui ad exitum uſque Sæculi V. vitam egit. Primus quidem Lectiones in Eccleſiis canendas deſcripſit ex ordine Feſtorum totius anni, & *Librum Sacramentorum* lucubravit. Veteres hoc verbo accipiebant Myſteria Euchariſtiæ, ut animadvertit Mabillonius. Alter vero, narrante S. Gregorio Turonenſi, Librum *de Miſſis* conſcripſit.

Mabil. de Liturg. Gall. l. 3. c. 3.

Sed ante utrumque ſcriptorem S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis duos fecerat libros, quorum unus Hymnos continebat, alius de Myſteriis, ſcilicet de Liturgiis, diſputabat: *Librum Hymnorum, & alium Myſteriorum ſcripſit.* Alcuinus etiam gloriam ipſi contulit, de aucto *Gloria in Excelſis &c.* immo omnibus numeris abſoluto: *Gloria in Excelſis Deo &c. a Beato Hilario Pictavienſi poſtea auctum, & conſummatum.* Altero itaque ex his Scriptoribus debemus antiquam Miſſam Gallicanam; ſive omnes ætate ſua dederunt operam, ut illam eo perducerent, quo pervenerat perfectionis, cum obſervari cœpit Ordo Romanus.

Hieron. de Script. Eccleſ.

Alcuinus lib. de Div. Off.

culiaris erat. Studio Alexandri II. Pontificis Miſſa Romana illata eſt in Arragoniam: Sancius Rex Navarræ, ut in Regno ſuo reciperetur, diligenter curavit. Alphonſus Caſtellæ Rex voluit, Eccleſiæ Romanæ Ritus in Eccleſiis Regni ſui omnibus cuſtodiri. Multo vero ante in Angliam introducti fuerant.

Nota

Nota vero clarior Liturgiæ hujus, qua diſtinguebatur a Romana, affertur ab Hilduino his verbis: *In illis voluminibus habentur duæ Miſſæ, quæ ſic inter celebrandum ad provocandam Divinæ miſerationis clementiam, & corda populi ad devotionis ſtudium excitanda, tormenta Martyris, ſociorumque ejus* (verba facit de S. Dionyſio, ejuſque ſociis) *ſuccinte commemorant; ſicut; & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ aliorum Apoſtolorum, vel Martyrum, quorum Paſſiones habentur, notiſſime decantant*. Ex qua fortaſſe conſuetudine invaluit mos dicendi Sacrum de S. Petro, de S. Joanne, de S. Martino.

Hilduinus in Areopages.

Duſauſius certe teſtatur, apud ſe fuiſſe Martyrologium, ſeptingentorum ferme annorum ætatem ferens, quod vocat ipſe *Miſſale Sanctorum Galliæ*, in quo erant totidem pene peculiares Præfationes, quot Miſſæ Sanctorum, de quibus Feſtum celebrabatur. Præfationes iſtæ ſummatim referebant quidquid animadverſione dignius Geſta Sancti illius complectebantur. In Miſſis vero, quæ peculiari Sancti Præfatione carerent, recitare ſolebant tres Orationes, in quibus præcipuorum Vitæ ejus adjunctorum mentio fiebat.

Andr. Duſauſius Martyr. Gall. c. 9. de Præfat.

Mabillonius ex Operibus S. Gregorii Turonenſis, & quorundam aliorum Scriptorum præcipuas Liturgiæ Gallicanæ ceremonias collegit.

Mabillonius ubi ſupra.

Ceterum anceps ſum, an liceat affirmare, Miſſam Gallicanam eandem fortaſſe eſſe, ac Miſſam Gelaſii Papæ; hanc paucis ab illa differre; & Miſſalia, in quibus deſcripta erat vetuſta hæc Liturgia, vocari conſueviſſe *Gelaſina*. Bona quidem declarat, ſe vidiſſe MS. quoddam veteris Miſſæ Gallicanæ in Bibliotheca Reginæ Svecorum, quod ipſe *Petavinum* appellat, quia opinio eſt, illud exiiſſe e ſecretiori Petavii Conſiliarii Supremi Senatus Pariſienſis cubiculo. Idem doctiſſimus Cardinalis animadvertit, Miſſale hoc Gallicanum exaratum fuiſſe ante nongentos amplius annos. Thomaſius, & Mabillonius exiſtimant, illud opus eſſe VII. Sæculi: & Morinus perſuaſum habet, idem deſcriptum fuiſſe inter annum 511., & 560. Qua de re non eſt dubitandi locus, MS. hoc vetuſtiſſimum eſſe.

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 12. art. 6.

Morinus de Sacris Ordinat. p. 2. pag. 261.

Cum autem Cardinalis Bona diligenti trutina penſitaſſet Miſſale hoc *ſuſpicatus eſt, Gelaſii Ordinem in eo contineri*; quoniam multis conſtabat, quæ diſſimillima erant a Sacramentario D. Gregorii; *niſi forte ex utroque mixtum eſſet*. Et ſane cum S. Gregorius Papa Liturgiam ſuam deprompſerit ex Liturgia Gelaſii Papæ, mirum non eſt, veterem hanc Miſſam Gallicanam, ſive Gelaſinam, aliquid alterius S. Gregorii Papæ præſeferre. Tam autem alte in omnium animis inhæſit opinio, Liturgiam hanc Gallicanam eſſe Gelaſii Papæ, ut nullo unquam alio nomine donaretur. Quare ubi Thomaſius, & Mabillonius eam aliter appellant, id fecerunt pro-

profecto ſuper teſtimonio Bonæ, qui non alia fultus ratione, niſi libito ſuo, *Gallicanam* nuncupare voluit.

Thomaſius l. de Sacram. Mabill. de Liturg. Gall. l. 3.

Thomaſius, & Mabillonius, ut ita dicam, tria nobis Miſſalia præbuerunt, quibus pro Re divina Galli utebantur. Vocant primum *Miſſale Gothicum*, ſecundum, *Miſſale Francorum*, tertium *Miſſale Gallicanum vetus*; neque ullam Scriptores iſti de hoc *Gelaſino Miſſali* mentionem faciunt. Hic tamen liceat animadvertere, parum adeo cum duobus Autoribus iſtis, tum etiam Bonæ conſtare de Miſſalium iſtorum ab ipſis adumbrata diſtinctione, ut ea invicem non internoſcant. Bona *Gallicanum* illud appellat, quod nuncupat *Francorum* Mabillonius, & Thomaſius idem *Gothicum* dicit. At Morinus, qui Miſſale hoc viderat, atque expenderat, nullo illud ex his nominibus afficit, & ſatis ipſi eſt appellaſſe *Codicem Gallicanum*. Revera MS. hoc nullum titulum habet, quia caret foliis primis. Quo igitur argumento Eruditi noſtri varias haſce nomenclaturas eidem Miſſali dederunt?

Bona fatetur, in fronte MS. hujus legi notis recentibus, *Miſſale Gothicum*, & tamen illud vocat *Gallicanum*. Thomaſius idem nomen ipſi reliquit, quod ſcilicet illud referat pagina prima, atque uſum haberet in Gallia Narbonenſi, Gothis ſubjecta. Mabillonius vult hoc eſſe *Miſſale Francorum*, quia in eo reperitur *Miſſa de S. Hilario Epiſcopo Pictavienſi*. Perinde atque diceret quis, *Miſſale Mozarabicum* appellandum eſſe Gallicanum propter Miſſam S. Martini Turonenſis, quam affert. Hæc autem ſunt momenta, quibus ducti ſunt egregii Scriptores iſti, ut nomina tam diverſa imponerent eidem Miſſali, atque ex uno *Gelaſino* tria conflarent. Immo ut nemo opinaretur, illos de diverſis Liturgiis loqui, hactenus diligenter notas afferunt Miſſalis illius, de quo diſſerunt, ut nemo in fraudem induci poſſit. Morinus nanque ait, MS. hoc olim fuiſſe Petavii, nunc vero extare in Bibliotheca Reginæ Svecorum: Cardinalis quoque Bona illud his duobus indiciis diſtinguit: Mabillonius ait de ſuo Francorum Miſſali: *Hunc Codicem viderat Joannes Morinus de Sacris Ordinationibus*. Thomaſius tandem illud ex nomine, quod reipſa gerit, deſignat: *Miſſale Gothicum*. Atqui certum eſt, Miſſale, cui præfixa erant recenti manu verba hæc: *Miſſale Gothicum*, illud eſſe, quod nunc ſervatur in Bibliotheca Reginæ Svecorum: atque apud omnes liquet, idem olim Petavii fuiſſe. Ceterum nos quamprimum oſtendemus, eoſdem Scriptores confudiſſe *Miſſale Gothicum*, *Miſſale Francorum*, & *Miſſale Gallicanum* cum Miſſali Mozarabico.

Interim tamen non crediderim, Autores iſtos poſſe ullum ante poſtremum ſæculum ſponſorem afferre, qui aliquo ex his nominibus a nobis memoratis nuncupaverit Liturgiam, quæ in Galliis adhibita fuit a Sæculo

V. e

V., e contra vero inconcuſſum teſtimonium reperio ineuntis Sæculi IX. quod nos docet, Libros, in Galliis pro Re divina uſitatos, nomen protuliſſe *Gelaſinorum*. In recenſione Librorum Monaſterii Cetulenſis in Picardia, quæ facta fuit anno 831. mentio fit trium Miſſalium S. Gregorii; unius tantum ex Gregoriano & Gelaſino ritibus compoſiti; & XIX. Gelaſinorum. *De Libris Sacrarii, qui Miniſterio Altaris deſerviunt, Miſſales Gregoriani tres; Miſſalis Gregorianus, & Gelaſinus, modernis temporibus ab Albino ordinatus; Miſſales Gelaſini decem, & novem.*

In Chron. Monaſt. Cetulenſ. apud Dacherium T. 4. Spicil. l. 3. c. 3.

Ex quo loco facile eſt conjicere, Sacrum in Galliis triplici Rituum genere celebratum fuiſſe. Romanum a Carolo Magno importatum, nondum erat tam univerſe conſtitutum, ut priſcum Gelaſinum omnino defeciſſet; ſique judicium ferendum eſt ex verbis hujus recenſionis, etiam tum ſervabatur Ordo Gelaſii, qui fortaſſe ſolus erat, qui obtinuiſſet in Galliis, antequam reciperet in Galliis, atque in Germania Carolus Magnus Ordinem Romanum; quandoquidem in hoc Monaſterio extabant Miſſalia Gelaſina undeviginti: *De Libris Sacrarii, qui Miniſterio Altaris deſerviunt.*

§. III.

Sequitur idem argumentum.

ALcuinus novo Ritui conficiendo operam dedit, & Miſſale ex Gregoriano, & Gelaſino mixtum concinnavit. Sed ſit ſimile vero, hunc Alcuini Ordinem ſectatores non habuiſſe. Ceterum ſolidiſſimum nobis ſuppeditat argumentum, quo ſtatuamus, nullam aliam in Galliis uſque ad VIII. fere Sæculum perſpectam fuiſſe Liturgiam, niſi Gelaſinam. Neque etenim quiſpiam eſt, quem noverim, qui afferat a V. Sæculo ad Carolum Magnum, mutatos unquam fuiſſe in Galliis Ritus; cum eoſdem ſemper retinuerint, donec Ordo Romanus Imperatoris hujus ætate coli cœpit.

Quo poſito, tamquam omnibus probato, ſi apud Gallos fuiſſet in more aliud Miſſale præter Gelaſinum, conſtat, Alcuinum collaturum citius fuiſſe ſtudium ſuum ad hoc inſtaurandum, atque ex illo vetere, & alio Gregorii Papæ unicum duntaxat efficiendum; quam miſcere illud S. Gregorii cum altero Gelaſii, quod in hac ſententia Galliæ univerſæ ignotum fuiſſet. Porro cum Alcuinus laboraverit in conficiendo novo Miſſali ſuo ex Miſſali Papæ Gelaſii, quod ſine ulla dubitatione retractare ſtatuerat, ipſique aliquid ex alio D. Gregorii contexere: id oſtendit perſpicue, Ordinem Gelaſinum unum fuiſſe, qui vim haberet in Galliis, ut ipſa quoque undeviginti Miſſalia ſatis probant.

Miſ-

Hilduinus ubi ſupra.

Miſſale Gelaſinum, inquies, non refert inſignia veteris Miſſæ Gallicanæ, quorum præcipuum erat, ex eodem Hilduino, in Miſſæ Præfatione Geſta Sancti Viri, de quo Feſtum recolebatur, ſummatim deſcribere.

Cui tamen parata reſponſio eſt: Nobis præſto eſſe Liturgias multas nomine Sanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, quæ revera ipſis tribuuntur; & tamen ritus non paucos in aliquibus eſſe, qui in aliis deſiderantur. Sed ne ab Eccleſia Græca videamur exempla repetere, quis inficiabitur, inter omnes Occidentis Eccleſias, licet eumdem Romanum Ordinem ſectentur, multas eſſe, quæ vel priſcos Ritus ſuos non deſeruerunt, vel novos alios Romanis diſſimiles introduxerunt? quæ tamen diverſitas non obeſt, quin affirmemus, Eccleſias haſce Ordini Romano parere. Haud abſimiliter, quamvis verum eſſet, additum fuiſſe hoc Præfationum genus Ordini Gelaſino, non eſt tamen inde colligendum, Gallicanas Eccleſias in Liturgia ſua Gelaſinum inſtitutum haud retinuiſſe.

Lib. Pontif. Sacram.

Deinde manifeſtum eſt, magnum hunc Pontificem haberi Autorem Præfationum Miſſæ; & fortaſſe hæ quoque præcipua Martyrum, & Sanctorum, de quibus memoria colebatur, geſta complectebantur. Immo anceps ſum, anne vetus MS., de quo locuti ſumus, & quod viderat Duſuaſius, conſtans peculiaribus Sanctorum Præfationibus, ſit illud Gelaſii Papæ. Si nanque verum eſt, ut probare contendi, Ordinem Gelaſinum uſitatum in Galliis fuiſſe, non eſſet ambigendum, Præfationes a Duſuaſio laudatas, eaſdem eſſe, atque illas Gelaſii Papæ, vel ad illarum exemplar confectas.

Hic autem ſpero, facultatem mihi fore, ut quaſdam animadverſiones ſubjiciam de vetere Miſſa Gallicana. Videtur Bona non diſtinxiſſe Liturgiam hanc Galliis uſitatam, a Gothica, quibus utebantur Hiſpani; cum dicit, illam ſimilem eſſe Miſſæ, quæ celebrabatur Toleti, in Hiſpania, atque in Gallia Narbonenſi: *Deducitur, veterem Miſſam Gallicanam ei ſimilem fuiſſe, quæ Toleti, & per univerſam Hiſpaniam, atque etiam in Gallia Narbonenſi.* Sed eruditus hic Cardinalis certo captus eſt. Liturgia nanque Gallicana, quæ Hiſpanicæ ſimilis erat, non eſt vetus Gallicana, ſed Gothica Gallicana, quæ hoc nomen ſortita eſt, quia uſum habebat in Provinciis Galliarum, quæ ſuberant imperio Gothorum; cum ex adverſo vetus Miſſa Gallicana reliquæ Galliæ communis eſſet. Quare Miſsa Gallicana, quæ accedit, vel eadem eſt cum Miſſa Hiſpanica, non eſt vetus Gallicana, ſive *Gelaſina*, ſed Gothica Gallicana, quam initio Gothicam appellarunt a Gothis Hiſpaniæ Dominis, & etiam Gallicanam, quia populi iidem Galliæ Narbonenſi dominabantur. Sed Gothis ex Hiſpania a Mauris pulſis, Liturgia hæc non *Gothica, vel Gothica Gallicana, ſed Mozarabica* appellata fuit. Thomaſius autem, &

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 12. art. 5.

Mabi-

Mabillonius, ut unam ab altera ſecernant, hanc vocant *Gallicanam veterem*, eam vero *Gothico-Gallicanam*.

Non eſt quoque prætereundum, Thomaſium exiſtimaſse, Miſsale illud, quod *Gothicum* nuncupat, uſurpatum a Gallis fuiſse, antequam ſuſciperent Ordinem Romanum, tantopere, ut ait, diverſum ab hoc Gothico Miſſali: *Sane Gallicanæ Eccleſiæ vetus hoc eſſe Miſſale, anteqnam Romanos Ritus admitteret ab eo longe diverſos, mihi plene exploratum habetur*. Porro certum eſt, Miſsale, Gallis uſitatum ante Caroli Magni tempora, non eſse illud, quod Thomaſius *Gothicum* dicit, ſed aliud, quod ipſe alibi vocat *Gallicanum vetus*. Hoc nanque eſt, quod, ut ipſe animadvertit, Eccleſiæ Romanæ Ritus magis referebat. *In eo animadverto, ad Romanos Ritus propius accedere*. Mabillonius quoque ſentit, Miſsale Gallicanum vetus *Ordinem ex Romano, & Gallicano mixtum exhibere*. Quod intelligere nemo poterit de Miſsali Gothico, cum ab Romanis inſtitutionibus apprime diſtet.

Thomaſ. Cod. Sacram. Præf.

Mabillon. Liturg. Gall. lib. 3. in Præf.

§. IV.

De Liturgia Mozarabica.

Liturgia hæc tantæ non videtur antiquitatis eſſe, ac Gallicana. Ejus autorem facit Baronius S. Iſidorum Hiſpalenſem; & contendit, Epiſcopos IV. Concilii Toletani ſancto huic Antiſtiti, & Cætus Præſidi demandaſſe munus conficiendi Officia Eccleſiaſtica, quibus Hiſpania univerſa uteretur. Hanc porro conjecturam firmat Annaliſta titulo, qui legitur in fronte hujus Liturgiæ: *Officium Gothicum, ſive mixtum ſecundum Regulam S. Iſidori, dictum Mozarabes*. Sed ſilentium Braulii Epiſcopi Cæſarauguſtani, & S. Ildephonſi Toletani, ſumma Iſidoro neceſſitudine devinctorum, conſtans argumentum eſt, egregium hoc Opus Iſidori non eſſe. Prior nanque illud non memorat in Elogio ſancti hujus Epiſcopi, in quo tamen alia ejus Opera accurate recenſet: atque alter nihil de hoc perhibet in Tractatu de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Baronius ad ann. 633.

Adde etiam, non deeſſe firmiſſimas rationes, ut probemus, Miſſam Mozarabum uſitatam fuiſſe ante S. Iſidori ætatem. 1. IV. Concilium Toletanum nonnullos hujus Liturgiæ Ritus enumerat. Ergo tum erat in more. 2. III. Synodus Toletana, plus quam 40. annos ante quartam celebrata, decernit in quodam Canone, in omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis recitandum impoſterum eſſe ſymbolum Apoſtolorum ante Orationem Dominicam. 3. S. Iſidorus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, indicem perſecutus Operum S. Leandri Fratris ſui, qui Hiſpalenſi Eccleſiæ

Concil. Tolet. IV. Can. 11.

Concil. Tolet. III. Can. 2.

ante ipſum præfuerat, animadvertit, cum diligenter incubuiſſe Eccleſiaſticis Officiis, & Miſſæ Ceremoniis reſtituendis; quod pro certo ponit, eum Liturgiam inſtituiſſe.

Attamen in re hac magis ſimile vero eſt, ut credamus, multos Sanctos Epiſcopos Liturgiæ huic operam dediſſe. S. Leander novum ipſi ordinem appoſuit, atque additionibus aliquibus ditavit: S. Iſidorus alia quoque adjecit: Sancti Ildephonſus, & Julianus Toletanus, qui migravit hinc anno 728., multas in ea Ceremonias emendarunt. Atque adeo, ſi recte animadvertit Joannes Mariana, S. videlicet Leandrum quoſdam duntaxat Liturgiæ hujus Ritus inſtituiſſe, conveniat neceſſe erit, eam adhibitam fuiſſe ante S. Leandrum, immo a ſæculo V. *Collecta* revera Miſſæ S. Martini hæc habet: *Hunc virum, quem ætatis noſtræ tempora protulerunt, jubeas auxilium noſtris ferre temporibus*. Cum itaque S. Martinus ad Superos conceſſerit anno 402., & ex primis Confeſſoribus fuerit, qui paullo poſt mortem ſuam publicis honoribus affecti ſunt; dicendum erit, Liturgiam hanc multo ante Sanctos Iſidorum & Leandrum adornatam fuiſſe.

Joann. Mariana de Rebus Hiſpanicis l. 6. c. 5.

Cavius autem perſuaſum habet, Liturgiam hanc S. Leandro tribuendam eſſe, niriturque. 1. In verbis S. Iſidori fratris ejus dicentis, eum in dirigendo Miſſæ Ordine plurimum laboraſſe. 2. In eo quod S. Leander ad Fidem converterit Recaredum Gothorum Regem, & univerſam fere Gentem illam, quod ipſi *Gothorum Apoſtoli nomen contulit*. Fit itaque ſimillimum veri, eum pro Gothis Liturgiam confeciſſe; cui deinde impoſitum eſt nomen *Miſſæ Mozarabum*, cum Chriſtiani Hiſpaniarum Arabis intermixti fuerunt, & propterea *Mozarabes*, vel *Miſtarabes* appellati. Atqui hæ Cavii conjecturæ ſatis quidem evincere poſſunt, ut alibi conceſſimus, S. Leandrum huic Liturgiæ ſtudium ſuum impendiſſe, non autem primum ejus autorem fuiſſe, quod ſaltem ad hujus naturam, & ſummam ſpectat.

Cavius Hiſt. Litter. ad ann. 583.

Neque vero hoc loci examinare placet, utrum Sancti Jacobus & Paulus Fidem Hiſpanis nunciaverint: illud etenim compertum eſt, Chriſtianos multos extitiſſe temporibus Tertulliani in Hiſpaniis; quandoquidem, ut ipſe ait, *a Præſide Legionis vexatur hoc nomen*, nimirum Chriſtianum, quemadmodum Legionis voce Hiſpania venit. Ætate inſuper S. Irenæi Evangelium Provinciis iſtis vulgatum erat, quod ipſe ſignificare voluit verbis illis: *fundatæ Eccleſiæ, quæ in Hiberis ſunt*. Aut certe S. Cypriani temporibus Chriſtianos ibi fuiſſe, atque Eccleſias conditas neceſſe eſt; cum ipſe Epiſtolam ſuam 64. ad Clerum, & Populum Hiſpaniæ mittat. Porro difficillimum eſt noſſe, qua tum Liturgia Gens illa uteretur. Concilium Braccarenſe V. coactum anno 408. nos docet, Archiepiſco-

Tertull. ad Scapul. c. 4.

Irenæus l. 1. c. 1.

piſco-

piſcopum Profuturum Ordinem Miſsæ ab Eccleſia Romana ſuſcepiſſe; atque in Concilio ejuſdem Urbis II. ſancitum fuit: *Ut eodem Ordine Miſſæ celebrentur, quomodo Profuturus, quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ, ab ipſa Apoſtolicæ Sedis autoritate Scriptum ſuſcepit*. Ex quibus verbis duo colligenda ſunt, primo Eccleſias Hiſpaniæ ſæculo V. Ritibus Romanis obtemperaſse; ſecundo Miſsam *Mozarabicam*, ſive *Gothicam* non deſcriptam fuiſse ante initium ſæculi VI.

Liturgia hæc continuo *Gothica* appellata fuit, quod in uſu eſset in ea parte Hiſpaniarum, & Galliæ Narbonenſis, quæ Gothorum imperio ſubdita erat; cumque anno 713. Rodericus ultimus Gentis illius Rex ejectus ex Hiſpania fuerit a Mauris, & Saracenis Africæ, tum Chriſtiani Hiſpaniarum *Mozarabes*, vel *Miſtarabes* dicti ſunt, ex voce Latina, *Mixtus*; ut *Miſtarabes*, ſignificent mixtos, vel viventes cum Arabibus. Unde capta occaſio eſt vocandi Liturgiam *Mozarabicam* eam, quæ obtinuerat in Hiſpania, antequam Gregorius VII. in ea ſtatueret Officium Romanum, regnante Alphonſo VI. ad annum 1080. *Greg. VII. Ep. 64. lib. 1.*

Quod tamen nihil obſuit, quominus Sacra myſteria ritu Mozarabico multis in locis recolerentur. Anno circiter 1170. Jacobus Almanſorius Marochii Rex ex Hiſpania Mozarabes multos duxit in cuſtodiam ſui; ipſis Eccleſiam conſtruendam curavit; Religioniſque libertatem largitus eſt, ut Sacris ritu ſuo intereſſe poſsent. Mozarabicum nomen perſeverat adhuc in ſeptem Eccleſiis Paræcialibus Urbis Toletanæ, quæ ſunt S. Lucæ, S. Sebaſtiani, S. Juſti, S. Antonini, S. Marci, S. Eulaliæ, & Sacellum Cardinalis Ximenii in Eccleſia Cathedrali, in quibus Officium Divinum veteribus Mozarabum ceremoniis perſolvitur. Officium item Mozarabicum certis in anno diebus Salmanticæ recolitur, quæ Liturgia extat in Bibliothecis Patrum Pariſienſi, & Lugdunenſi.


Opinatur Bona, *Miſſam Gallicanam eandem eſſe, ac Toletanam*, ſcilicet *Mozarabicam*; verum quidem eſt, eas in plurimis conſentire, ut videre eſt apud Scriptores, qui hujus fragmenta aliqua ad nos traduxerunt; atque ex illius contextu, qui ad hanc diem extat. 1. In Orationibus, & Præfationibus utriuſque deſcripta paucis erant præcipua adjuncta Vitæ ſanctorum Confeſsorum, & Martyrum tormenta, de quibus Feſtum celebrabatur. 2. Ante Epiſtolam Prophetia legebatur. 3. Decantato *Graduali*, Sacerdos cunctis ſilentium indicebat: *Silentium facite*. 4. Omnes Miſsæ partes in utroque Libro eædem erant. *Bona ibidem Art. 6.*

At duo hæ Liturgiæ differunt non parum. 1. *In Collectis*, quæ nihil prorſus habent, in quo aſſimilentur. 2. In Lectionibus cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, quæ invicem diſſident. 3. In Canone Miſſarum multarum, qui alteri non congruit. 4. In Symbolo Apoſtolorum,

 quod

quod recitabant ante Orationem Dominicam ; uti conſuetudo eſt Ritus Mozarabici. Denique modus dividendi Hoſtiam , uſitatus Sacerdotibus Mozarabicis , in nulla alia , quam noverim, Liturgia reperitur.

Primo Sacerdos dividit Hoſtiam in duas partes æquales. Deinde ex harum partium altera quinque particulas efficit , & ſuper *Patenam* recta diſponit. Prima vocatur , *Corporatio*, ſcilicet Incarnatio; ſecunda *Nativitas*; tertia *Circumciſio*; quarta *Apparitio*; quinta *Paſſio*. Poſt hęc Sacerdos accipit aliam Hoſtię partem , & in quatuor particulas ſecat , quarum hęc ſunt nomina , ſextę *Mors*, ſeptimę *Reſurrectio*, octavę *Gloria*, nonę *Regnum*. Quas omnes particulas collocat in Patena, & diſponit hoc pacto.



Poſt Orationem Dominicam Sacerdos immittit in Calicem particulam, quæ vocatur *Regnum* , ſubmiſsa voce dicens: *Sancta Sanctis*. Deinde accipit particulam, nuncupatam *Gloria*, eamque manu ſuper Calicem tenet , dum pro Defunctis facit *Memento*. Qua Oratione abſoluta , particulam in os mittit, & glutit ; idemque ex ordine de ceteris præſtat.

Si igitur animadverſiones iſtæ facile ſuadere poſsunt , Ordinem , ceremoniaſque Liturgiarum Gallicanæ , & Mozarabicæ diſſimillimas fuiſse inter ſe ; non majori negotio efficere poſsunt , eas nihil ferme habuiſse cum Eccleſiæ Romanæ Ritibus commune. Quod quidem Berno Abbas

epti-

optime adnotaverat de quodam vetere Miſsali, * qui in Monaſterii ſui Tabulario aſservabatur : *In noſtri Monaſterii Archivio habetur Miſſalis, longe aliter ordinatus, quam Romanæ Eccleſiæ ſe habet uſus*. Quo in loco ſermonem habet de diverſitate, quæ intercedit inter Liturgiam Gallorum, atque Hiſpanorum, nec non Eccleſiæ Romanæ, ſcilicet ejus, quæ a D. Gregorio inſtituta fuerat; neque etenim quiſquam negaverit, Liturgiam, Gallis uſitatam, non fuiſse Liturgiæ Gelaſinæ ſimillimam : atque hoc plane intellectu explicandi ſunt Bona, Thomaſius, & Mabillonius cum dicunt, Miſsam Gallicanam *ad Romanos Ritus accedere*, vel eſſe *mixtam ex Romano, & Gallicano Ordine*; videlicet ex Gelaſino, & Gregoriano.

Berno Augiens de Reb. ad Miſſæ pertinentibus cap. 2.

Bona ibidem Thomaſius Cod. Sacram in Præf. Mabill. de Liturg. Gall. l. 3.

§. V.

Liturgia Eccleſiarum Africæ.

NEmo unus, niſi ſi me fugit, ſcriptis commiſit rationem; qua in Eccleſia Africana Sacrum conficiebatur. Initio quidem opinatus eſt Bona, Eccleſiam hanc, quemadmodum Fidem a Summis Pontificibus, ita etiam Ritus ab Eccleſia Romana ſuſcepiſse; ſed cum offenderit quædam loca, deprompta a Liturgia Africana, atque ab Ordine Romano abhorrentia, in Operibus Marii Victoris, & S. Fulgentii: *ſuſpicatus eſt, Ritum Africanum illi ſimilem tunc fuiſſe, qui in Hiſpania Mozarabicus dictus eſt*.

Jacobus de Vitriaco animadvertit, ſæculo decimotertio Chriſtianos Africæ atque Hiſpaniæ eadem Liturgia uſos fuiſſe. Nihilominus, ſi audiendus eſt S. Iſidorus Hiſpalenſis, Ceremoniæ & ritus Miſsæ ſatis ſuperque diſſimiles in his duabus Eccleſiis erant ætate ſua : *In Africanis autem*, inquit, *regionibus non omni tempore, ſed tantum Dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini Reſurrectionem Alleluja cantatur. Verum apud nos ſecundum antiquam Hiſpaniarum Traditionem omni tempore cantatur, Alleluja, præter dies iejuniorum, vel quadrageſimæ*.

Marius Vict. Afer. l. 1. adv. Arrium. Fulg. Ruſp. cap. 14. in Epiſt. 1. ad Cor. apud Sirm. Bona Rer. Liturg l. 1. c. 7. art. 3. Jacob de Vitr. Hiſt. Orient cap. 82 Iſid. de Off. Eccl. l. 1. c. 13.

Aliud diſcrimen ponit D. Auguſtinus inter duas haſce Liturgias. In Mozarabica duæ ſemper Lectiones Evangelium præcedunt; altera ex Vetere, atque altera ex Novo Teſtamento. Contra vero Africani Rem divinam agentes, unicam Lectionem recitant plerumque ex Epiſtolis D. Pauli; deinde canunt *Graduale*, confectum ex aliquo Pſalmo, & poſtea Evangelium : *Apoſtolum audivimus*, ait Sanctus Pater, *Pſalmum audivimus*, ** *Evangelium audivimus : conſonant omnes divinæ Lectiones*.

S. Aug. ſerm. 7 & 10. de Verbis Apoſtoli.

* Miſſale, hoc de quo loquitur Abbas hic, eſſe non poterat, niſi Miſſale Gelaſii Papæ, in quo erat Miſſa, in Galliis vulgata, ante tempora Caroli Magni.

** *Pſalmum audivimus*, hoc eſt Graduale ſecundum Auguſtinum. *Hoc de*

Quam-

Quamvis interciderit ritus celebrandi Miſſas in Africa; illum tamen colligere poſſe videmur, quod attinet ad præcipuas, quibus conſtabat, ceremonias, ex Operibus Tertulliani, & Divi Auguſtini. Tertullianus, rejectis exprobrationibus, & calumniis Ethnicorum, qui Chriſtianos ambitionis, atque animi impotentiæ accuſabant, narrat, quæ in cœtibus ſuis agebantur: *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Miniſtris eorum, pro Statu ſæculi, pro rerum quiete. Coimus ad Litterarum Divinarum commemorationem .... Fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus: diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina .... Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti .... Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & cum poſſit, apponit ..... egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis, re, ac parentibus deſtitutis, iamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis ſunt, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſſa Dei ſectæ.... Sed eiuſmodi, vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam..... ſed & quod Fratrum appellatione cenſemur; At quanto dignius fratres, & dicuntur & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum Sanctitatis biberunt?*

Tertull. Apol. cap. 39.

Agapes quoque olim non modicam Officii publici ſolemnitatem conſtituebant. Quod Autor noſter hoc pacto deſcribit: *Cæna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit; vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Non prius diſcumbimus, quam Oratio ad Deum prægustetur: editur, quantum eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt utile; ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant, Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberint. Quæ Oratio convivium dirimit.*

Capite nono Libri de Anima Tertullianus memorat quatuor exercitationum genera, quæ perficiebant Chriſtiani in unum coacti pro Sanctorum Myſteriorum celebratione, quæque ad hanc quoque diem perſeverant. *Scripturæ leguntur, Pſalmi canuntur, allocutiones proferuntur, petitiones delegantur.* Alibi ait, eos oraſſe pro Mortuis, & ſæpius de panis, & vini conſecratione ſermonem inſtituit.

De Coron. mil. cap. 3. Contra Marc. l. 5. c. 8.

Inter omnia S. Auguſtini Opera nullum fortaſſe eſt, in quo accuratius

Aug. ſerm. 227.

Apoſtolica lectione percepimus: Ecce Epiſtolam. *Deinde cantavimus Pſalmum*: Ecce Graduale: *poſt hæc Evangelica Lectio*. Ecce Evangelium. *Aug. ſerm. 10. de verb. Apoſt.*

ſpe-

ſpecimen exhibeat Liturgiæ Eccleſiarum Africæ, quam Sermone quarto de die Paſchatis. Statim pronunciat, panem & vinum, quæ in Altari conſpiciuntur, Corpus eſſe, & Sanguinem Chriſti poſt Conſecrationem. Per eum Epiſtolæ ſuccedebat Evangelium, atque huic preces quædam, quibus expletis populo dicebatur: *Surſum corda*; atque adſtantes reſpondebant: *Habemus ad Dominum*. Sacerdos addebat: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*; atque illi reponebant: *Dignum & juſtum eſt*. Poſt Conſecrationem, ſequitur Auguſtinus, recitare mos eſt Orationem Dominicam & pacem populo offerre: *Pax vobiſcum*: quo tempore Fideles oſculum pacis mutuo ſibi tribuunt.

Satis ſimile vero fit, adſtantes Sacramenti participes fuiſſe; quoniam Sanctus iſte Doctor commendat dignitatem atque excellentiam Euchariſtiæ, hortaturque Chriſtianos, ut ad illam mundo corde accedant: *qui manducat Corpus Chriſti, aut bibit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*. Idem Pater, nec non S. Cyprianus in Operibus ſuis plures Ritus miſcuerunt, quos in Sacro ſervabant, quique nobis indicare poſſunt, quinam fere eſſet Ordo Liturgiæ Eccleſiarum Africæ.

§. VI.

De Liturgia Eccleſiæ Anglicanæ.

IN Eccleſiis Britannicis Myſteria Sancta ſecundum multiplicem ritum celebrata ſunt. Si D. Paulus, vel quivis alius Apoſtolus Evangelium in Angliam detuliſſet, ut non paucis placuit, tum Sacra recoluiſſent modo admodum ſimplici, & non multis Ritibus conſtante, ut conſuetudo temporum Apoſtolicorum ferebat. Sive Eccleſia Romana temporibus illis, atque ad medium circiter ſecundum ſæculum, uteretur ritibus peculiaribus, vel iis, quos Apoſtoli inſtituerant; magnam veritatis ſpeciem habet, Eccleſias Anglicas adhæſiſſe ceremoniis Romanæ Eccleſiæ, tum quando Eleutherius Papa illuc Divini verbi præcones miſit, a Lucio Britonum Rege poſtulatos, ut ſe & populum germana imbuerent Religione, & in Regno ſuo Eccleſias ædificarent. *

* Gildas cognomento Sapiens, qui VI. ſæculo florebat, *in Excid. Britann.* ait, Britones Fidei obtemperaſſe, poſtquam a Romanis devicti ſunt. In Veteribus Actis Monaſterii Gloſconienſis antiquiſſimi ſcriptum eſt, S. Philippum Apoſtolum illuc miſiſſe Joſephum ab Arimathæa; feruntque, S. Patricium idem adnotaſſe in quadam Epiſtola ſua; non ſecus atque Freculphum Epiſcopum Neomagenſem. Metaphraſtes, Nicephorus, & Lipomanus S. Petrum affirmant primum Britonum Apoſtolum. Sophronius, & Theodoretus hanc gloriam S. Paulo vendicant, *Lib. 9. de curandis Græc. affect.*

Cum

Beda Hiſt.l.1. c.4.17.20.21.

Cum igitur Fugatius, & Damianus, a Pontifice Eleutherio, vita functo anno 192. delecti ad Fidem in illas Inſulas importandam, Fidei lumine regionem illuſtraſſent, mores Eccleſiæ Romanæ in publicis Chriſtianorum Conventibus diligenter ſervati ſunt; donec anno 428. Pelagius & Cœleſtius errores ſuos in Anglia diſſeminarunt. Tum Britones præſidium ab Epiſcopis Galliæ popoſcerunt; atque hi anno 429. Sanctum Germanum Antiſiodorenſem, & Lupum Trecenſem ad eos ablegarunt; ut Hæreticis illis obſiſterent, quod ipſi egregie præſtiterunt. S. Germanus autem iterum ob eandem cauſſam trajecit in Angliam, ejuſque Miſſionem Deus prodigiis honeſtavit. Quare ſum neſcius, anne augurari conjectura poſſem, ad hoc circiter tempus Britones Ordinem Romanum deſeruiſſe, ut illum, quo Gallia utebatur, admitterent. Quæ tamen conjectura argumentis ſequentibus fulciri poſſet.

Beda in ejus vita.

Sylveſter Giraldus in Topographia Hibernia.

Primo ex Hiſtoria S. Patricii, qui Hibernorum Apoſtolus nuncupatur. Sextodecimo ætatis ſuæ anno in captivitatem ductus eſt, in qua ſex annos tranſegit. Exinde auditor fuit S. Martini, qui Clericali numero adſcriptus, atque in Hiberniam miſſus, ſexaginta ibi laborum annos in Barbarorum ad bonam frugem converſione contrivit; Preſbyteros atque Epiſcopos initiavit, & Metropolitanam Sedem in Urbe Armacana conſtituit. Porro cum Patritius in Eccleſia Gallicana educatus, eos Ritus cuſtodierit, qui ab Eccleſia illa uſurpabantur; & Miſſa Gallicana, ut oſtendimus, celeberrima tum temporis eſſet, neque aliam, dum ibi degebat, cognoviſſet; præſumendum ſane eſt, ipſum in Hiberniam eundem ordinem detuliſſe, atque Eccleſiis a ſemetipſo conſtitutis ſervandum juſſiſſe.

Jacob. Uſſer. Britann. Eccleſ. antiq p. 141. MS. in Biblioth. Cottiniana titulo: De Eccleſiaſticorum Officiorum origine.

Secundum argumentum peto ex Uſſerii teſtimonio, qui fidem facit, ſe legiſſe in MS. quodam nongentorum amplius annorum, ab Anonimo compoſito, S. Germanum Antiſiodorenſem, & Lupum Trecenſem detuliſſe in Angliam Liturgiam Gallicanam, quam in Monaſterio Lirinenſi didicerant. Ita habet Codex hic. *Ordinem curſus Gallorum Beatiſſimus Caſſianus, qui Lirinenſi Monaſterio B. Honoratum habuit comparem, & poſt ipſum B. Honoratus primus Abbas, & S. Cæſarius Epiſcopus, qui fuit in Arelate, & B. Porcherius Abbas, qui in ipſo Monaſterio fuit, ipſum curſum decantaverunt. Qui B. Lupum, & B. Germanum Monachos in eorum Monaſterio habuerunt; & ipſi ſub normam Regulæ ipſum Curſum decantaverunt; & poſtea in Britanniis, vel Scotiis prædicaverunt.*

Duo vero ex hoc loco conjicere licet. Primum eſt, S. Honoratum, conditorem anno 375. primi Monaſterii in Inſula, nomine *Planaſia* vel *Lerina*, quam hodie S. Honorati Inſulam appellamus, locum præbere, ut credamus, Liturgiam Gallicanam lucubratam fuiſſe ante finem Sæculi IV.

quan-

quandoquidem uſum habebat in hoc Monaſterio temporibus S. Honorati primi ejus Abbatis. Secundum, *S. Germanum, & Lupum*, ut concludit Uſserius, *Ordinem curſus Gallorum, ſive Gallicanam Liturgiam, a Patribus Lerinenſis Cœnobii acceptum, in Britanniam induxiſſe legimus*.

Uſſerius ibid.

Tertiam conjecturam ducere poſſumus ex quæſtione, quam S. Auguſtinus propoſuit Gregorio Magno, a quo in Angliam anno circiter 596. miſſus fuerat. Cum etenim deprehendiſſet Archiepiſcopus hic Cantuarienſis, Eccleſias illius Inſulæ Officia Divina perſolvere ex Ritu Eccleſiarum Gallicanarum, quem Sancti Germanus, & Lupus ibi propagaverant, interrogat Sanctum hunc Pontificem, *Quare cum una ſit Fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ? Et altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque alia in Galliarum Eccleſiis tenetur*. S. Gregorius ipſi reſpondet: *Mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Galliarum, ſeu in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in Anglorum Eccleſia...... infundas*.

Matthæus Vveſt. Monaſterienſis ad ann 596.
Greg. l. 12. Ep. 31. interrog. & reſponſ. 3.
Beda l. 1. Hiſt. Eccleſ. Anglic. n. 7.

Ex quibus præſto eſt conjicere ſecundum Scriptoris cujuſdam animadverſionem, S. Auguſtinum excitaſſe S. Gregorio controverſiam hanc, quia videlicet Angli ægre ferrent deſerere Liturgiæ Gallicanæ Ritus; cum ipſe aggreſſus eſt inducere in Eccleſias iſtas mores, quos retineri viderat in Eccleſia Romana: unde fortaſſe factum eſt, ut S. Gregorii conſulto conficeret Ordinem Sacrificii Anglici ex iis, quæ arbitratus eſt magis congruere in Miſſis Romana, & Gallicana.

Du Peyrac Hiſt. Eccleſ. de Aula l. 1. cap. 29. pag. 183. Gall.

Nos ſane latet, quænam eſſet hæc Liturgia. Id unum liquet, S. Agathonem, qui ſedem Petri conſcendit anno 678. miſiſſe in Angliam Muſicos, qui Anglos docerent modulare cantus inſtar Eccleſiæ Romanæ anno 747. & exinde congregatum fuiſſe Concilium Epiſcoporum hujus Inſulæ, quod decrevit canone 13. impoſterum in Sacrorum Myſteriorum functionibus ſectandum omnino eſſe Ritum, atque Ordinem Eccleſiæ Romanæ. Quod ſane, ut opinor, firmum argumentum eſt, antehac Liturgiam Anglicanam aliam fuiſſe a Romana, nimirum, vel veterem Gallicam, vel ex hac, & Romana conflatam.

Concil. Cloveſhovia ann. 747. Can. 13.

Eccleſia Anglicana nunquam defecit a Ritibus Romanis, donec Henricus VIII. Eccleſiæ parere pertinaciter detrectavit. Sunt qui affirment, Principem hunc nihil in Liturgia innovare voluiſſe; ſed cavere non potuiſſe, quin Diſcipuli Lutheri, & Zuinglii in Regnum ſuum errores, quibus affecti fuerant, inferrent. Dux Somerſertienſis Avunculus Eduardi, qui Henrico VIII. ſucceſſit, cum Regis, & Regni Tutor renunciatus eſſet, Decretum edidit, ut populi deinceps utraque ſpecie Corpus Dominicum ſumerent; ex Eccleſiis Imagines tollerentur; & deſcriberetur

Robert. Mentet Hiſtoria perturb. Anglic. l. 1. ad ann. 1635. & ſeq. Gall.

Liturgia vernacula, quæ a Regni Ordinibus approbata fuit anno 1549. duodecimo Regis Eduardi.

Bucerus, & Petrus Martyr, profecti in Angliam inſtituendæ gratia Novæ Religionis, atque autoritate fulti cum Ducis Somerſertienſis, tum Archiepiſcopi Cantuarienſis, ex Liturgia ſummovere fecerunt ſecundum Calvini mentem *Orationes pro mortuis*, *Chriſma in Confirmatione*, *atque Extremam Infirmorum Unctionem*. Sed Calvino rurſus expoſtulante, quod ſumma univerſa Miſſæ Romanæ in hac Liturgia reperiretur, ſublatum ex ea eſt quidquid Calvino non arridebat, & hoc pacto ſecunda Liturgia compoſita fuit, probata Ordinibus anno 1552., addito Decreto de Sacris, Lingua vernacula impoſterum celebrandis.

Hæc Eduardi inſtauratio deleta eſt morte hujus Principis, qui brevi rerum ſumma potitus eſt. Ejus ſoror Maria Regina eo cuncta revocavit, ubi erant, antequam Henricus Reginæ Catharinæ Matri ſuæ nuncium remitteret: ſed Eliſabetha, hanc excipiens, Liturgiam Eduardi iterum amplexa eſt, quam retractatam emendatamque Ordines denuo confirmarunt; jubentes, ne alium precationum Ritum in Regno univerſo publice Sacrificantes legerent: ſed tamen ex Litaniis Liturgiæ Eduardi abraſa ſunt hæc verba. *Libera nos a Tyrannide Epiſcopi Romani, atque ab ejus flagitiis deteſtandis.*

Liturgia hæc obtinuit toto Eliſabethæ principatu, cui cum ſucceſſiſſet Jacobus, urgentibus *Puritanis*, concivit Cœtum Epiſcoporum Hamtonicuriæ anno 1603. atque ipſorum conſilio, ut morem gereret *Puritanis*, quædam Liturgiæ ſenſa moderatus eſt. Liturgia Scotiæ redacta eſt ad recentem Eliſabethæ Liturgiam, paucis additis ex priore Eduardi. Subinde vero alia in utraque Liturgia immutata ſunt non ſine graviſſimo tumultu, qui Epiſcopos populoſque diu perturbavit.

AR-

ARTICULUS IV.

De Miſſa Latina, quam Matthias Flaccus Illyricus Lutheranus in publicum edidit.

§. I.

Variæ de Liturgia iſta opiniones.

ANno 1557. hic Lutheri aſſecla typis commiſit Argentorati Liturgiam quandam Latinam, quæ per ipſum vim habebat in Galliis Sæculo ſeptimo, antequam ibi Ordo Romanus admitteretur; & deprompta ab eo fuit e Bibliotheca Palatini Rheni, Sacrique Imperii Electoris, religioſeque deſcripta. Eam hoc pacto inſcribit. *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa ſeptingenteſimum Domini annum in uſu fuit, bona fide e vetuſto, antiquoque Codice deſcripta.* In Epiſtola vero nuncupatoria ad Othonem Henricum luculentius diſſerit, quod ipſe de hac Liturgia ſentiat. *Eſt vero hæc Miſſa ex veteri Codice bona fide deſcripta, quam in uſu fuiſſe in Occidente opinor circa Gregorii tempora, antequam Romana Miſſandi ratio ubique recepta eſt, quod in Germania quidem, & Gallia circa Caroli Magni tempora factum eſt, fere octingenteſimo a Nativitate Domini anno, in Hiſpania vero multo ſerius.*

Lutheranus hic ſeverus ſibi initio blanditus fuerat, fore, ut Liturgiæ hujus Editio commoda non pauca Sectæ ſuæ adverſus Eccleſiam Romanam afferret: ratus ſe inde deſumere poſſe argumenta concluſa, eam ab antiquis Rei divinæ ritibus deſeciſſe. Sed ſua ipſa malitia cæcus præter mentem arma contulit Eccleſiæ, quibus Sectæ ſuæ errores oppugnaret. In hac nanque Miſſa Dogmata Fidei multa, & varii Eccleſiæ Ritus conſtanter aſſeruntur, v. g. Mariæ Virginis, & Sanctorum invocationes; vera Jeſu Chriſti in Euchariſtia præſentia; preceſque pro vivis, & vita functis, & id genus alia. Ita plane pronunciat Georgius Vvicelius in Defenſione Liturgiæ Eccleſiaſticæ his verbis: *Matthias Flaccus Illyricus edidit repertam Miſſam Latinam, triumphans de Theſauro tanto adverſus Catholicos, quam vel cæcutienti homini appareat totum illud, quod edidit, contra Lutheri, Calvinique Sectas edidiſſe; ſed & Catholicis nobis rem longe gratiſſimam feciſſe.*

Atque adeo cum Lutheri Diſcipuli probe animadvertiſſent, novum hoc

Opus eos lethali ictu confodere, igni damnarunt quotquot Exempla illius in manus eorum inciderunt: idque diligentia tanta præſtitum ab iis eſt, ut ejus Exemplaria rariſſima effecta ſint. Nihilominus divinæ Providentiæ fuit, ſalutari ratione cavere, ne cuncta perirent, & duo, vel tria in Galliis reperta ſunt. Menardus certe exemplar hujus vidit, expendit, confertque cum alia Liturgia in notationibus *in Sacramentarium* S. Gregorii. Guillelmus de Peyraco alio uſus eſt, quod ad Joannem Fileſacum Sorbonicum Doctorem ſpectabat. Cointius declarat, Antonium Vionium, Dominum Heruvalenſem, ſibi conceſſiſſe, ut Miſſam hanc ex exemplari ſuo deſcriberet; & quoniam vetuſtum hoc Monumentum rariſſimum eſt, illud edendum fuſe curavit in Annalibus Gallicis. Bona denique poſtquam diu incaſſum Romæ, alibique opus hoc conquiſivit, invenit aliquando in Bibliotheca Imperiali.

Menardus in Not. Sacram. pag. 330.

Du Peyrac. Hiſt. Eccl. de Aula l. 2. c. 13.

Cointius Ann. Franc. Tomo 2. pag. 488. & ſeq.

Porro Litterati viri de duobus diſſentiunt. Primo, an Liturgia hæc, quam e ſitu, atque oblivione Illyricus vindicavit, ſit vetus Miſſa Gallicana. Deinde, an ita revera ſit antiqua, ut fert opinio. Nemini dubium erit, Proteſtantem hunc utrumque tueri. Titulus nanque, quem præfixit huic Liturgiæ, atque ea, quæ addidit in Epiſtola Nuncupatoria ad Electorem Palatinum, de hoc facile admodum perſuadere quemque poſſunt. Guillelmus de Peyraco in Hiſtoria Eccleſiaſtica de Aula, æque ac Cointius, loco paullo ante laudato, Miſſæ hujus antiquitatem propugnant, atque hanc eandem eſſe, ac illam, quam nos Liturgiam Gallicanam appellamus. Georgius Vvicelius, Bona, Thomaſius, & Mabillonius contendunt, Miſſam hanc eandem eſſe, atque Romanam nunc uſitatam, cui tamen multa adjecta ſunt. Menardus id unum intendit evincere, eam videlicet non eſſe X. vel XI. Sæculo antiquiorem: unde facile colligimus, uſum ex hac ſententia non habuiſſe in Galliis ante tempora Caroli Magni.

Antequam nonnulla animadverto in diverſas Scriptorum iſtorum opiniones, operæ pretium duco, hallucinationem Flacci Illyrici aperire, cum in animum ipſi venit, oſtendere hujus Miſſæ momento, Eccleſiæ Latinæ fuiſſe Liturgiam ſuam eo pacto diſpoſitam, ut ſemper eadem eſſet, nihilque ſingulare præſeferret pro diverſis anni Solemnitatibus, vel Sanctorum Feſtis diebus. Quemadmodum etenim Græci, inquit Hæreticus hic, unam dumtaxat habent Miſſæ formulam, quam in dies ſingulos repetunt; haud aliter nullum diſcrimen dierum erat in Liturgia Latinorum.

Verum non eſt multi operis ſententiæ hujus falſitatem demonſtrare ex eadem Miſſa, quam Lutheranus hic in vulgus edidit. Caret nanque *Introitu*, *Epiſtola*, *Graduali*, *Evangelio*, *Offertorio*, *Secretis*, *Præfatio-*

ne,

ne, *Communione*, & *Poſtcommunione*; atque hæc omnia in hac Miſſa in univerſum tantum indicantur, quandoquidem varietate Solemnitatum, quæ poſtulant *Collectas*, *Epiſtolas*, *Evangelia*, *Secreta*, *Præfationeſque* diverſas, quæque Feſtis ſingillatim reſpondeant, hæc digeſta erant ex ordine in *Lectionariis*, & *Miſſalibus* particularibus, ut paſſim fit. Qua de re intereſt ſolummodo conſulere *Sacramentarium* S. Gregorii; *Lectionarium*, & tria vetuſta *Miſſalia* edita a Thomaſio, & Mabillonio; ut quiſque percipiat, in Eccleſia Latina præter id, quod *Commune* Miſſæ appellamus, & ferme ad Canonem refertur, extitiſſe *Introitus*, *Gradualia*, *Epiſtolas*, *Evangelia*, *Offertoria*, *Præfationes*, & ſimilia his ex diverſitate Feſtorum, & Solemnitatum.

Neque Græcorum exemplum, ab Autore noſtro productum, ſententiam ejus in tuto ponit. Quanquam etenim verum ſit, eos in præſenti Liturgias tantum communes habere; nihilominus videmus in ipſorum *Euchologiis*, & *Ritualibus* Miſſas pro Sanctorum Feſtis, & Eccleſiæ Solemnitate diſtinctas. Denique ſi Lutheranus hic tantiſper attendiſſet ad hæc Miſſæ ab ſe editæ verba: *Finita Angelica laude*, *Miſſalem dicat Orationem Sacerdos*, *deinde Lectio recitetur*; tum cognoviſſet, *Miſſalem Orationem* eam eſſe, quæ poſt *Gloria in excelſis &c.* recitatur, & pertinet ad Sanctum, eo die cultum. Quare licet Liturgia hæc conferta ſit tot Orationibus, nihilo ſecius nulla eſt, quam vocare poſſimus *Orationem Miſſalem*, neque ulla Epiſtola, vel Evangelium proprium &c. Et quoniam neceſſe erat, has Miſſæ partes temporum, & ſolemnium dierum ratione variare, uti mos fuit Eccleſiæ naſcentis, atque inſtitutum Patribus perſpectum: ideo in hac Liturgia digeſtum eſt Commune duntaxat; reliqua in alio Libro ſepoſita, ut ex Ordine Feſtorum Communi huic adjungerentur.

Auguſt. Prol. in Ep. 1. Joann. & Tract. 9. in eand. Ep. Iſid. Peluſ. l. 2. Ep. 116. Vigilius Papa Epiſt. 2.

§. II.

Momenta, quibus Vvicelius, & Bona perducti ſunt, ut Liturgiam hanc oppugnarent.

MOmenta, quibus compulſi ſunt Autores iſti doctiſſimi, ut Flacci Illyrici ſententiam de Liturgiæ hujus natura, atque antiquitate improbarent, ad hæc rediguntur. 1. Qui, ajunt, ſcire poteſt Heterodoxus hic, Miſſam a ſe juris publici factam, vetuſtiorem eſſe Pipino Gallorum Rege? Quodnam affert ejus rei argumentum, vel teſtimonium? 2. Contendunt Liturgiam hanc haud ferre inſignia veteris Miſſæ Gallicanæ. 3. Eandem eſſe cum Miſſa Romana 4. Nullum Autorem Eccleſiaſticum de

Vvicelius Defenſ. Liturg. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 12. art. 3.

de ea locutum fuiſſe; neque apparere, eam ab ullo vel Summo Pontifice vel Concilio confirmatam fuiſſe. Ex quibus efficiunt, aliquem privatum Epiſcopum eam lucubraſſe, ut certis diebus ſolemnibus eam recoleret: neque unquam in Galliis uſitatam fuiſſe.

Prima, & Quarta difficultas tolluntur.

Ut occurramus primo & quarto argumento, a Bona petito, animadvertendum eſt, nos ſummo huic Viro debere duo non modica fragmenta Veteris Miſſæ Gallicanæ. Primum reperit in Bibliotheca Reginæ Svecorum, num. *626.* quod alias ad Petavium ſupremi Senatus Pariſienſis Conſiliarium ſpectabat; atque in hoc cum initio, tum etiam in fine folia quædam deſiderabantur. Alterum fragmentum deprompſit Cardinalis hic a Bibliotheca Palatina Vaticani. Cum horum MSS. primum antiquius ſit, ejus ſynopſes fuſas exhibuit, & cum aliis Miſſæ Mozarabicæ contulit, atque ex utriuſque Liturgiæ ſimilitudine in eam ſententiam deſcendit, ut crederet, veterem Miſſam Gallicanam non differre a Mozarabica, niſi Orationibus.

Quibus præjactis, parata eſt utrique Bonianæ difficultati reſponſio: Flacco Illyrico idem jus eſſe propugnandi, Miſſam, a ſe editam, priſcam Gallicanam eſſe, quod habet Cardinalis hic aſſerendi, aliam repertam in MS. Reginæ Svecorum, eſſe germanam Galliarum Liturgiam. Hic conjecturam capit 1. Ex æquabilitate Rituum Miſſæ hujus, & Mozarabicæ; atqui nos probavimus, etſi Liturgiæ iſtæ in aliquibus ſimiles ſint, in aliis tamen longe admodum diſtare: immo argumentis multis efficiam capite ultimo, Liturgias omnes Græcas, & Latinas iiſdem partibus conſtare, quamvis eadem non ſit verborum, & precum diſpoſitio. Et propterea ſimilitudo duarum Liturgiarum iſtarum in aliquibus Ritibus leviſſima conjectura eſt ad affirmandum, Miſſam in MS. Reginæ Svecorum contentam, veterem Gallicanam eſſe. 2. Vim facit in antiquitate Codicis ſui MS. qui ante nongentos annos, ut ait, atque monent Caracteres, deſcriptus fuit. Sed, ſi fas eſt Flaccum Illyricum audire, MS. ejus majoris vetuſtatis notas gerebat, ſi quidem VII. Sæculi fuiſſet. Quibus poſitis, liceat per Bonam, nos ab eo ciſcitari haud ſecus, ac ille ciſcitatur ab Illyrico. Quod nam affert eorum, quæ dicit vel argumentum, vel teſtimonium, nimirum Liturgiam, quæ legitur in MS. Reginæ Svecorum, Miſſam Gallicanam eſſe? Quod etenim attinet ad Scriptorum teſtimonia, ipſe nullum profert; quod eſt argumentorum, per ſe ruunt, ut compertum ſtatim erit cum ex dictis, tum ex dicendis. Præſtolamur adhuc, Cardinalem hunc in medium producere

De-

Decreta Conciliorum, & Pontificum, in quibus de hac Liturgia Gallicana mentio fiat. Quare non moleſte feret, nos adverſus ſe colligere, quod ipſe in rigidum hunc Lutheri ſectatorem colligit, ſcilicet jactatam Miſſam ſuam Gallicanam opus eſſe alicujus Epiſcopi privati, neque unquam communem in Galliis uſum habuiſſe. Nonne ipſe quoque fatetur, Miſſam ſuam Turonenſis, vel alterius Gallicanæ Eccleſiæ propriam fuiſſe? *Ex quo ſuſpicor, hoc Miſſale vel Turonenſis, vel alterius Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe, Sancto Martino ſpecialiter dedicatæ.* *Bona ibidem art. 6.*

Objectio ſecunda diſpellitur.

Certiſſima, inquiunt, nota, quam Gallicanæ Miſſæ afferat nobis Hilduinus Abbas, eſt, in ea mentionem fieri tormentorum Martyrum, Sanctorumque virtutum, & prodigiorum: *Cujus rei in Miſſa Illyrici ne minimum quidem veſtigium extat.* Ceterum tormenta hæc, & præclara Sanctorum facinora in Præfationibus præſertim Gallicanæ Miſſæ narrabantur. Atqui ex Bonæ ipſius confeſſione, in hac Miſſa Latina *deſunt Introitus, Collectæ, Epiſtola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfationes, Communio, & Poſtcommunio.* Qua igitur ratione propugnare poteſt eruditus Criticus hic, in hac Latina Liturgia iſtorum omnium mentionem non fieri, ſi Præfatione caret? Nonne Flaccus Illyricus quærere ab illo poſſet: *Quo teſte, quove argumento id probet*, in Miſſa Latina, ab ipſo vulgata, de Martyrum ſuppliciis ſermonem interjectum non fuiſſe? Si Præfatio hæc non extat, ecquis ſcire hominum poteſt, quid in ſe ſe contineat? *Bona ibidem art. 3.* *Bona ibidem art. 2.*

Reſponſum argumenti tertii.

Miſſa Latina, a Flacco Illyrico vulgata, eadem eſt, ac Miſſa Eccleſiæ Romanæ. Hoc loci fit Synopſis hujus Liturgiæ.

Ut argumento huic perſpicue obviam eamus, & liqueat, anne Miſſa Latina eadem ſit, atque illa, qua nunc utitur Occidens, ut Vvicelius, Bona, aliique credidere, nihil magis in rem eſt, quam huc afferre quoſdam Ritus Miſſæ hujus, qui ab Ordine Romano longe abſunt.

Præparatio Sacerdotis, atque alii Ritus uſque ad Canonem.

Antequam Epiſcopus vel Sacerdos induat veſtes Sacras, quamplurimas fundit preces. Statim *flexis genibus coram altari dicat ſeptem Pſalmos Pœniten-*

nitentiales, cum Litania; deinde *Pater noſter*, *Credo in Deum*, & Orationes alias non paucas. Poſt quas manus lavat; atque exuit quotidianas veſtes. *Cum ſe exuerit quotidianis veſtibus, dicat: Conſcinde Domine &c.* atque in unoquoque Ornamento ſacro ſumendo peculiarem recitat Orationem, interim dum Clerus hoſce Pſalmos canit:

Quam dilecta Tabernacula &c.
Benedixiſti, Domine, terram &c.
Inclina, Domine, aurem tuam &c.
Fundamenta ejus in montibus &c.
Domine Deus ſalutis meæ &c.
Credidi propter quod locutus ſum &c.
Memento, Domine &c.

Epiſcopus, vel Sacerdos amictus veſtibus omnibus ſacris, orationem quandam, & Confeſſionem privatim dicit: *Domine Deus omnipotens &c.* & plures alias precationes, orationeſque adjungit, quibus abſolutis, thus ponit in Turibulo, atque Evangelium oſculatur. *Cum egreditur de Sacrario*, nonnullas preces huic rei conſentaneas pronunciat. Ritu ſupplicationis ad Altare ducitur, dum canitur Pſalmus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit &c.* quem ſequitur alia Oratio.

Cum pervenerit ad Altare, ſubmiſſa voce *Confeſſionem* facit, Miniſtris Abſolutionem impertitur, multaſque preces fundit. *Deinde in eodem loco Presbyteris illum ducentibus, & Diaconis, præbeat oſculum pacis, ipſique poſt acceptam pacem ab Epiſcopo, ſinguli aſcendant ad cornu altaris, oſculantes illud. Et redeant Presbyteri ad ducendum Epiſcopum ad Altare, & in aſcendendo, dicat hanc Orationem, Dominus vobiſcum &c.* Poſtquam aſcendit ad Altare, incipit Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei &c.* additque Pſalmum: *Judica me Deus &c.*, quem excipit Oratio ſatis prolixa. Poſtea Evangelium ſalutat, atque Altare, quaſdam Orationes recitans, oſculatur.

Hoc loci Sacerdos ter ſecretò facit Confeſſionem ſuam. Primam hoc pacto: *Suſcipe confeſſionem meam, unica ſpes ſalutis meæ &c.* Secunda ita incipit: *Sed nunc, Domine, prævenio faciem tuam in Confeſſione &c.* In tertia hæc Deo loquitur: *Ego miſer & peccator, qui me præ omnibus Chriſtianis ſceleratiſſimum puto, & ſcio, confiteor Domino &c.* Tres haſce Confeſſiones comitantur duodecim Orationes prolixæ, quo tempore Clerus canit *Kirie Eleiſon, & Gloria in Excelſis &c. Finita Angelica Laude*, legimus in Sacramentario, *Miſſalem Orationem dicat Sacerdos, deinde lectio recitetur, atque inter Lectionem, & Evangelium, ideſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac ſequentiæ, Epiſcopus dicat has Orationes:* hæ autem ſunt duodecim. Quo in loco animadvertenda ſunt hæc verba,

ba, *Miſſalem Orationem*, ſcilicet eam, quæ Feſto congruit, *ac ſequentia*, quæ ſignificant Graduale, vel Pſalmum, qui in Miſſis omnibus canebatur. Epiſcopus deinde orat pro ſemetipſo, pro quacunque alia neceſſitate, & pro omnibus ſibi ſubditis.

Expleto Symbolo, Sacerdos extollit manus, dicens: *Largire ſenſibus noſtris &c.* duaſque alias Orationes, dum canitur *Offertorium*. *Cum autem ornatum fuerit Altare, antequam oblationes accipiat, has Orationes humillime ante Altare, ſe flebiliter accuſans, dicat. Ante oculos tuos Domine &c.* quam precationem ſequuntur quinque aliæ, poſt quas oſculatur altare, dicens: *Oro te Domine &c.* Quæ verba *cum ornatum fuerit Altare*, ſignificant fortaſſe, expandi conſueviſſe ſuper Altare id, quod vocamus *Corporale*, aliaque parari, quæ Sacrificii Sancti celebrationi conferre debebant.

Tunc convertat ſe, ait Rubrica, *ſuſcipere Oblationes Presbyterorum, aliorumque*, quæ fiebant pro ſemetipſo, pro Rege, pro Epiſcopo, pro Clero, pro Populo Chriſtiano, his verbis: *Tibi, Domine, Creatori meo offero Hoſtiam placationis, & laudis pro me, & pro Rege noſtro, & Clero noſtro, & pro cuncto populo Chriſtiano. Peto Domine, ut des nobis vitam æternam.* Sacerdos, ſuſcipiens oblationem, dicebat. *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præſta, ut in conſpectum tuum placens aſcendat.*

Abſolutis Oblationibus, Subdiaconus offert Hoſtiam Diacono, hicque Sacerdoti. *Accipiens a Diacono dicat: Acceptabilis ſit omnipotenti Deo Oblatio tua &c.* Sacerdos vero, offerens Hoſtiam Deo, recitat Orationes duas, aliaſque multas. Prima vocatur *quotidiana, & generalis*, quæ incipit: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem &c.* poſtea duas dicit *pro ſemetipſo*, & proſequitur oblationem Hoſtiæ tribus Orationibus, quæ in hac Liturgia vocantur: *Apologiæ Sacerdotis* *, in quibus denuo peccata ſua confitetur: *Suſcipe confeſſionem meam &c.* Deinde multas ſubtexit Orationes: primam *Pro Familiaribus, ac Fratribus, & Sororibus*. Secundam *Pro Rege, & Populo Chriſtiano*. Tertiam *Pro Eccleſia Catholica*. Quartam *Pro ſalute vivorum*. Quintam *Pro Infirmis*. Sextam, Septimam, & Octavam *Pro Defunctis*. Poſtremam, & generalem pro Orbe univerſo. Orationes hæ omnes incipiunt ab his verbis: *Suſcipe Sancta Trinitas &c.* Quibus precibus abſolutis, Sacerdos ponit in Altari Hoſtiam, quam uſque adhuc præ manibus habuerat, dicens: *Sanctifica Domine hanc oblationem &c.*

* *Apologia*, inquit Menardus *in notis in Lib. Sacram. S. Gregorii, idem eſt ac excuſatio, & purgatio, qua Sacerdos excuſat ſe, eo quod indignus ad tam veneranda, & tremenda myſteria accedat.* Veteres Gloſſæ MSS. *Apologia, vel Apologeſis; excuſatio.*

Ad hæc fit Oblatio Calicis, thus adhibetur Altari, ſed precibus longe pluribus, quam quæ in Miſſa Romana recitantur. Sacerdos vertit ſe ad Populum, dicens: *Orate pro me peccatore. Tunc reſpondetur ei a ſingulis: Suſcipiat Omnipotens Deus de manibus tuis Sacrificium. Fundat pro ſemetipſo hanc Orationem ante ſecreta: Domine Jeſu Chriſte &c.* Et rurſus ſe Deo alia Oratione commendat.

Deinde cum ſumma reverentia, ita habet Sacramentarium, *incipiat: Te igitur &c. & Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent illos Pſalmos, uſque dum Te igitur finiatur*. Pſalmi ſunt iſti, quos aliæ preces ſequuntur.

Exaudiat te Dominus, &c.
Ad te, Domine, levavi animam meam &c.
Miſerere mei, Deus, ſecundum &c.
Domine refugium &c.
Qui habitat in adjutorio &c.

A Canone uſque ad finem Miſſæ.

Quod ſingulare eſt in Canone hujus Miſſæ: 1. In Oratione *Communicantes &c.* nulla mentio fit Mariæ Virginis, Apoſtolorum, vel Martyrum; ſed alibi pluribus in locis hujus Liturgiæ. 2. Poſt hæc verba: *Æterno Domino vivo, & vero*, quæ præcedunt *Communicantes* in Miſſa Romana, cum urget aliqua neceſſitas, in hac parte Canonis additur hæc precatio: *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præſenti &c.* deinde Sacerdos addit: *Memento cunctorum ſua mihi peccata confitentium*; quod alibi quoque repetit. Sacerdos poſtea recitat Orationem *pro ſemetipſo*, atque aliam pro iis, pro quibus orare debet; quibus adjungit duas alias, alteram *pro ſalute Vivorum*, atque alteram *pro requie Defunctorum*.

3. Poſt hæc verba Liturgiæ Romanæ, *Nobis quoque peccatoribus*, in quibus petimus *donari nobis partem, & ſocietatem cum ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, cum Joanne, Stephano &c.* In Miſſa Latina nihil horum legitur, neque ulla Benedictio ex iis, quæ ſunt in Ordine Romano.

4. In univerſo Liturgiæ hujus Canone nunquam memorantur Apoſtoli, vel Martyres; niſi duobus his verbis: *Et Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum &c.*

5. Quamvis in Canone Miſſæ Romanæ adnotatum ſit, Sacerdotem efformare ſuper Hoſtiam, & Calicem ſeptemdecim vicibus ſignum Crucis, nullum tamen hujus rei in Miſſæ noſtræ Canone veſtigium eſt.

6. Audi Rubricam ſatis ſingularem. *Non mittat Epiſcopus in Calicem* par-

partem oblatæ, ut presbyteri ſolent, ſed expectet, donec finita benedictione Epiſcopus communicare debeat. Et tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenenſque ſuper Calicem, immittat, dicens: Sacri Sanguinis commixtio &c. Poſtquam autem preces multas, dum ſuſcipit Corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti, protulit: *Deinde Presbyteris, & Diaconibus, Corpus in manus accipientibus, ac communicantibus, dicitur ſingulis: pax tecum. Subdiaconibus autem, ac alio Clero communicet...... Populo quidem communicando dicat: Corpus & Sanguis Domini &c.*

7. Nihil in hac Miſſa *de Agnus Dei.* Sacerdos etenim, tributo adſtantibus Corpore Dominico, recitat Orationes multas, iiſque expletis, Diaconus ait: *Ite, Miſſa eſt*; neque Evangelium S. Joannis recitatur. Denique pleræque Canonis partes non ſunt omnino eadem ratione diſpoſitæ, atque in Miſſa Romana, & conſtant pluribus Orationibus, aliterque rem exprimentibus.

Quæ cum ita ſint, non video, cur ii, qui tantiſper animum attenderint hucuſque dictis de Ritibus Miſſæ Latinæ, perſpecturi ſint in ea cum Vvicelio, & Bona Liturgiam Romanam; verumque eſſe poſſit, hanc eandem eſſe, ac illam, qua utitur in hanc diem. *Quid enim ibi*, inquit prior, *niſi Miſſam Latinam, quæ hodie in uſu generali eſt ..... eadem omnino eſt cum uſitata. Miſſa Illyrici*, ſubdit alter, *a Romana non differt, immo eadem eſt.* Nullius ſane frugis eſſet, affirmare ex utriuſque Scriptoris mente, nullum aliud diſcrimen eſſe inter haſce Liturgias; *niſi quod locupletior eſt illa quidem, pluſque precum continet.* Quamvis autem hæ duæ Miſſæ in omnibus uſque ad Canonem convenirent, quod tamen non eſt, ut ex dictis apparet; quis tueatur, partem aliam, quæ præcipua eſt, atque ad Miſſæ naturam pertinet, non differre in his duabus Miſſis? Lectoris judicium ſit. *Bona ibidem.*

Illud unum ſubjiciam, Menardum, poſtquam contulit Canonem Miſſæ Latinæ cum Canone Liturgiæ S. Gregorii, hæc memoranda verba proferre: *Porro in Miſſa, ab Illyrico edita, Canon in multis a Canone communi multum diſcrepat.* Quod probat, enumerando diſſimilia utriuſque Canonis loca. *Menard. Not. in Lib. Sacram. S. Greg. pag. 16.*

Bona quoque veteris hujus Miſſæ prolixitatem admodum exagerat. *Abhorrent*, inquit, *plerique a prolixitate.* Sed Myſteriorum Sanctorum celebratio brevior ne erat S. Gregorii ætate? Cognoſci res poterit ex his memorandis S. hujus Pontificis verbis. *Tantiſque Podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam, Miſſarum Solemnia celebrare.* *Bona ibidem art. 4.* *Greg. lib. 8. Epiſt. 35.*

Liturgiæ Sanctorum Baſilii, & Joannis Chriſoſtomi fere nihil breviores Latina ſunt, & tamen D. Proclus nos docet, Sanctos Doctores iſtos,

X 2 Li-

Liturgiæ prolixitatem faſtidientium ...... redactam in compendium Eccleſiæ recitandam exhibuiſſe. Quæ quidem habet de S. Baſilio: de S. vero Joanne Chryſoſtomo, ſubjungit, *cum multa ſuſtuliſſe, brevioremque peragendi modum perſtrinxiſſe*. Quarto igitur ſæculo Liturgia Græca non poterat non eſſe longior multo, quam Latina; quoniam hæc nihilo ferme eſt illa prolixior, etſi a Sanctis Baſilio, & Joanne Chryſoſtomo non parum contracta fuerit.

Proclus Conſt. de Trad. div. Liturgiæ.

§. III.

Judicium Thomaſii, & Mabillonii de Miſſa Latina.

CONveniunt Litterati Viri iſti cum Bona, & Vvicelio, Miſſam Latinam a Flacco Illyrico typis commiſſam, nihil aliud eſſe, niſi Miſſam ſolemnem, vel Pontificalem, ex ritu Romano peractam; qui ab illa in eo uno diſcrepat, quod Epiſcopus ſecundum hanc recitat Orationes multas privatim, dum Chorus canit Introitum Miſſæ, *Kirie Eleiſon*, *Gloria in Excelſis &c. Graduale*, Symbolum Apoſtolorum, & *Sanctus &c. Ordo ille Illyricianus*, inquit Mabillonius, *Miſſam Pontificalem continet ſecundum Ritum Romanum, & quidem nihil aliud fere, quam Orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, dum Chorus canendo occupatur*. Locus hic duas rurſus movet difficultates, quarum prima eſt, *Miſſam Latinam* ſolemnem eſſe ſecundum ritum Romanum; alia vero eam ab hac non diſcriminari, niſi in precum numero, ab Epiſcopo recitandarum, dum Chorus canendo occupatur.

Mabill. de Liturg. Gall. l. 1. c. 1. Thomaſius Cod. Sacram. Præf.

Quidquid attinet ad primam difficultatem, in ſequentem articulum differamus, in quo ſpero me probaturum, inter certiores notas vetuſtatis Liturgiæ, a Flacco Illyrico in medium productæ, eſſe Ordinem hujuſmodi, qui Miſſis duntaxat ſolemnibus, & magnifice celebrandis accomodatur. Quod igitur eſt Orationum, & precum Miſſæ Latinæ, quæ cenſentur veluti adjectæ Ordini Romano, extra controverſiam puto, eas, tanquam graviſſimas partes, ad Liturgiam Latinam pertinere: neque unquam reperies, alicubi ſignificare Sacramentarium hoc, libitum fuiſſe Sacerdoti eas recitare, vel prætermittere; contra vero ubique cogitur ad eas dicendas, uti nos monent hæc ſenſa: *Has adnectat preces*. *Has Orationes interim dicat*. *Epiſcopus dicat has Orationes*, dum Clerus canit Introitum Miſſæ, *Gloria in Excelſis*, *Graduale*, & reliqua.

Quem latet, omnes veteres Liturgias, quæ ad nos uſque pervenerunt, uti Mozarabicam, Ethyopicam, eam, qua utebantur priſci Malabares, quæque reſecta fuit anno 1599. ab Indorum Primate, redundare hujuſmodi

modi precibus, quæ nunquam habitæ ſunt inſtar rerum additarum, ſed inſtar partium Officii publici, quæque nihil minus ad Liturgiarum iſtarum ritus ſpectant, quam ſpectent Orationes aliæ a Sacerdote recitandæ? Ad judicium revoca Liturgias SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, atque in iis deprehendes preces multas, quas Sacerdos proferre debet, dum Clerus canit *Introitum*, Hymnum, quem Græci *Sanctum* appellant, aliaſque Miſſæ partes.

Incumbit ne Choro aliquid canere ab *Offertorio* expleto ad Præfationem uſque? Nihiloſecius præter Orationes tres deſignatas, quas Sacerdos proferre debet tempore *Offertorii*: *Tamdiu autem, quamdiu Offertorium, & verſus canuntur, has dicat Orationes*: alias ſex addit, antequam Oblationes admittat: *Has Orationes humillime ante Altare, ſe flebiliter accuſans, dicat*: Sed quod majori animadverſione dignum eſt, poſtquam Aſtantes, ſive Eccleſiaſtici, ſive alii Oblationes ſuas detulerant, quo tempore Sacerdos preces multas recitabat; ipſe per ſeſe Hoſtiam offerebat, & quindecim Orationes Deo fundebat, quibus abſolutis: *Tunc imponat oblatam Altari, & dicat: Sanctifica Domine &c.*

Nonne refert etiam Liturgia hæc preces quamplurimas, quas Sacerdos & Miniſtri recitare debent, dum thus Altari adhibetur, vel Sacerdos orat pro populo? Poſt hunc Orationum numerum: *Tunc incipiat Secreta, quibus finitis, & Præfatione dicta, quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus decantant, hæc Oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote*. Dices ne igitur, in Miſſa Latina nihil eſſe, in quo ab Ordine Romano diſtinguatur, niſi Orationes privatas, ab Epiſcopo recitandas, dum Chorus Cantu diſtinetur? Cum interea ab Offertorio uſque ad Præfationem recitentur Orationes pluſquam quadraginta, partim longæ, partim breves, licet tum Chorus nihil canat.

In numerum quoque rediges Orationum, quæ *Miſſam Latinam* amplificent, eas, quæ Sacerdos recitat ab initio Canonis uſque ad finem? Vel id Eruditi noſtri fateantur neceſſe eſt, vel deſerant principium ſuum: *Nihil aliud forte, quam Orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, dum Chorus canendo occupatur*. Siquidem Canonis ſpatio Chorus Pſalmos multos canit: *Deinde*, ait Sacramentarii hujus Rubrica, *cum ſumma reverentia incipiat; Te igitur &c. & Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis, cantent iſtos Pſalmos, uſque dum: Te igitur &c. finiatur.*

Exaudiat te Dominus &c.
Ad te, Domine, levavi animam meam &c.
Miſerere mei, Deus, ſecundum &c.
Domine refugium &c.
Qui habitat in adjutorio &c.

§. IV.

§. IV.

Objecta Menardi adverſus Miſſæ Latinæ *antiquitatem.*

Menardus in Notis ad Lib. Sacram. S. Greg. p. 381. & 383.

MEnardus, duabus fultus conjecturis, probare nititur Miſſam Latinam, a Flacco Illyrico vulgatam, ad X. circiter ſæculum pertinere. Conjecturam primam ſtatuit in duobus MSS. Codicibus, quos edidit in fine Sacramentarii S. Gregorii, inſcripſitque: *Codex Ratoldi, & Codex Tiliani.* Ille exaratus fuit, inquit, anno 986. hic vero anno 1032. Qua poſita animadverſione in hunc modum argumentatur. Multa ſunt in Liturgia, publici juris facta ab hoc Heterodoxo, quæ inſtituta ſunt multo poſt S. Gregorium, quæque non ſunt in MS. Ratoldi Abbatis Corbienſis; ſunt autem in MS. deprompto ex Bibliotheca Tiliana, quod longe poſt aliud conſcriptum fuit. Unde colligere ſe poſſe dicit, *Miſſam Latinam* compoſitam fuiſſe quinquaginta annorum ſpatio, qui inter duorum MSS. Epocam fluxerunt.

Ego vero non crediderim argumentum hoc magni ponderis eſſe. Negotium hic non eſt de tempore, quo Liturgiæ iſtæ conſcriptæ fuerunt, ſed de tempore, quo confectæ; & tamen doctiſſimi hujus Benedictini conjectura petita eſt a tempore Scriptoris. Præterea ubi nam reperis, Liturgiam aliquam minus vetuſtam eſſe quam alia, quia novum aliquem ritum præfefert? Nonne patet, id Operum genus ſucceſſu temporum creſcere, & ſecundum loca, atque homines additamenta multa ſuſtinere? Præterquamquod in ſpem non mediocrem ducor, fore, ut oſtendam Menardo, Miſſam utramque, de quibus loquitur, licet ſæculo X., atque XI. ſcripta ſit, vetuſtiorem tamen eſſe.

Menardus ibid.

Ter reperimus, ſubjungit Menardus, in Miſſa Flacci Illyrici Litteram N. quæ plerumque loco nominum propriorum deſignatur; *cum tamen*, ut adnotare pergit, *hac figura uti cœperint Scriptores paullo ante annum poſt Chriſtum natum milleſimum.* Ex quo inferre poſſumus, Miſſam hanc ante illud tempus lucubratam non fuiſſe.

Mabill. de Liturg. l. 1. c. 3.

Ut objectum hoc de medio tollamus, conſiderandum eſt, Mabillonium propugnare Tomo V. de Geſtis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & non multi Operis eſſet illud compluribus etiam MSS. aſſerere, Litteram N. uſu receptam fuiſſe ante annos octingentos, ut per eam nomen proprium indicarent; cum antea ponerent *Ill* cum linea ſub ipſo, quaſi diceret *Ille*, vel *Illa*: atque ita videre eſt in formulis Marculphi, & in vetuſtis MSS. Licet igitur concludere cum Mabillonio, expendente Menardi conjecturas, hunc *quædam in contrarium opponere, ſed quæ rem non evincunt.*

Si

Si igitur *Miſſa Latina*, ut hactenus oſtendere curavi, vetus Gallicana non eſt; ſi differt a Romana; ſique eruditi Scriptores omnes, quorum ſenſa retulimus, decepti ſunt de natura atque uſu hujus Miſſæ: quodnam eſt igitur ingenium ejus, inquiet aliquis? Quando nam confecta fuit? Quando nam adhibita ab Eccleſia? Equidem poſtquam diligenti lance hanc Liturgiam ſuſpendi, mihi videor videre, eam non modo vetuſtiſſimam eſſe, ſed fontem, atque originem Miſſarum omnium Latinarum; atque Eccleſiam Romanam ea uſam fuiſſe, antequam Gelaſius Papa, & D. Gregorius Romanum Ordinem inſtituerent. Statim autem aperio, me ajentibus argumentis ſuper re hac carere, & tantummodo conjecturas in medium producere, quas Eruditorum cenſuræ libenter ſubjicio.

ARTICULUS V.

De antiquitate Miſſæ Latinæ, *ab Illyrico Flacco vulgatæ.*

§. I.

De Miſſa Solemni, primis Eccleſiæ ſæculis uſitata.

THomaſius & Mabillonius in ea opinione ſunt, ut credant *Miſſam Latinam* eſſe Miſſam ſolemnem, ex Ritu Romano celebratam. Atqui hoc idem principium in cauſſa eſſe poteſt, ut inferamus, eam in uſu fuiſſe ſæculo IV., vel V. ineunte. Quid nanque eſt Miſſa *Pontificalis, Solemnis, Canonica, Capitularis, Publica*, vel *Generalis* (hæ voces etenim in idem recidunt) niſi ea, quæ antiquitus canebatur, & celebrabatur magno ceremoniarum, & Miniſtrorum apparatu, cui Clerus univerſus intererat; ſinguli ex ordine muneribus ſuis fungebantur; & populus aſtabat, offerebat ad Altare, & Sacræ Euchariſtiæ particeps erat. Hæc omnia neceſſaria ſunt, ut ideam illam perficiamus, quam Patres de Solemni Miſſa, ante ſæculi IV. finem celebrata, nobis tradiderunt.

Sancti Juſtinus, Cyprianus, aliique quatuor priorum ſæculorum Patres, locuti ſemper ſunt de Myſteriorum ſacrorum celebratione, tanquam de Re publica, & ſolemni, quæ coram univerſo Clero, & populo de Sacrificio participante, peragenda erat: neque unquam aliter, niſi urgente neceſſitate, fiebat. *Juſtinus Apol. 2. Cyprian ſerm. de Lapſis.*

Conſtitutiones Apoſtolicæ deſcribunt nobis Liturgiam Sacram, inſtar magni, & frequentis Cœtus, conſtantis Epiſcopo, Preſbyteris, Diaconis; *Conſtit. Apoſt. Lib. 8. c. 10. 11. 12. 13.*

Sub-

Subdiaconis, Clero, omnibuſque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus. Ab Epiſcopo ad Clericorum infimum ſinguli munere ſuo fungebantur, & in tanti Sacrificii partem veniebant Epiſcopus, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, & ceteri Chriſtiani. Traditio hæc initium ducit a Chriſto Domino, qui Euchariſtiam inſtituit coram Apoſtolis, qui tum Eccleſiam omnem referebant, & ſinguli participes fuerunt. S. Paulus ad Corinthios ſcribens ea, quæ a Chriſto Domino didicerat, & D. Lucas in Actis Apoſtolicis nullam aliam nobis Rei Divinæ imaginem exibent, niſi conventus Fidelium omnium congregati *in participatione fractionis panis*.

Bona Rer. Liturg. l. 2, c. 17. art. 2.

Animadvertit Bona, quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis fas nemini fuiſſe, Divinis Myſteriis intereſse, qui pariter offerre, & Sacrificio communicare non poſſet. Quod exprimitur in aliquibus Miſſæ Orationibus, in Canone, & *Poſtcommunione*. *Supplices rogamus, ac petimus: Hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ offerimus præclaræ majeſtati tuæ &c. Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt &c. Quod ore ſumpſimus, Domine, pura mente capiamus &c. Satiaſti familiam tuam muneribus ſacris*. Quæ verba pro certo ponunt, Aſtantes omnes non magis debuiſſe aliquid pro Sacrificio offerre, quam Euchariſtiam recipere. Idem mos nititur etiam cuidam Canoni Concilii Illiberitani, celebrati ſub IV. ſæculi initium, in quo dicitur: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*. Quæ verba ſignificant, tum opus fuiſſe, ut communicaret, qui jus haberet offerendi ad Altare; & rem utramque dividi nullo modo potuiſſe.

Concil. ibid. an. 28.

Eadem conſuetudo tam firmiter ſervabatur, ut cum irrepſiſſent quidam mali uſus ineunte ſæculo IV. Concilium Antiochenum II. Julio I. Pontifice celebratum anno circiter 336. juſſerit, Fideles omnes communicare debere; & ſi qui detrectent, ejiciendos eſſe ab Eccleſia, atque a Fidelium communione removendos. Octavus Canon Apoſtolorum idem de Clericis decrevit: *Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut alius Ordinis Eccleſiaſtici, oblationis factæ particeps non extiterit, cauſam dicito. Et ſi juſta fuerit, veniam conſequatur; ſin minus, a conſortio ſegregetur, ut author offenſionis factus populo, & ſuſpenſionem præbens in offerentem.*

Conc. Tolet. 1. can. 5. ann. 400.

Patres primi Concilii Toletani, anno 400. coacti, ſequens Decretum ediderunt: *Preſbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra Civitatem, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, aut Caſtello, aut vico, aut villa, ad Eccleſiam ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit, Clericus non habeatur*. Simile autem vero fit, Canonem hunc ſermonem habere de Miſſa Solemni; quoniam jubet, ut cujuſcumque ordinis Clerici interſint.

§. II.

§. II.

Miſſa Latina *confecta fuit ſub exitum ſæculi IV. vel initium V.*

NUllum eſt firmius de Liturgiæ hujus antiquitate argumentum, quam quod eruere poſſumus e ceremoniis Miſſæ Solemnis, quæ in *Miſſa Latina* accuratiſſime ſervatæ fuerunt. Sunt autem hujuſmodi. *Pſalmos interim dum paratur Epiſcopus, circumſtantes Clerici cantent. Cum proceſſione egrediens. Preſbyteris illum ducentibus & Diaconis præbeat oſculum pacis. Accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblata.* Clerici igitur, Preſbyteri, Diaconi, & Subdiaconi aderant, & miniſteria ſua exercebant. Deinde in ea legimus, ſæpe thus adhiberi ad Altare; magnificas fieri ceremonias, & complures preces recitari. Demum non paucas Miſſæ partes ſolemniter cani.

Duo Ritus, qui Miſſæ Solemnis ſæculo IV. naturam veluti conſtituebant, in *Miſſa Latina* perſpicue reperiuntur. *Miſſa publica dicta eſt, non a loco, quia olim in cryptis, ab ditiſque locis ajebatur, ſed a conventu populi circumſtantis.* Ritus primus eſt *Oblationes*: *Tunc convertat ſe ſuſcipere oblationes Presbyterorum, aliorumque*, nimirum Aſtantium, qui communicare tenebantur; atque hæc fortaſſe præcipua eſt Miſſæ Solemnis nota. *Deinde*, ait Ordo Liturgiæ hujus, *Preſbyteris, & Diaconibus Corpus in manus accipientibus ac communicantibus, dicitur ſingulis: Pax tecum.* Tum Subdiaconi, & reliqui e Clero communicabant. Poſtremo populus univerſus. Subdiaconi, Clerici, & Fideles ſub utraque ſpecie communicabant, ut monent verba, utriſque ab Epiſcopo prolata: *Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi ad vitam æternam; vel ſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam.*

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 13. art. 3.

Ecce, ut mihi videor, quo pacto *Miſſa Latina* complectitur ceremonias omnes, quæ in ſolemni Miſſa primis Ævis exercebantur; & præ ceteris Oblationem ad Altare, & totius Cleri & Populi Communionem, quæ Miſſæ publicæ naturam efficiunt; ut aliqua ratione affirmare poſſimus, id Miſſæ Solemnis genus ab initio V. ſæculi obſoleviſſe, quandoquidem deſiit omnino neceſſitas offerendi, ut jus ad Communionem acquireretur: licet ſæculis inſequentibus ad noſtra uſque tempora Miſſarum publicarum, & ſolemnium uſus extiterit. Quod attinet ad reliquos Ritus, ætatibus poſterioribus Clerus tantummodo in Miſſa Solemni particeps erat Sacramenti; quod demum ad Diaconi & Subdiaconi Communionem contractum fuit; idque moris eſt ſolum in

aliquibus Baſilicis, Urbis Romæ in iis autem, in quibus conſuetudo hæc omnino defecerat, eam Pontifices Summi iterum revocarunt; ut Rituum veteris Eccleſiæ memoria non periret. Opinio eſt, Lugduni & Viennæ veſtigia aliqua perſeverare Miſſæ Solemnis, cui Clerus univerſus intererat.

Ut argumentum iſtud in ampliſſima luce collocemus, meminiſſe oportet, voces iſtas *Oblatio*, *& Communio* eſſe ambiguæ ſignificationis. Utraque enim dupliciter intelligi poteſt. Oblatio primo ſignificat quidquid Fideles publice ad Altare offerebant, ſive adhibendum eſſet in Sacrificio, uti panis & vinum, ſive inſumendum in victu, veſtituque Miniſtrorum, ſive erogandum pauperibus, atque aliis rebus hujuſmodi. Quod Oblationum genus Concilia ſæpe ſanxerunt; quoties Fidelium charitas ſuper hac re deferveſcebat. *Statuimus*, inquiunt Patres Concilii Matiſconenſis, celebrati anno 585. *ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus Viris, & Mulieribus offeratur tam panis, quam vini.* Secundo *Oblatio* interpretatur revera pro pane, & vino, quem Fideles ad Altare offerebant, ut ex eis Euchariſtia conficeretur, atque hæc Oblatio jus communicandi tribuebat.

Concil. Matiſc. II. cap. 4.

Duo pariter *Communionis* genera diſtinguebantur. Alia enim erat participatio cum Fidelibus; quique hoc Privilegio gaudebant, adeſſe poterant conventibus eorum, ſocietate lætari, & publicis precibus aſſiſtere: at hoc *Communionis* genus jus non afferebat ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Alia, quæ revera appellanda *Communio* eſt, ſita erat in ſumptione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti. Porro iis tantummodo, qui panem & vinum pro Sacrificio offerebant, jus erat Communicandi hoc ſecundo modo, ut decernit Concilium Illiberitanum. *Epiſcopum placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Et carebat facultate offerendi ad Altare, quicumque Euchariſtiam non accipiebat.

Quæ omnes animadverſiones colligere nos monent, *Miſſam Latinam*, ut ſerius, confectam fuiſſe ſeculo V. ineunte, quo tempore Clerici & Fideles omnes, Divinis officiis adſtantes, tenebantur communicare, indicta pœna ſeparationis a ſocietate Fidelium, ut ſtatuunt Canones a nobis laudati: & nemo poterat Oblationem ferre ad Altare, niſi communicaret, ut ſancitum eſt in Concilio Illiberitano. Quod ſi hi duo Ritus Miſſæ Solemnis poſt ſæculi V. initium obſoleverunt, certum eſt *Miſſam Latinam* ante illud tempus deſcriptam fuiſſe. Neque enim apparet, eos Ritus in Liturgia uſui publico propoſita firmari potuiſſe, qui tum amplius non obtinerent. Pontifices quidem, & Concilia edere Decreta poſſunt ad diſciplinam reſtituendam, atque in dignitate priſtina collocandam;

ſed

ſed Liturgiæ Ordo innititur uſui præſenti Rituum, qui ſtatuuntur, non vero moribus iis, qui jam deſueverunt.

§. III.

Efficitur teſtimoniis Patrum, conſuetudinem fuiſſe primorum Eccleſiæ ſæculorum, offerre & communicare ſingulis diebus in Miſſa Solemni.

NON eſt multi operis efficere teſtimoniis Patrum Eccleſiaſticorum; morem offerendi, & communicandi quotidie ſub initium ſæculi V. nondum omnino ceſſaſſe. Sanctus Hieronymus ait: *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo*: atque ex eodem Patre non abſimilis erat Eccleſiarum Hiſpanicarum conſuetudo. S. Auguſtinus nos docet, in Africa Fidelium opiniones utroque trahere: & D. Ambroſius Chriſtianos hortatur; ut quotidie communicent; ſed id vitæ genus inſtituant, quo gratiæ hujus indigni non efficiantur. Mos Fidelium communicandi Miſſæ illi, cui itererant, in Oriente deſiit ante ſæculum V. ut conjicere poſſumus ex his Chryſoſtomi verbis: *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus Altari; nemo eſt, qui participet*; nec non ex dictis Athanaſii, aliorumque Patrum Græcorum, qui haud raro de exiguo eorum, qui ad divinam menſam accedebant, numero conquerebantur. *

Hieron. Ep. 50. ad Pammach. Item Ep. 28. ad Lucinum Batic.

Auguſt. Ep. 118 ad Januar. Ambroſ. c. 5. de Sacram.

Chryſoſt. Tomo 3. in Epiſt. ad Eph. item hom. 61. ad Pop Antioch.

Cum itaque uſus percipiendi Euchariſtiam in dies ſingulos ceſſaverit initio V. ſæculi, alius quoque offerendi ad Altare publici Sacrificii tempore ademptus eſt; quoniam ii, qui panem, & vinum pro Sacrificio non deferebant, ex Canone Concilii Illiberitani poteſtatem communicandi non habebant. Dicendum eſt itaque, antehac *Miſſam Latinam* extitiſſe, in qua reperimus ceremonias omnes, quæ Miſſam Solemnem conſtituunt; ſcilicet Preſbyteros, Diaconos, Clerum omnem, & populum aſtantes, offerentes, quotidie ad Sacrum Epulum accedentes, ut exprimitur in Oratione quadam Sacerdotis poſt Communionem: *Obſecro . . . . ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conſcientia polluta nomen ſanctum tuum præſumo invocare, Corpuſque filii tui & ſanguinem*

* Pietas Fidelium, atque ardor erga auguſtum Altaris Sacramentum deferbuit adeo in Galliis; ut Patres II. Concilii Turonenſis, congregati anno 566. decreverint: *Ter ſaltem in anno communicare. Can.* 50. Denique cum Fidelium ſtudium ubique terrarum imminutum eſſet, ſancitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Chriſtianos omnes rationis compotes ſemel in anno expiandos eſſe noxiis ſuis, & divino cibo in Paſchate reficiendos.

indignus audeo accipere; utque ferebat conſuetudo ante ſæculum V. ſecundum veterum Eccleſiæ Patrum teſtimonia. *

Antequam autem finem facio diſputationis hujus, meminiſſe oportet, Miſſæ hujus Solemnis uſum locis, & temporibus reſpondiſſe. S. Juſtini ætate Dominicis tantum diebus Res divina celebrabatur; in qua participes erant Aſtantes cuncti, & Diaconi ad abſentes Euchariſtiam deferebant. S. Auguſtinus ait: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica Menſa præparatur, & de Menſa Dominica ſumitur. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur. Alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.*

Aug. Tract. 26. in Joann. Epiſt. 118.

Quæ diximus de Miſſa Solemni non tollunt priſcam conſuetudinem celebrandi Miſſas privatas, ubi unus tantum Clericus erat, qui eidem miniſtraret. Hæc nanque conſuetudo laude digna non eſt Chriſtiana ipſa Religione recentior, cum Apoſtoli, homines Apoſtolici, eorumque Succeſſores eam retinuerint, ejuſque perſpicua teſtimonia legi poſſint apud Tertullianum, Euſebium, Sozomenum, atque alios. S. Cyprianus memorat Sacrificium Miſſæ, quod ſæpe in Martyrum carceribus recolebant. Ex hiſtoria percepimus, S. Ambroſium Romæ feciſſe Sacrum in quadam domo privata; & S. Gregorium Nazianzenum Patrem in ſuo cubiculo, uti narrat S. Gregorius Nazianzenus. Ecce itaque privatæ Miſſæ vetuſtiſſimæ.

Tertull. L. de fuga in perſec. c. 14. Euſeb. l. 4. c. 17. de Vita Conſt. Sozom. Hiſt. l. 2. c. 8. Cyprianus Epiſt. 3. Gregor. Nazianz. Oratione 59.

§. IV.

Alia argumenta pro antiquitate Miſſæ Illyricanæ.

PErpetua fuit cujuſque ætatis conſuetudo, Sanctorum memoriam in Myſteriis celebrandis recolere, ut appareret, Eccleſiam militantem Triumphantis Eccleſiæ participem fieri. Hic tamen mos pro temporum ratione non unus fuit. Ab initio Eccleſiæ ad uſque ſæculum V. nullus Vir Sanctus de nomine vocabatur; ſed ſatis tum erat, invocaſſe Deiparam Virginem, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, aliosque Sanctos in univerſum, ut, ipſis intercedentibus, Deus Chriſtianorum preces admitteret. Quod cognoſcere poſſumus in Liturgiis omnibus,

* *Nobis certe omnis dies etiam vulgata conſecratione celebratur. Tertull. de Jejun. c. 14.* S. Cyprianus quoque loquitur de communione quotidiana, *Ep. 54. ad Cornel.* Amphilochius *in Vita S. Baſilii.* S. Petrus Chryſologus *ſerm. 5. Hic eſt Vitulus*, de Jeſu Chriſto diſſerit, *qui epulum noſtrum quotidie ac jugiter immolatur.*

quæ

quæ ad exordium uſque ſæculi V. exaratæ fuerunt *. In Liturgia S. Cyrilli Hieroſolymitani Sacerdos tantum dicit : *Hoc Sacrificium tibi offerimus, ut muneribus glorioſæ Virginis Mariæ, eorum, qui ante nos dormierunt, imprimis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum &c.* Memoria Sanctorum in Miſſa S. Baſilii hoc modo fit : *Cum primis Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Prædicatoribus, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, Doctoribus, & omni juſto Spiritu, qui in Fide conſummatus eſt. Præcipue cum Sanctiſſima illibata, ſuper omnes benedicta, Deipara ſemper Virgine Maria.* S. Joannes Chryſoſtomus eaſdem ferme adhibet voces in ſua Liturgia.

Ex quibus compertum habemus, quatuor prioribus Sæculis nullum nomen ad Altare proferri conſueviſſe ſingillatim, præter illius Sancti, de quo feſtum celebrabatur, præcipue ſi Martyr fuiſſet: neque enim tribus prioribus Sæculis Confeſſorum in Miſſæ Canone mentio fiebat ſingularis. In Canonem vero ſecundum Romanum Ordinem, qui incipiente Sæculo V. conſcriptus fuit, cœperunt inferre nomina Apoſtolorum, & Martyrum; atque exinde nulla Liturgia prodiit ſive ex Oriente, ſive ex Occidente, quæ Apoſtolorum, & multorum Martyrum nomina non complectatur. Autores Liturgiæ Mozarabicæ, quæ ante tempora S. Gregorii Papæ vulgata fuit, hujus quoque adjuncti obliti non ſunt. Idem cognoſcimus in quadam vetuſta Miſſa, a Menardo in publicum producta in fine Sacramentarii S. Gregorii, quæ titulum refert : *Miſſa vetus ex Codice Ratoldi*, & non poterat non eſſe antiquiſſima, quippe ſæculo IX. exſcripta ex MS. quod longe vetuſtius erat. Eandem rem animadvertimus in alia Miſſa, quam idem Autor appellat : *Miſſa vetus ex Codice Tiliano.*

Menard in Lib. Sacram. præf. Item pag. 259. & 266.

Ævo IV. legimus, S. Gregorium Nyſſenum memoriam S. Baſilii, die ejus anniverſaria recurrente, celebraſſe; S. Gregorium Nazianzenum idem præſtitiſſe pro S. Athanaſio. Hinc S. Martinus unus eſt ex primis apud Latinos, cujus nomen ſanctis Dypticis adſcriptum ſit : nimirum in Miſſa Mozarabica.

* In Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi nomina ſunt multorum Sanctorum ſingillatim. At hoc principio a nobis ſtatuto non adverſatur. Quia 1. Videntur hæc Sanctorum nomina adjecta fuiſſe poſt tempus Doctoris hujus; quia non unus ex his Sanctis poſt S. Joannem Chryſoſtomum vixit. 2. Recenſentur nomina Sanctorum Baſilii, Gregorii Theologi, Joannis Chryſoſtomi, & quorundam aliorum Confeſſorum poſt alia S. Stephani, atque aliorum Martyrum. 3. Orationes, in quibus Sancti iſti enunciantur, non recitabat Sacerdos ad Altare, ſed in Sacrario, dum in *Protheſi* panem & vinum pro Sacrificio parabat. 4. MSS. multa vetuſta hujus Liturgiæ, a Goartio relata, non conſtant hac prece, tot Sanctos recenſente; nullumque ejus veſtigium eſt in MS. hujus Liturgiæ, deprompto e Bibliotheca Card. Barbarini, quod ante ſeptem ſæcula deſcriptum fuit.

Goart. in Euchol. Græco pag. 94. & ſeq.

Non

Non eſt prætereundum, in Textu Sacramentarii D. Gregorii, poſt Martyrum nomina magnum hunc Pontificem, ſeu quempiam alium addidiſſe nomina *Hilarii*, *Martini*, *Auguſtini*, *Gregorii*, *Hieronymi*, *Benedicti*; ſed Sanctorum iſtorum nomina e Canone ſublata fuerunt. Apoſtolorum, & Martyrum multorum nomina digeſta ſunt in Miſſa Æthyopum, quæ, ut ſerius, ad medii ſæculi V. ætatem pertinet; pluribus etenim in locis meminit trium Conciliorum Œcumenicorum, quorum poſtremum Epheſinum eſt, congregatum anno 431., non tamen Concilii Calcedonenſis: quod locum dat conjecturæ, Miſſam hanc editam fuiſſe, antequam Synodus illa cogeretur, ſcilicet, anno 450. Miſſa Chriſtianorum Mallabarum in Indiis referta eſt nominibus Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum; quæ quidem videtur antiqua, quoniam, ut cenſere poſſumus ex quibuſdam illius contextus locis, conſcripta fuit paullo poſt mortem S. Gregorii Papæ.

Quæ animadverſiones nos ducunt ſponte ſua, ut colligamus, *Miſſam Latinam* exaratam fuiſſe ante finem ſæculi IV., vel ſub initium V. Si nanque præcedenti ætate non erat Eccleſiaſticæ conſuetudinis, nomina Apoſtolorum, & Martyrum ſingillatim in Liturgia exprimere; ut oſtendimus Liturgiis Sanctum Cyrilli, Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi: ſi mos hic non cœpit, niſi ſub initium ſæculi V., & deinceps conſtanter perſeveravit, quod nemini dubium eſſe poteſt: ſequitur, *Miſſam Latinam* quarto ſeculo inſtitutam fuiſſe; quippe caret Sanctorum peculiaribus nominibus, & mos hic duntaxat manſit ad exordium uſque ſæculi V., quo tempore Canon Romanus increbuit. Hæ duo autem enunciationes probandæ ſunt.

Expende *Miſſam Latinam* a ſummo capite ad finem, & plane cognoſces, nullum nomen peculiaris Sancti in ea eſſe, & Mariæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum in univerſum nomina referri. *Obſecro vos*, inquit Sacerdos, *omnes Choros Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum...... Orate pro me omnes Apoſtoli, atque Martyres, Confeſſores, & Sanctæ Virgines, atque Viduæ, & omnes Sancti, & Electi Dei*. Porro morem hunc non enunciandi nomen Sanctorum extitiſſe duntaxat uſque ad initium ſæculi V. quo Canon ſecundum Ordinem Romanum in Eccleſiam introductus fuit: id ſtatuendum eſt.

Quod ut præſtemus vi & ratione, duo in anteceſſum certo ſcienda ſunt. Primum, quiſnam ſit Autor Canonis; alterum, quo tempore vixerit. Quod attinet ad primum caput, opiniones in admodum diverſa abierunt. Sunt qui hanc Miſſæ partem adjudicent Muſæo Presbytero Maſſilienſi, vel Voconio Africano Epiſcopo in Mauritania, qui, referente Gennadio, *Gennadius de Script. Eccleſ.*

quaſ-

quaſdam conſcripſerat Liturgias. Alii ejus Autorem faciunt D. Gregorium Papam; ſed egregius hic Doctor nobis fidem facit, Canonem Miſſæ a Scholaſtico quodam lucubratum fuiſſe. Vox hæc, *Scholaſticus*, non eſt nomen homini proprium; ſed Eruditum ſignificat, præſtantem ingenio & litteris; quo ſenſu Hieronymus dixit: *Seraphim Epiſcopus, ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit.*

Aldelmus Ep. lib. de Laud. Virg. cap. 23.
Gregorius l. 7. Regeſt. Ep. 63.
Hieronymus de Viris Illuſtr.

Latet in incerto, qua Scholaſticus hic ætate vixerit. Opinio eſt, eum ſæculo amplius Gelaſium Pontificem præceſſiſſe; atque adeo ſub finem quarti floruiſſet, quod eſt ſatis ſimile vero, quandoquidem partem Canonis apud S. Ambroſium reperimus. Quidquid autem ſit de tempore, quo Scholaſticus hic inter nos fuit; illud ſatis eſt conſilio meo, Sanctos homines nuncupatos de nomine in Canone non fuiſſe, niſi ad exitum quarti ſæculi: quod certe ante illud tempus non contigit, ſi verum eſt, ut Autor quidam teſtatur, S. Hieronymum juſſu Damaſi Sanctorum, de quibus in Canone, indicem texuiſſe.

Aut. quæſt. Vet. Teſt apud Aug. tomo 4. qu. 44.
Ambroſius l. 4. de Sacram.
Lindanus in Liturg. S. Pet. cap. 22.

Si igitur Canonis Autor, vel ille, qui præ ceteris in hanc Miſſæ partem nomina Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum intulit, in vivis erat, exeunte ſæculo IV., commodum eſt hanc conſecutionem elicere, *Miſſam Latinam* ante hac exaratam fuiſſe, cum ex quatuor priorum ſæculorum more deſint in ea quæcunque Sanctorum nomina ſingularia.

§. V.

Miſſa Latina *vetuſtiſſima eſt omnium Liturgiarum tum Græcarum, tum etiam Latinarum, quæ ad noſtram notitiam traducta ſint.*

POſtquam ſtatuimus, *Miſſam Latinam*, ut ſerius, confectam fuiſſe initio ſæculi V. conſequitur pariter, eam antiquiſſimam eſſe Liturgiam, qua uſi ſint Oriens, atque Occidens, quæque ad noſtram notitiam manaverit. Quare non modo inſtituta fuit ante Gregorianam, Mozarabicam, & Gelaſinam; ſed præceſſit quoque illas, quæ tribui ſolent Muſæo Presbytero Maſſilienſi, & Sidonio Apollinari, qui abierunt e vita ante medium ſæculum V., & Gelaſii I. Pontificatum. Eo nanque tempore, quo uterque ſcriptorum iſtorum vixit, obſoleverat jam Miſſa Solemnis, ſenſu a nobis explicato, ut conjicere licet ex Sanctorum Hieronymi, Auguſtini, atque Ambroſii a nobis laudatis locis.

Porro ſi S. Hilarius, ex Hieronymi dictis, *Librum Myſteriorum* digeſſiſſet, fieret ſimillimum veri, magnum hunc Epiſcopum *Miſſæ Latinæ* Autorem eſſe; quoniam hoc poſito primus eſſet Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui rem hujuſmodi litteris commendaverit. Hæc item Miſſa id quoque

com-

commodi haberet, ut omnibus Liturgiis Græcis, quæ extant, vetuſtior eſſet; idque eo magis, quo S. Baſilius, qui Patrum omnium Græcorum primus Operi huic ſtudium navavit, ad Epiſcopi dignitatem aſſumptus fuit anno 370. Hilarius vero præcedenti deceſſerat.

Duo ſane argumenta nobis probant, S. Hilarium, vel alium ejuſdem temporis, *Miſſæ Latinæ* Autorem habendum eſſe. Primum ſit; ineunte ſæculo IV. Miſſam Solemnem, qua ratione a nobis deſcripta fuit, celeberrimam in Eccleſia fuiſſe. Secundum, eodem tempore Liturgias longiſſimas fuiſſe, & quamplurimis Collectis redundaſſe. Quod in cauſſa fuit, ex Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, ut D. Baſilius, & Joannes Chryſoſtomus ad compendium redigerent Miſſam, nomine S. Jacobi vulgatam; ſive aliam, qua Chriſtiani eo Ævo utebantur. Et quidem cum mos Euchariſtiam quotidie ſuſcipiendi prius in Græca, quam in Latina Eccleſia ceſſaverit, & Fidelium pietas admodum debilitata fuerit, mirum non eſt, Græcos Patres ſuſtuliſſe multa ex Liturgia ſua, antequam id in Occidente cogitarent; ubi liquet, uſum Miſſæ magno precum orationumque numero refertæ, ad uſque S. Gregorii Papæ ætatem perſeveraſſe; cum hic Liturgiam, a Gelaſio inſtitutam, inſtauraverit, *multa ſubtrahens*, ut Joannes Diaconus, & Berno Abbas animadverterunt.

Joann. Diac. in Vita S. Gregorii. Berno Augienſ. de rebus ad Miſſ. pertin.

Quamvis lateat, quid ſingillatim Gregorius in Gelaſii Miſſa abrogaverit, Eruditi tamen, quatenus id aſſequi poſſunt ex Autorum locis a nobis citatis, exiſtimant, S. Gregorium emendaſſe duntaxat nimium Collectarum numerum, varietatemque Orationum, ſervato ordine, & partibus Miſſæ Gelaſinæ. *Gregoriani a Gelaſino totum diſcrimen eſt in varietate & numero earum Orationum, quas Collectas vocant. Nam & cetera utriuſque eædem partes ſunt.* Ex iiſdem Autoribus apparet, *Miſſam Latinam* non differre a Gregorii Miſſa, niſi magno *Collectarum*, & precationum numero. *Ordo Illyricianus Miſſam Pontificalem continet ſecundum Ritum Romanum, & quidem nihil fere aliud, quam Orationes privatas.*

Mabill. Liturg. Gallic. Præf. Thomaſius Cod. de Sacram. Præf.

Quoniam vero, ut placuit ſapientibus Viris iſtis, *Miſſæ Latinæ* ordo idem eſt, ac Romanus, multaque in utraque Liturgia ſimilia ſunt, illud ſequitur, vel *Miſſam Latinam* ad Liturgiam Romanam, vel hanc e converſo ad illam accommodatam fuiſſe. Tres conjecturæ efficere poſſunt, *Miſſam Latinam* a Romana deductam minime fuiſſe. Prima eſt, multa in eis diſtare invicem, præſertim in Canone; quod non accidiſſet, ſi *Miſſa Latina*, ut eruditi Critici noſtri monuerunt, Romanum Ordinem præſeferret. Ceterum quamprimum originem ſcrutabimur cum ſimilitudinis, tum diſſimilitudinis *Miſſæ Latinæ* a Romana. Altera conjectura eſt, uſum offerendi ad Altare, & quotidie menſa divina fruendi, jandiu obſoleviſſe Gregorii ætate, & vim habuiſſe, cum *Miſſa Latina* pro-

ducta

ducta fuit. Tertia ſit, ſi *Miſſa Latina* ex Romano Ordine efformata fuiſſet, nullo modo eidem additum iri tot *Collectas*, quæ ſæculi illius ingenium non referebant; bene vero IV., & V. Denique non omiſiſſent in *Miſſa Latina* ritus multos, quos Gelaſinæ Gregorius adjunxit, quique in univerſum ſervati ſunt in omnibus Liturgiis exinde conſcriptis: ex.gr. ſigna multa Crucis, quæ in Canone collocata ſunt, & quorum nullum in *Miſſa Latina* ſupereſt veſtigium.

§. VI.

Miſſa Latina *fons eſt, & origo omnium Liturgiarum Eccleſiæ Occidentis*.

IDem ferme dicere licet de *Miſſa Latina*, quod attinet ad Eccleſiam Latinam, non ſecus atque dictum eſt de Liturgia S. Iacobi, ſive de alia, ſæculo IV. uſitata, quod erat Eccleſiæ Græcæ. Videlicet, quemadmodum illa, ut diu perſecuti ſumus, fons habenda eſt, & origo Miſſarum omnium, quæ pro divinis Eccleſiarum Græcarum rebus inſtitutæ ſunt; ita non abſimilem dignitatem huic tribuendam eſſe, ſi cum Miſſis aliis, pro Latina Eccleſia deſcriptis, conferatur.

Dicendum fortaſſe eſſet, *Miſſam Latinam*, de qua modo, Miſſam eſſe D. Petri, quam S. Clementis nomine vendicant. ſcilicet, quam S. hic Pontifex, vel alius primorum ſæculorum Scriptor lucubraverat ex iis, quæ didicerant a Principe Apoſtolorum, vel collegerant ex inſtitutis ejus, vel ab hominibus Apoſtolicis acceperant. Seu tandem dicendum erit *Miſſam Latinam* ex his Traditionibus conflatam fuiſſe initio ſæculi IV.; quandoquidem ſine ulla controverſia vetuſtiſſima eſt Liturgiarum omnium Latinarum, quæ ad notitiam noſtram pervenerint. Ex quo fit, eam exemplar fuiſſe Miſſarum omnium Latinarum. Habeto autem qua ratione.

Non vacat dubitare, ab exordio Eccleſiæ ad initium uſque ſæculi V. nullam aliam in Occidente Liturgiam perſpectam fuiſſe, niſi *Miſſæ Latinæ*. Tunc vero cum Miſſæ ſolemnis uſus paulatim deſueſcere cœperit, & Liturgiæ prolixitas Fidelium languori gravis eſſe: viſum eſt Superioribus Eccleſiaſticis rem flagitare, ut vetus Liturgia reficeretur, & detraherentur ea, quæ vel obſoleverant, vel eam longiorem æquo reddebant. Id muneris Gelaſius Papa ſuſcepit pro Italia, dempto Mediolano, & Diœceſi. Atque ita orta eſt Miſſa ſecundum ordinem Gelaſinum. S. Gregorius iterum Gelaſii Opus inculcavit, multa addidit, mutavit, ſuſtulit, atque inde profectus eſt Ordo Romanus. S. Ambroſius, ejuſve

ſucceſſor aliquis, eandem emendationem exorſus eſt, atque Ambroſianam peperit Liturgiam. D. Leander, ſive quis ex ejus deceſſoribus ex *Miſſa Latina* eam lucubravit, quæ Mozarabica appellata eſt, atque in Hiſpania, & Gallia Narbonenſi obtinuit. Muſæus, & Sidonius Apollinaris idem ſine ulla dubitatione pro Gallia, & Germania præſtiterunt, unde vetus Gallicana Miſſa exorta eſt; ſi modo a Liturgia Gelaſina differat. Anglia ad tempus uſque S. Auguſtini ejus Apoſtoli illam ſervavit, quam ex Galliis ad eam Patricius, vel Germanus detulerant. Nihil de Africa dico, cum lateat omnino, quo Liturgico Ordine ab Auguſtini ætate ſit uſa. Quod unum certum eſt, id pronunciare non dubitamus, Miſſas omnes Eccleſiarum Africæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Germaniæ rerum Summam a *Miſſa Latina* decerpſiſſe, eamque fontem cognoſcere debere, e quo profluxerunt.

§. VII.

Liturgia Gelaſii Papæ eadem eſt, ac Miſſa Latina; *nonnullis immutatis.*

CONjecturam hanc eliicio ex MS. Monaſterii S. Vincentii, Ordiniſque S. Benedicti, quod ſervatur in Bibliotheca Chiſiana num. 521. Bona, qui ante omnes MS. hoc edendum curavit, nos docet, multa ab eo deeſſe folia in initio, & fine; Miſſamque reperiri duntaxat uſque ad Evangelium. Perſuaſum vero habet, Miſſæ hujus fragmentum eam continere, quæ adhibebatur in Italia, non vero illam, qua Galli utebantur; propterea quod, inquit eruditus hic Cardinalis, Pſalmi leguntur ſecundum veterem Italicam Verſionem, non autem ex interpretatione Hieronymi, quæ appellabatur Gallicana verſio, quia ſtatim in Galliis recepta fuit. *Nullo modo ſpectat ad Galliam...... In Italia uſitata fuit.*

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 12. art. 3.

At in Italia triplex duntaxat fuit Liturgiarum genus. Latinum, Gelaſinum, atque Gregorianum: neque enim de Ambroſiano laboramus. *Miſſa Latina*, cum ſolemnis more explicato eſſet, atque ab Epiſcopo celebraretur comitantibus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & reliquo Clero, diſſimillima ab ea erat, de cujus MS. loquitur Bona, cui non adſtabant niſi Diaconus, Subdiaconus, & tres Clerici, miniſtrantes Sacerdoti, non vero Epiſcopo. Neque item aliud requiritur argumentum, ut probemus, Miſſam illam Gregorianam non eſſe, niſi magnum *Collectarum* numerum, quæ ſublatæ fuerant e Liturgiis Gregorianis. Unde commodum eſt efficere, Miſſam illam Gelaſinam fuiſſe.

Nunquid revera omnes non habet notas, quas Litterati Viri in Miſſa

Ritus

Ritus Gelaſini deprehendunt? In hac idem ordo, atque in Gregoriana non retinetur, & quampluribus precibus referta eſt. Denique apparet multa ei adjuncta, & multa detracta, quæ Gregorianam Miſſam a Gelaſina diſtinguunt.

Ad hæc non erit operoſum probare, Miſſam Gelaſii Papæ, ſive illam MS. a Bona citati, quæ eadem eſt, non differre a *Latina*, ex qua deleta ſunt multa, quæ ſub finem ſæculi V. deſierant uſurpari; vel certe illud conveniat neceſſe eſt, ſummam *Miſſæ Latinæ* in Gelaſina Miſſa deprehendi, vel in Miſſa MS. illius: 1. In utraque iidem Ritus coluntur. 2. Plenæ ſunt quamplurimis *Collectis*, & non paucis ſatis longis; quod obſolevit ætate D. Gregorii, & ſpecimen perſpicuum eſt, Miſſam MS. Ordine Gregoriano vetuſtiorem eſſe. Denique in hac Liturgia legimus preces multas, quæ in *Latina* pariter reperiuntur.

Nemo itaque diffiteri poterit, Miſſam Gelaſii Papæ, quæ non diſtat a Miſſa MS. efformatam fuiſſe ex *Miſſa Latina*, vel potius hanc fuiſſe a Gelaſio Pontifice adoptatam; qui nihil aliud effecit, niſi ſolemnis Miſſæ ceremonias ſubtrahere, quæ jam tum inveteraverant, & magnum illum *Collectarum* numerum, quæ Liturgiam Fidelibus incommodam reddebant. Senſa quoque nonnullarum Orationum mutavit, & ceteras, uti deſcriptæ erant in *Miſſa Latina*, reliquit, in quam, veluti in exemplum intendebat, quæque ab omnibus, tanquam Gelaſinæ fons, & origo recognoſcenda eſt: niſi ſi velimus utramque eandem eſſe, pauculis tantummodo, ut dicimus, emendatis.

§. VIII.

Miſſa S. Gregorii originem ducit a Miſſa Illyriciana.

SI Gelaſius Papa *Miſſam Latinam* retractavit, intacta rei ſumma; idem præſtitit Gregorius, quod attinet ad Miſſam ipſius Gelaſii: Illam nanque hactenus inſtauravit, ut in ea Ordo ſemper Romanus ſe prodat, qui ex Gregorianis additionibus, & detractionibus nunquam omnino immutatus eſt. Immo perſpicuum ſit, Miſſam S. Gregorii non modicam habere cum *Latina* ſimilitudinem in Ritibus; licet propter *Collectarum*, & ceremoniarum Miſſæ ſolemnis multitudinem non parum diſcrepet. Harum etenim nullum veſtigium eſt in Miſſa Gregorii, neque Canon eodem modo in utraque Liturgia diſpoſitus eſt, quia nimirum S. Gregorius non pauca in eo, & verba præſertim, mutavit.

Ex qua argumentatione concludere poſſumus, *Miſſam Latinam* fontem eſſe, ex quo manavit Miſſa S. Gregorii, poſtquam per Gelaſii canaliculum

Z 2 de-

defluxit. Hoc cogitatum conſtituo in duabus conjecturis, quæ alicujus ponderis videntur. Prima eſt, textum Sacramentarii D. Gregorii pluribus ex alio *Miſſæ Latinæ* emendatum fuiſſe. Secunda, D. Gregorium in idem Sacramentarium importaſſe Orationes multas, quæ ſunt in *Miſſa Latina*, & vocabantur *Apologiæ*, iiſque annumerantur, quæ augent magnopere *Miſſam Latinam*, quaſque a Gelaſii Miſſa delevit. At argumenta iſta in bono lumine collocemus.

Didicimus a Menardo in Præfatione, Sacramentario D. Gregorii, ab ſe eruditis commentationibus aucto, præfixa, illum ad tantum opus aggreſſum fuiſſe, *maxime occaſione nacta optimi, & vetuſtiſſimi Libri Sacramentorum Gregorii Papæ*. Cujus deinde MS. laudes celebrat, antiquitatemque oſtentat teſtimonio doctiſſimi viri, qui cum celeberrimas Romæ Bibliothecas inviſiſſet, teſtatus eſt, ſe nullibi reperiſſe Sacramentarium S. Gregorii, quod cum iſto de vetuſtate certare poſſit; quoniam, per illum, ante Caroli Magni tempora deſcriptum fuerat. Denique præſtantiam ejus, auctoritatemque petit a verbis, quæ leguntur in hoc MS. *Ex authentico Libro Bibliothecæ Cubiculi ſcriptus*. Quæ ſignificant, ait Menardus, MS. hoc exſcriptum fuiſſe de Exemplari, quod ſervabatur cum aliis Libris, uſitatis ſummo Pontifici pro Myſteriorum Sanctorum celebratione, in Tabulario Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Nihilominus antiquitas, perfectio, atque accuratio MS. hujus non obſuerunt, quominus illud Benedictinus hic ad *Miſſæ Latinæ* Illyricianæ textum correxerit, atque emendaverit locis amplius quinquaginta. Attende nonnulla.

Liber Sacramentorum *S. Gregorii apud Menard. pag. 242. col. 2. fine. Incipiunt Apologiæ. Impellit miniſtrandi Officium Hoſtia ſalutaris populi pro delicto.*

Codex Illyricianus. *Impellit me peccatorem miniſtrandi Officium, hoſtiam ſalutarem offerre.*

Sacram. pag. 245. col. 1. *ne Indignum quæſo.*

Codex Illyr. *Ne me indignum quæſo.*

Sacram ibid. *Cui mox obtinuit confeſſio perſpicue Filium Dei.*

Codex Illyr. *Cui mox obtinuit confeſſio propitium Dei Filium.*

Sacram. ibidem col. 2. *Rogare vix audeo.*

Codex Illyr. *Rogare non audeo.*

Sacram. ibid. *Parce Domine, confitentibus ignoſce, peccavimus, miſerere.*

Codex Illyr. *Sed parce, Domine, confitentibus, ignoſce peccantibus, miſerere rogantibus.*

Sacram. ibidem. *Sed ſi recedimus, veremur de inobedientia condemnari.*

Co-

Codex Illyr. *Tamen ſi recedimus, meremur de inobedientia condemnari.*

Sacram. pag. 244. col. 1. *Et cum pudendorum actuum ſecreta confiteor.*

Codex Illyr. *Et immundorum actuum ſecreta confiteor.*

Sacram. pag. 245. col. 1. *Ad veniam ſaltem pertineam te Domino miſerante.*

Codex Illyr. *Saltem per Confeſſionem veniam merear te miſerante.*

Sacram ibid. col. 2. *Quia tibi non ſunt occulta, quæ gerimus.*

Codex Illyr. *Et quia tibi, Domine, non ſunt occulta, quæ geſſimus.*

Sacram. ibid. *Sit in nobis, Domine, non oris tantum confeſſio, ſed & doloris.*

Codex Illyr. *Concede ut in nobis, non oris ſit tantum confeſſio, ſed etiam cordis.*

Sacram. ibid. *Sollicitudo carnis.*

Codex Illyr. *Sollicitudo terrena.*

Sacram. ibid. *Da præteritis veniam, præſentibus emendationem, futuris largire cuſtodiam.*

Codex Illyr. *Miſerere nobis, domine, miſerere, & da de præteritis malis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris cautelam..*

Sacram. pag. 246. col. 2. *Te Domine, volumus ſervare, quod feceris; non timemus obſervare, quod juſſeris.*

Codex Illyr. *O Domine volumus ſervare, quod feceris, non timemus negligere, quod juſſeris.*

Sacram. pag. 247. col. 1. *Ignoſce, Domine, commaculatæ viæ conſcientiæ ſordido, & criminum confuſione captivo,*

Codex Illyr. *Ignoſce quæſo mihi, Domine, quem maculatæ vitæ conſcientia trepidum, & criminum meorum confuſio fecit eſſe captivum.*

Atqui alia quoque multa poſſem loca congerere e Sacramentario D. Gregorii, quæ Menardus ex *Miſſæ Latinæ* textu reſtituit; ſed variæ hæ Lectiones ſatis eſſe poterunt, ut cognoſcat Lector, opus neceſſario eſſe, ut Sanctus hic Doctor Liturgiam Latinam evolverit, atque ab illa traduxerit multa, præſertim decem aut duodecim *Collectas*, in hac Latina Miſſa contentas, quas magnus hic Pontifex utiliter admodum in ſuo Sacramentario adhibuit.

Videtur etiam S. Gregorius multa decerpſiſſe e Canone *Miſſæ Latinæ*, ut in ſuum inferret. Audi aliqua. In Canone veteris hujus Liturgiæ legitur: *Imprimis una cum Famulo tuo Papa noſtro N., & omnibus orthodoxis, atque Apoſtolicæ Fidei cultoribus.*

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & omnium circumſtantium:...

Me-

Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N., qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis....

Ipſis, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per Dominum Chriſtum.

In Canone Romano Oratio hæc concluditur: *Per eumdem Chriſtum &c.* atque id unum, quod deprehendimus, diſcrimen eſt.

Hæc omnia nos cogunt, ut efficiamus, vel D. Gregorium per ſe ſe archetypum *Miſſæ Latinæ* conſuluiſſe; vel deprompſiſſe, quæ in eo ſimilia ſunt, ex Ordine Gelaſii, qui demum hauſerat e *Miſſa Latina*.

Poſtquam ſuperius locuti ſumus de aliis Occidentis Liturgiis ſingillatim, promptum eſt perſuadere ſibi, eas aliunde non deſcendiſſe, quam a *Miſſa Latina*. Cum Liturgia Gallicana a Gelaſina non diſtinguatur, vel parum differat, uti luculenter oſtendimus; hæc ſane ab eodem, ac illa magni hujus Pontificis, principio proficiſcitur. Cum Eccleſiæ Anglicæ Miſſam vel a Roma, vel a Galliis acceperint, aliam originem jactare non poſsunt. Cum Profuturus Roma in Hiſpaniam publici Officii ritus detulerit, qui obtinuerunt, antequam prodiret Miſsa Gothica, vel Mozarabica, ſatis habet imaginem veritatis, hanc in illius *Miſſæ Latinæ* ſumma ſtetiſse.

Quod ad Africam ſpectat, ſunt qui opinentur, populos Provinciæ hujus cum Evangelio, per ſummorum Pontificum flagrans ſtudium recepto, Miſſæ quoque Romanæ Ritus ſuſcepiſſe. Aliis placuit, Liturgiam Africanam ceremonias multas Hiſpanicæ comprehendere: ſed quidquid ſit conjectationum iſtarum, non eſt dubitandum, eam ad *Miſſæ Latinæ* exemplar accommodatam fuiſſe.

§. IX.

Argumenta objecta adverſus antiquitatem, uſumque Miſſæ Latinæ.

IN *Miſſa Latina* Symbolum Apoſtolorum canebant: *Sacerdos incipit Symbolum .... finito Symbolo &c.* immo addito verbo *Filioque* canebatur. Porro mores iſti nondum invecti fuerant in Eccleſiam eo tempore, quo Miſſa hæc creditur uſitata fuiſſe. Vel itaque ſuppoſititia eſt, vel IV. Sæculo recentior. Neque vero multi operis erit duas haſce Aſſumptiones enucleare. 1. Græci cœperunt canere in Miſſa Symbolum anno 510. cum Timotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus juſſit, illud quotidie ad Altare recitandum. Ante Decretum III. Concilii Toletani, celebrati anno 587. nunquam Symbolum in Hiſpaniæ Eccleſiis fuerat decantatum. Mos hic in Galliam, & Germaniam translatus fuit, receptuſque

Theodor. Lect. l. 2. Collect. Concil. Tolet. III. Ann. 587.

dun-

duntaxat Caroli Magni ætate. 2. Quamvis S. Leo Papa conceſſerit Hiſpanis facultatem addendi Symbolo particulam *Filioque*, propter Hæreſim Priſcillianiſtarum; nihilominus non cœperunt illud canere in Miſſa cum hoc additamento, niſi poſt Concilium III. Toletanum a nobis laudatum. Quod attinet ad Gallias, & Germaniam, nemo unus ignorat, ante tempora Caroli Magni illud cani conſueviſſe ſine hac particula *Filioque*. Anno 1014. cum Imperator Henricus Romæ agens, inquit Berno Abbas, qui ipſius comes erat, cognoviſſet, illud Chriſtianitatis caput non canere in Miſſa Symbolum Apoſtolorum, tot enixis precibus Benedictum Pontificem rogavit, ut tandem conſenſerit, ut impoſterum caneretur. Quæ facta omnia argumento ſunt, *Miſſam Latinam* ſæculo IV. inſtitutam non fuiſſe.

Vualafridus Strabo c. 22.
Baron. ad ann. 809.
Baron. ad ann. 447.

Berno Augienſ. lib. de rebus ad Miſſ. pertin.

Reſponſio eſt, cum Diſciplinam, tum etiam Liturgias mutationi ſemper obnoxias fuiſſe. Epiſcopis nanque facultate præditis addendi, & detrahendi, quod utilius cenſerent pro temporum, & locorum diſcrimine, ut Sacrificium auguſtius recoleretur, mirum non eſt, Symbolum cum Particula *Filioque*, *Miſſæ Latinæ* multo poſt adjectum fuiſſe. Me ſane præterit, utrum ulla futura ſit legitima Liturgia, ſi cavendum eſſet, ne quidquam in ea, niſi primitus conſcriptum, reperiretur. Quis dixerit, S. Gregorium Pontificem autorem non eſſe Liturgiæ ipſius nomine inſignitæ; quoniam in ea nunc legitur *Agnus Dei &c.* quod inſtitutum, atque illatum in Liturgiam non eſt, niſi VIII. ſæculo ineunte a Sergio Papa I. Si Pontifices Gregorio Magno poſteriores nihil in Canone mutari paſſi ſunt, idem ne dicere poſſumus de aliis partibus Miſſæ? Affirmabis ne, a S. Joanne Chryſoſtomo alienam eſſe Miſſam eidem adjudicatam, quod ſcilicet ſint in ea multorum Sanctorum nomina, qui poſt ipſum defuncti ſunt, immo ipſum ejus nomen &c. Exiſtimabit ne quis, Liturgiam S. Baſilii, Mozarabum, Æthiopum, omneſque alias ſpurias eſſe, propterea quod nulla ſit, quæ mutationem aliquam non ſubierit? Quare, cum *Miſſa Latina* inconcuſſas gerat notas antiquitatis ſuæ ſæculo IV. additio Symboli, & particulæ *Filioque* vetuſtati ejus nocere non poteſt.

Qui fieri poteſt, ſubdunt pariter, Miſſam Latinam Ævi IV. opus eſſe, ſi tamen in ea videmus, Sacerdotem bis pro Rege preces fundere. *Tibi, Domine, Creatori meo offero hoſtiam precationis, & laudis pro Rege noſtro;* atque alibi: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege noſtro, & ſua venerabili prole, & ſtatu Regni ſui;* cum ex adverſo orandum fuiſſet pro Imperatore, ejuſque familia; neque etenim eo tempore dominabantur Reges in Italia, vel Gallia, vel Hiſpania? Hæc igitur *Miſſa Latina* in Eccleſiis illis uſum habere non potuit a ſæculo IV.

Huic

Huic tamen difficultati multifariam poſſumus obviam ire. 1. Mutato regimine, commode ſufficere in Liturgia potuere nomen Regis nomini Imperatoris, uti mos erat. 2. Vox Regis accipitur haud raro pro nomine Imperatoris. Quis dubitet, D. Ambroſii tempore Romæ Imperatorem præfuiſſe? Et tamen licet Valentinianus III. qui S. Ambroſii electioni ſuffragium ſuum tulerat, ad hanc dignitatem aſſumptus eſſet, non deſinit tamen S. Doctor, uti hac voce, dum loquitur de precibus, quæ *petuntur pro Populo, pro Regibus, pro ceteris*. Arnobius, qui ſæculo ante S. Ambroſium vixit, utitur quoque verbo Regis pro alio Imperatoris. Conqueritur nanque, igne abſumi Libros ſanctos, *in quibus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur, Magiſtratibus, exercitibus, Regibus*. Denique quamquam verbum Regis notione propria acciperetur, non tamen *Miſſæ Latinæ* antiquitatem oppugnaret. Alaricus nanque Rex Gothorum Romam cepit anno 410. Genſericus Vandalorum Rex ipſa potitus eſt anno 455. ſub Anthemio Imperatore, Ricimerus Militiæ Præfectus, obſeſſa Roma, in eam victor ingreſſus eſt anno 471. Odoacer Rex Herulorum iterum eam expugnavit anno 476., & Theodoricus Gothorum Rex anno 490. Denique Urbs hæc ſub Gothorum dominio ſuit, Gelaſio Pontifice. Non eſt itaque cur miremur, nomen Regis in Miſſæ Canone collocatum fuiſſe ſæculi V. initio; quoniam eo tempore Reges Urbis Romanæ imperium adepti ſunt.

Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4.

Arnob. l. 4. contra Gentes.

Attende argumentum aliud non contemnendum. *Miſſa Latina*, inquiunt, quibuſdam afficitur notis, quæ jactatam ejus antiquitatem penitus deſtruunt, & evincere poſſunt, Liturgiam hanc nunquam in Regno ullo uſurpatam fuiſſe, vel apud aliquam gentem; ſed tantumodo conſcriptam fuiſſe pro Monachorum Congregatione, vel quibuſdam Monaſteriis: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro, & cuncta Congregatione S. Petri*; alibi vero: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & noſtræ Congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris, & omni populo Chriſtiano*. Ex quibus duobus locis in opinionem deſcendit Mabillonius, *Miſſam Latinam* adhibitam fuiſſe in Monaſterio S. Petri *d' Hornbac* Diœceſis Metenſis, quod ſuum nomen tribuit Congregationi Sancti Petri *d' Hornbac*.

Mabill. de Liturg. Gall. l. 1. c. 3.

Hæc tamen eruditiſſimi Benedictini conjectura maximi ponderis non videbitur attendenti, 1. *Miſſam Latinam*, ut nunc eſt, paſſim non conſueviſſe niſi ab Epiſcopo celebrari, uti ex pluribus locis, & præſertim ex his verbis conjicere licet: *Hoſtias acceptabiles offero pro grege mihi commiſſo ..... pro Populo mihi ſubjecto ..... pro Eccleſiæ mihi commiſſæ adverſantibus*. 2. *Miſſam Latinam* ſolemnem, & publicam eſſe, quam ſæ-

pe

pe D. Gregorius Monachis interdicit. Concilium Lateranenſe, Caliſto II. Summo Pontifice celebratum, idem interdictum tulit: *Interdicimus Abbatibus, & Monachis Miſſas publicas cantare*. Quidam vero Autor nos docet id uſque ad S. Bernardi tempora perſeveraſſe. 3. Hæc *Miſſæ Latinæ* verba: *Memento Domine famulorum famularumque...... cunctorumque mihi peccata ſua confitentium*, quæque quinquies, aut ſexies in eadem Liturgia iterantur, intelligi nequeunt de Abbate, & Monachis; quandoquidem Miniſterium audiendi, ſolvendique peccata non minus erat vetitum ipſis, ac illud Solemnia Sacra celebrandi: uti conceptis verbis ſtatuit Concil. Later. a nobis laudatum, & titulus Decretalium *de Capellis Monachorum*. Deinde ſatis ad veritatem accedit, Mabillonium firmaſſe interpretationem ſuam in verbis illis *Senior*, quod vertit *Abbatem*, & *Congregatio*, quaſi diceret, uti nos ſolemus, *Congregationem S. Mauri*, *Congregationem Cluniacenſem*. Non inficior *Seniorem* ambiguam vocem eſſe, quæ multa ſignificat: videlicet Virum potentiſſimum, Abbatem, vel Monaſterio Præfectum, Præſidem alicujus cætus, Sacerdotem inter Græcos; antiquiorem Monaſterii, qui, abſente Abbate, illud moderabatur. Sed, ut mihi videor, nulla explicationum iſtarum congruere poteſt voci *Senior* eo loci ubi reperitur in Miſſa Latina.

Greg. Ep. ad Caſter. Ep. l. 4. c. 21. Item l. 5. Ep. 45. Item l. 8. Ep. 3. ad Epiſc. Neap.
Concil. Later. c. 17. Item Innoc. III. l. 2. Regeſti 14. Epiſt. 18.
Philipp. Abb. Lib. de Contin. Cler. c. 83.
Ducang. Gloſſ. Lat. Vet. Verbo Senior.

Quod ſpectat ad verbum *Congregatio*, non crediderim uſum habuiſſe in deſignandis Ordinibus Religioſis, niſi poſtremis Ævis. Ducangius ait, *Congregationem* idem eſſe, ac *collectam*, *Sinaxim*, ſcilicet Sanctum Miſſæ Sacrificium, ad quod Fideles congregabantur. In hunc modum interpretatur Hieronymus: *Poſt Alleluia cantatur, quo ſigno vocabantur ad Collectam*; atque in Regula S. Pacomii: *In die Dominica, in Collecta, in qua offerenda eſt oblatio*. In omnibus Liturgiis, in quibus emergit nomen hoc *Congregationis*, nihil aliud ſignificat, niſi cætum Virorum, qui Officiis publicis aſtant. * *Recordare, Domine, Congregationis noſtræ... Orate pro hac Eccleſia, & noſtra Congregatione, quæ in ea eſt.... Benedic, Domine, Congregationi noſtræ, & cuſtodi eam in pace..... Vos quoque o Congregatio redempta, popule ſancte, qui adfuiſtis hodie, ſicut decet, coram ipſo Jeſu Domino Deo Salvatore*.

Hieron. in Epitap. Paulæ.
Regula S. Pacomii cap. 17.
Litur. Æthyop.
Liturg. Chriſt. apud Indos.
Miſſa ex Cod. Tilliano.

Quo verbo *Congregatio* hoc pacto explicato, aliud ipſi reſpondens, nimirum *Senior* plane alium, quam Abbatem ſignificare debet. Cointius ait, *Seniorem* hoc loci accipiendum eſſe pro Archipreſbytero, atque ita inter-

Cointius Annal. Franc. Tom. 2. ad Ann. 601. art. 31.

* Meminiſſe oportet, nunquam cautum fuiſſe Monachis canere Miſſam Solemnem, & Miniſtros multos in ea adhibere, ut colligere poſſumus ex cap. 38. Regulæ S. Benedicti. Interdictio, de qua ſuperius, ſpectabat ad Miſſas Solemnes, ad quas populus conflueret, quod pacem, & animos Monachorum a contemplatione avocaret.

Apud Hedeardum l. 2. c. 5.

pretatur Canon 18. Concilii Rhemenſis: *Ut in Parochiis nullus Laicorum Archipreſbyter præponatur, ſed qui Senior in ipſis eſſe debet, Clericus ordinetur*. Poſt quas animadverſiones, audi, qui, ut opinor, interpretari poſſent verba hæc: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Seniore noſtro, nimirum Archipreſbytero, & cunctis Fidelibus in Eccleſia S. Petri congregatis &c.* Oratio hæc duodecima, & ultima earum eſt, quæ *Apologiæ* nuncupantur; cum in præcedentibus Sacerdos oraſſet ſingillatim pro Ordinibus omnibus, pro Eccleſia, pro Rege, pro Superioribus Eccleſiaſticis, pro Vivis, & Defunctis.

Ceterum non eſt admirandum, peculiarem hic Archipreſbyteri memoriam uſurpari, qui a primis Eccleſiæ ſæculis habitus eſt tanquam Preſbyterorum primus, qui jus in Clerum univerſum exerceret, Miſſam Solemnem caneret, & omnia Eccleſiæ negotia expediret, abſente Epiſcopo: *Super omnes Preſbyteros in Ordine poſitos curam gerere, & aſſidue in Eccleſia ſtare, & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit*. Iſidorus Epiſtola ad Leudefredum Epiſcopum: *Sunt etiam Archipreſbyteri in Epiſcopis Canonicorum curam gerentes*. Vvalafridus Strabo Lib. de rebus Eccleſ. cap. ult. Atque hæc ſunt nonnulla Archipreſbyterorum munera, de quibus ſermonem habet Concilium Cartaginenſe quartum, anno 398. celebratum. Verba autem hæc *Congregatione S. Petri* fortaſſe explicare poſſemus de Eccleſia S. Petri Romæ, vel de aliqua alia, Sancto huic Apoſtolo nuncupata: illud certe exploratum eſt, in Miſſalibus apparere non ſemel dictiones hujuſmodi, quæ nobis indicent Eccleſiam, cujus uſui addicta ſunt. Extat in Vaticani Bibliotheca Miſſale ante nongentos annos

Bona de Reb. Liturg. l. 1. c. 12

conſcriptum, in cujus *Collecta* pro Miſſa de S. Martino hæc habentur: *Summi Sacerdotis tui Patris noſtri Martini Epiſcopi*. Quod in cauſſa fuit, ut ſuſpicaretur Bona, Miſſale hoc adhibitum fuiſſe in Eccleſia S. Martini Turonenſis, vel aliqua alia, ejus nomini dicata. Atque adeo novum non eſſet verba hæc *Congregatione S. Petri* ſignificare, *Miſſam* illam *Latinam* celebratam fuiſſe in Eccleſia D. Petro ſacra.

Hæc ſunt cogitata, quæ in animum induxi ſuper *Miſſa Latina*, quæ quidem non protuli tanquam argumenta concluſa, & Geometricas Demonſtrationes, ſed tantummodo tanquam conjecturas, quas auguratus ſum, ut præſtolarer ab eruditioribus lumina clariora, quibus rei huic ſplendor nitidior accederet, & robur firmius pro majori Eccleſiæ emolumento; cum autoritate, atque antiquitate Liturgiæ hujus probe conſtituta, magna inde commoda haurire poſſemus pro Dogmatibus multis, inter nos, atque hæreticos controverſis.

Cultus Deiparæ & Sanctorum perſpicue in ea continetur, tum etiam

mos

mos priſcus collocandi Martyrum Reliquias ſuper Altari Divinorum Myſteriorum: *coram teſtibus, ſcilicet omnium Sanctorum tuorum Reliquiis, & omnibus Sanctis tuis*. Sermo in ea fit de ſecreta peccatorum confeſſione, de precibus pro defunctis; de veritate Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti in Euchariſtia, deque aliis Myſteriis non paucis, & capitibus Diſciplinæ primorum ſæculorum, quorum teſtimonia ex hac Liturgia deducta in medium produxi.

Quoniam autem Eccleſiæ ſenſa in Liturgiis publicis perſpicue reſerata ſunt, non eſt dubitandi locus de iis, quæ ſentiret ſæculo IV. ſuper Dogmatibus, quorum meminit in hac *Miſſa Latina*: & licet non indigeamus hujus Liturgiæ teſtimoniis ad res Religionis confirmandas, illis tamen majorem addere poſſunt autoritatem eo magis, quo ad nos traducta fuit per Scriptorem hujuſmodi, qui adverſariis noſtris nullam ſuſpicionem excitare debet.

Si conſtare igitur certo poſſet, Miſſam hanc in more publico fuiſſe ſæculo IV., quod quidem impoſſibile omnino non eſt; tum elegantioribus Chriſtianæ antiquitatis monumentis annumeranda eſſet. Nihil in ea eſt, quod opinionem hanc non ſuffulciat. Nihil irrepſit adverſum Fidem, bonos mores, ſolidamque pietatem; immo quod primitivæ Eccleſiæ ſimplicitatem, & ſpiritum non redoleat. Undique temporum Apoſtolicorum gravitatem refert; ipſaque ſenſa, & verborum diſpoſitio, nihil habent in ſeſe, quod pietatem non exprimat.

In Collectis, atque Orationibus omnia tendunt ad ſubſidium divinum impetrandum, quo digne tantum myſterium recolatur. Dei attributa extolluntur, recolitur memoria beneficiorum ejus, & creaturæ paupertas ob oculos ponitur, ut ad gratias conferendas, veluti commoveatur. Nil tandem in hac Liturgia legimus, quod optimum exemplum non præbeat, & ſingularia Majeſtatis & miſericordiæ Divinæ, nec non infirmitatis noſtræ, errorumque immanitatis ingerat monimenta.

Quandoquidem autem rariſſima eſt Liturgia hæc, eam in parergo Operis hujus collocabimus *, additis quibuſdam Adnotationibus pro enodatione multarum difficultatum de Liturgiis veteribus, quæ ad Sacrificii hujus celebrationem attinent.

* Cur promiſſa non ſolverit Honoratus, divinare eſſet, conſectari. Conſtat hæc omnia prælo parata habuiſſe, cum evaſit e vita; & ſervantur in Bibliotheca noſtra Inſulana. Quod ſi ex illo archetypo exemplum nanciſci potero, lucem per me videbit. *Interpres*.

DISSERTATIO IV.

De Linguis, ab Eccleſia adhibitis in Sacris Myſteriis, atque Officio publico ab Apoſtolicis temporibus ad nos uſque: atque utrum primis Ævis Res Divina celebrata ſit Lingua populis vernacula.

DIſſertatio hæc duas partes habet. In prima oſtendere curabo, ab Apoſtolicis temporibus ad noſtra, Officium publicum peractum fuiſſe ab Eccleſiis omnibus totius Orbis, Romanæ adhærentibus, Lingua Hebraica, vel Syriaca, Græca, & Latina. In altera expendam veteres Textus Sacri Verſiones, atque utrum Ævis prioribus Sacrum effectum ſit Lingua populis vernacula; ut Critici nonnulli contendunt. Antequam rei hujus affero probationes, neceſſe eſt paucis referre, quomodo Crucis titulus ad nos uſque pervenerit; cum liqueat, illum ſcriptum fuiſſe Hebraice, Græce, & Latine; quibus Linguis ſemper in ſacris perficiendis uſa eſt Eccleſia. Sumpta occaſione a Titulo Crucis, impoſito Capiti Jeſu Chriſti, pauca ſubnectam quoque de Suppedaneo.

PARS PRIMA.

De Titulo Crucis, deque tribus Linguis Hebraica, Græca, & Latina, quibus conſtabat.

Quatuor Evangeliſtæ de eo meminerunt, quem nos Crucis Titulum appellamus, quamvis diſſimilem dicendi rationem adhibeant. Matthæus eum appellat, *Cauſſam. Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſſam ipſius ſcriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.* Sanctus Marcus pro more ſuo iiſdem ferme utitur verbis. Lucas vocat Superſcriptionem: *Erat autem & ſuperſcriptio ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic eſt Rex Judæorum.* Eodem eum nomine ſignat Joannes: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem: Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.... Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine.*

Matth. 27. 37. Marci 15. 26. Lucæ 23. 38. Joann. 19. 19. 20.

Tametſi Pilatus ſcribendum curaverit Crucis titulum iis tribus Linguis, tanquam eo tempore vulgatiſſimis, ut nemo unus eſſet, qui illarum alteram legere nequiret: nihilo tamen minus videntur illæ Salvatoris præſen-

ſentia conſecratæ veluti fuiſſe, ut in Myſteriorum Sanctorum celebratione, Officiiſque Eccleſiæ adhiberentur, excluſis ceteris aliis, niſi ſi fortaſſe aliquando. *Miſſa tribus Linguis cantari præcipitur, Hebraica, Græca, & Latina: ſicut & Titulus in Paſſione Domini ſcriptus fuiſſe legitur: Hebraicum quippe eſt Alleluja, Oſanna, & Amen: Græcum vero Kirie eleiſon, & Chriſte eleiſon. Latinum reliquum Officium.* *Gemma Animæ de antiquo Ritu Miſſæ l. 1. c. 92.*

Hoc trium Linguarum privilegium commode colligitur ex conſtanti ſæculorum omnium Traditione ab Apoſtolicis temporibus ad noſtra. Quod in ſequentibus oſtendere enitar; poſtquam in medium retulero, quidquid probabilius & certius ſupereſt nobis de Titulo Crucis, deque Traditione nonnullorum Patrum, quod attinet ad ſuppedaneum, quod cruci fixum erat, cum in ea Chriſtus pependit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Titulo Crucis, & de Suppedaneo ejuſdem.

§. I.

Quomodo hic Crucis titulus ſervatus ſit; & cujuſmodi extet in præſenti.

MOS erat apud Veteres apponendi iis, qui capitis damnati fuerant, in tabella, quæ latinè vocabatur, *Titulus*, græce autem τίτλος, eorum nomina, & crimina. Ante reum deferebatur, dum ad ſupplicium prodibat: *Præcedente titulo*, inquit Svetonius, *qui cauſſam pœnæ indicaret*; & Dio, *cum Litteris ſive titulo, quæ cauſſam mortis aperirent*. Euſebius loquens de morte Martyrum Lugdunenſium, conſiderat, S. Attalum Martyrem, *Circumactum per Amphitheatrum, tabula ipſum præeunte, in qua Latine ſcriptum: Hic eſt Attalus Chriſtianus.* *Svetonius in Caligula c. 38. Dio Lib. 64. Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 1.*

Hac ignominiæ nota non caruit Paſſio Chriſti, cum Cruci appenſa eſt tabella, his verbis ſignata: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*; quæ verba lineas tres conficiebant: in priore, atque altiore Hebraica inſcriptio erat; in media Græca; in inferiore Latina. Hujus tituli verba indicabant ſimul nomen ejus, qui crucifixus erat: *Jeſus*; Patriam, *Nazarenus*; & cauſſam mortis, *Rex Judæorum*. Prudentius Poeta egregie Titulum hunc deſcripſit carminibus, quæ ſequuntur. *Prud. in Apotheoſi adv. Gentes.*

Pilatus jubet ignorans, tu ſcriba tripictis
Digere verſiculis, quæ ſit ſuffixa poteſtas.
Fronte Crucis titulus triplex de triplice Lingua.
Agnoſcat Judæa gens, & Græcia norit,
Et venerata Deum præcenſeat Roma ....

Cum autem Crucis Titulus obrutus humi fuiſſet cum ceteris inſtrumentis Jeſu Chriſti, ab Helena repertus fuit anno 326. dum Crucem conquirebat. Sozomenus ita rem perſequitur. *In altera autem parte ejuſdem loci tres inventæ ſunt Cruces, & aliud ligniculum ſeparatim, quod tabellæ geſſit ſimilitudinem, verbis & litteris non Hebraicis ſolum, verum etiam Græcis, & Latinis ſcriptum, quæ verba & Litteræ non aliud complectebantur, quam Jeſum Nazarenum Regem Judæorum.*

Titulum hunc Helena Auguſta & Sancta fœmina Romam detulit cum aliis Reliquiis, quas in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem, ab ipſa, atque Imperatore Conſtantino Filio, in honorem Crucis Dominicæ extructa, collocavit. Sive autem Helena eadem Titulum hunc in altiori Eccleſiæ hujus teſtudine incluſerit, ſive Valentinianus III. ad Imperium evectus anno 427., ut Scriptores utroque trahunt: certum eſt, Titulum iſtum mille circiter annos latuiſſe. Inventus porro eſt, Innocentio VIII. Summo Pontifice, ita, ut narrat Alexander VI. in Diplomate, edito octavo Kal. Sextiles anni 1496.

In celebris hujus Tituli Inventionis monumentum idem conceſſit perpetuam, plenamque peccatorum Indulgentiam Fidelibus utriuſque ſexus, qui plorantes, & confitentes delicta ſua, Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem poſtrema Januarii die Dominica inviſerent. Atque hac ratione Onuphrius Panvinius Hiſtoriam hanc narrat in Libro de ſeptem Urbis Eccleſiis.

Lælius Petronius in Veteri Ephemeride Geſtorum Romæ, exequitur accurratius id, quod contigit in Tituli hujus inventione. Kalendis, inquit, Februarii anni 1492. inſtaurante hoc Templum Gundiſalvo Mendoza Cardinali Sanctæ Crucis, deprehenderunt Operarii in ſummitate altioris teſtudinis armariolum, continens plumbeam arculam bene clauſam, ſupra quam jacebat ſaxum quadratum, in quo ſculpta legebantur hæc verba: *Hic eſt titulus veræ Crucis*. In arcula, quæ erat bipalmaris, includebatur tabella habens longitudinis palmum cum dimidio, quæ referebat ſculpta, & colore rubro tincta, hæc verba: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. *Sed illud Judæorum*, addit teſtis hic oculatus, *non erat perfectum; quia illud RUM, non niſi uſque ad R. incluſive remanſerat; & illud UM ceciderat, quia erat Tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate deficit.*

Apud Jacob Boſium Tract. de Cruce l. 1. c. 18.

Ex

Ex hac narratione duo didicimus. Primo, qualis fuerit Crucis Titulus, cum repertus eſt. Secundo, litteras, etſi in Ligno ſculptas, *colore rubro tinctas fuiſſe*, pro more Veterum, qui rubro colore res commendatione dignas liniebant.

Haud ſecus conſuetudo ferebat tempore Trojani belli, ut percipere poſſumus ex Homero, qui inter alia celebrat vaſa, rubro colore depicta. Eadem de cauſſa ſcribebant Veteres rubenti colore Librorum titulos, uti memorat Ovidius initio Libri *Triſtium*.

Nec titulus minio, nec cedro carta notetur.

Rubicundo etiam colore Leges exarabant Antiqui, & Inſcriptiones tumulis apponebant. Plinius ait, Litteras fuiſſe commendatiores, cum rubro colore in auro, vel marmore incidebantur. Ethnici rubrum colorem perinde, ac rem Sacram venerabantur; & propterea in ſolemnioribus Feſtis Jovis ſimulacrum rubenti colore pingebant, atque adeo ipſam Heroum faciem in Triumphis; quo pacto Camillus os ſuum minio coloravit in die ſolemni Triumphi ſui. Titulus tamen Crucis dealbatus erat, licet rubras litteras gereret. Sed nunc Titulus ſive temporum diuturnitate, ſive multa tractatione, neque albus apparet, neque litteræ rubræ, coloribus abraſis. *Plin. l. 33. c. 7.*

Autor eſt Bailletus, non conſtare, utrum Elementorum illorum tabula integra eſſet, ubi inventa fuit. Sed non eſt ambigendum, nullo modo integram fuiſſe, & in ea defeciſſe duas poſtremas Litteras verbi *Judæorum*, nimirum *UM*; ut fert narratio ſcripta eodem tempore, quo pretioſa hæc exuvia ruſus ſe prodidit. Anno 1564. hunc Crucis Titulum inſpexerunt, apparuitque corroſus & diminutus ex parte verbi *Judæorum*; anno deinde 1648. animadverſum eſt, ablatam fuiſſe dexteram partem, & Verbum *Jeſus* in eo deſiderari. *Baill. in Fer. 6. Major. Hebd. de Paſſione art. 7.*

Non extat itaque in præſenti, niſi media pars tabulæ, quæ continet *Nazarenus Rex*; atque ita eam exponit Juſtus Lipſius, uti erat anno 1648. Quæ expoſitio reſpondet omnino alteri a Boſio multo ante, nimirum quinquaginta amplius annos factæ; qui addit mediam duntaxat Tituli Crucis partem ſupereſſe: ut demum colligere poſſimus inde, Titulum, antequam diminueretur, duodecim unciarum longitudine conſtaſſe. *Juſtus Lipſ. de Cruce l. 3. c. 14. Boſius ubi ſupr.*

§. II.

§. II.

Sententia Bailleti de Titulo Crucis.

SAtis ſimile vero ſit, Eccleſias, quæ jactant, ſe Crucis titulo potiri, nihil aliud penes ſe habere, niſi fragmenta detracta Titulo, qui Romæ eſt, atque injecta in iis titulis, qui tanquam germani cenſeri ſolent, ſumpta parte pro toto: qua plane ratione dicitur, Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem ſervare titulum Crucis, quamvis revera ibi ſit pars ejus tantum, licet præcipua. Contendit Bailletus in iis locis, in quibus poſſeſſio Crucis Tituli vetuſtior eſt, ac inventum Tituli Romæ, non convenire, illum confectum eſſe ex fragmentis alterius, qui Romæ viſitur. Sed præſtans iſte Criticus nobis ſignificare deberet, quænam ſint Eccleſiæ iſtæ, quæ ante inventionem Tituli Romani, eundem poſſederint. Nos quidem nullam cognoſcimus; & Bailletus eorum, quæ profert, neque rationem, neque teſtimonium producit.

Verum quidem eſt, addere Bailletum, *Toloſanam præſertim Urbem Titulum ſuum ad originem aliam referre*. Sed id ſine ullo momento in medium affert. Cum alias certo noverimus, atque ex fonte, Eccleſiam Mariæ Virginis *de la Dorade*, fateri ſe nullum monumentum in Tabulariis habere de origine, tempore, vel modo, quo Titulus Crucis ad Eccleſiam illam delatus fuit, & rem in ſola Traditione ſitam eſſe: num autem Traditio hæc vetuſta ſit, vel non, & quo fundamento fulciatur, id in incerto latet, & nullo, quod ſuperſit, indicio aſſequi poteſt.

„ Titulus Crucis, ſubdit Bailletus, qui publicæ venerationi exponi„ tur in Eccleſia Mariæ Virginis *de la Dorade* V. Nonas Maii, & deci„ mo octavo kal. Octobris, licet integer nequaquam ſit, multo tamen „ major eſt, ac ille, qui Romæ ſervatur, ut incolumis erat. Toloſa„ nus nanque, uti in præſens eſt, dimidio pede in quadrum conſtat, „ cùm alius Romanus metiretur palmum cum dimidio in longitudinem, „ antequam ex utroque latere frangeretur, vel corroderetur. „ Multa quidem animadvertenda eſſent in his verbis, ſatis tamen ſit dixiſſe, Bailletum, ſuper hac re male inſtructum fuiſſe, & monumenta, quibus innixus eſt, fide laboraſſe.

Non repugno, Titulum, Toloſæ cultum, dimidiato pede ampliorem eſſe in quadrum, longitudinem nanque refert octo unciarum, & pluſquam ſeptem cum dimidia latitudinem. At Titulus, quem Romæ venerantur, uti erat anno 1648., & poſt utrinque diminutionem factam, metitur uncias novem cum dimidia, nimirum pluſquam tres uncias, & dimidiam præ Toloſano.

Quam-

Quamobrem, donec firmiora afferant in medium argumenta, ut Traditionem labefactent, quæ poſſeſſionem veri Tituli S. Crucis Eccleſiæ S. Crucis Romanæ tribuit, nolint Critici, qui a Chriſtianæ Religionis capite pretioſum depoſitum iſtud auferre conantur, a nobis præſtolari fidem; neque in ſpem inducantur fore, ut Traditionem deſeramus, quæ ſecundum ſeveriores Critices Leges extra omnem diſputationis aleam poſita eſſe videtur.

Calvinus ipſe argumentum intorquet adverſus Tituli S. Crucis veritatem. Audi qui diſſerat. „ Cum Urbs Toloſana jactat, ſe illum habe- „ re, & Romani id negant, eundem in Eccleſia S. Crucis oſtendentes, „ pugnantia invicem loquuntur. „ Non eſt dubitandum, unum duntaxat Crucis Titulum fuiſſe: narratio vero, quam propoſuimus Tituli Romani, certo notat, eum nunquam diviſum fuiſſe; atque adeo ſimul eſſe non poſſe Romæ, & Toloſæ, videlicet id, quod oſtentatur in his duabus Civitatibus, non perfecturum integrum Titulum, ſi modo conjungeretur. Quare opus eſt, alterutram Tituli partem, vel Romæ, vel Toloſæ non extare: præſertim, cum nihil ſimile præſeferant materies, & ſcriptio. *Calvinus Tract. de Reliq. pag. 842. ex Editione anni 1612.*

Atqui ſi liceret ſuper hac re ſententiam meam proferre, poſtquam conſului Viros fide digniſſimos, qui partes Tituli Crucis, Romæ & Toloſæ aſſervatas, examinarunt, præſumendum eſſet, Romam pretioſas veri Crucis Tituli reliquias poſſidere. Primo, quia Traditio Romana fundamentum facit in monumentis, quæ videntur extra controverſiam eſſe; cum ex adverſo Tituli Toloſani nullum in antiquitate veſtigium extet. Deinde quia Litteræ inſculptæ in Titulo S. Crucis in Hieruſalem optime reſpondere videntur dictis Evangeliſtarum; cum contra Scriptura Toloſæ non ſit Hebraice, Græce, & Latine exarata, ſed citius Gothice, vel Toloſatium inſtar. Tertio Titulus Romanus conſtat tribus lineis, alter vero S. Mariæ *de Dorada* quinque. Denique alia multa in hoc adnonantur, quæ ſuſpicionem afferre poſſunt, hunc neque verum eſſe Crucis titulum, neque partem Tituli Romani.

Simillimum igitur veri ſit, Titulum Crucis, qui Toloſæ Fidelium conſpectui objicitur, illum non eſſe, qui ſuperpoſitus fuit capiti Redemtoris crucifixi. Non tamen dubito, quin dignus veneratione ſit: exiſtimandum etenim eſt, in hoc Toloſano quædam fragmenta infixa fuiſſe veri Tituli Romani, atque illum hujus imaginem referre. Mira nanque facta, quæ per Titulum hunc operatus eſt Deus, ſatis certiores nos reddunt, Fidelium pietatem illuſam non eſſe; quoniam ipſorum cultui objectus revera eſt germanus Crucis titulus, cujus hic & fragmenta continet, & ſpeciem exhibet. Quod quidem reſpondet admodum Eccleſiæ conſuetudini, quæ ſolet eoſdem honores tribuere, & ſine ulla circum-

ſcriptione rei illi nomen Reliquiæ alicujus accommodare, quæ partem ipſius in ſeſe duntaxat habet; immo non ſemel ejus tantum imago eſt; ut fuſius in Diſſertatione de Reliquiis perſequemur.

§. III.

Utrum pedibus Chriſti crucifixi ſuppoſitum fuerit ſuppedaneum.

NON deſunt qui exiſtiment, Pictorum licentiam eſſe, Jeſum Chriſtum effingere hærentem pedibus cuidam trunco, a quo veluti ſuſtinetur. Ceterum manifeſtum eſt, Traditionem hanc non inniti Sculptorum & Pictorum ideis, ſed vetuſtiſſimorum Patrum teſtimonio, qui nos docuerunt, ſub pedibus Jeſu Chriſti crucifixi, lignum quoddam fuiſſe inſtar ſuſtentaculi.

Irenæus l.2. adv Hær. c. 42.

Ipſe habitus Crucis, inquit D. Irenæus, *fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & unum in medio, in quo requieſcit, qui clavis affigitur. Crux*, inquit Juſtinus, *directum habet unum Lignum, unde ſumma pars in cornu ſuſtollitur, cum Lignum ei aliud adaptatur, & utrinque, ut cornua, uni cornu adjunctæ extremitates apparent: & quod in medio fixum eſt, ut cornu & ipſum eminet, in quo vehuntur, & inſident, qui Crucis ſupplicium ſubeunt.*

Juſt. in Dialogo cum Tryph. pag. 318.

Greg. Turon. de Glor. Martyr. c. 6.

In ſtipite erecto, ait D. Gregorius Turonenſis, *foramen factum manifeſtum eſt: Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſeritur: ſuper hanc vero tabulam, tanquam ſtantis hominis, ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Innocentius Papa III. deſcribens Crucem: *fuerunt*, ait, *in Cruce Domini ligna quatuor: Stipes erectus, lignum tranſverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus*. Conſulto prætereo Tertulliani, Ven. Bedæ, & quorundam aliorum teſtimonia, qui ſuper hoc aperta ſententiam dicunt.

Innocent. III. Serm. 1. de uno Martyre.

Tertull. l. 3. adv. Marc. c. 18 & l. 1. ad Nat. c. 12.

Promptum etiam eſſet, Traditionem hanc confirmare imaginibus, quæ extant Jeſu Chriſti crucifixi, vetuſtiſſimis, ſive depictæ ſint, ſive ſcalpro celatæ, ſive demum in Nummis ſculptæ; in quibus Jeſus Chriſtus exprimitur cum fulcro quodam pedibus ſuppoſito: cujus exempla multa ſuppetunt apud Scriptores, qui accuratius argumentum iſtud complexi ſunt: uti Juſtus Lypſius in Tractatu de Cruce; ſed præ omnibus Cornelius Curtius in Libro *de Clavis Dominicis* edito, in quo antiquiſſimas refert Jeſu Chriſti e Cruce pendentis imagines.

Non longe a veritate abeſt, *ſuppedaneum* hoc clavis affixum cruci fuiſſe, ſi ea ratione aptatum fuit, qua conſpicitur in vetuſtiſſimis picturis: neque ambigerem, tum Crucis titulum, tum etiam Crucis Lignum

tranſ-

tranſverſum, clavis infixa fuiſſe. Porro contingere ſane potuit, ut clavi iſti in eorum numero haberentur, quibus crucifixus eſt Jeſus Chriſtus, atque adeo ipſorum numerus creverit. Quamvis etenim clavi iſti proxima non fuerint Paſſionis inſtrumenta, id tamen non prohibet, quominus colendi ſint; quippe veluti conſecrati ex contactu Sancti corporis illius, ejuſque ſanguinis pretioſi. Immo fortaſſe conjectura hæc commoda eſſet, ut probaremus Clavorum multitudinem, qui in multis Eccleſiis viſuntur, varietatemque quam plurium illorum cum in forma rei, tum etiam in diſſimili ſtructura.

ARTICULUS II.

Eccleſia quacumque ætate Linguis uſa duntaxat eſt in Sacris perficiendis Hebraica, Græca, & Latina, quæ in Crucis Titulo deſcriptæ fuerunt.

QUandoquidem quæſtio hæc aliis bene multis affinis eſt, operæ pretium ante omnia duco, id perſpicue explicare, quod aggredior ad dijudicandum. Non eſt hic ſermo de Litterarum Sanctarum Verſionibus; cum nulla ferme gens ſit earum, quæ ad Evangelium pervenerunt, deſtituta, vel ex parte, vel in univerſum Divinis Libris, in Linguam ſuam, vel olim, vel nunc importatis. Rem quoque ab inſtituto meo alienam ſuſciperem diſcutiendam, ſi hoc loci perpenderem, anne deceat, cuilibet proſmicue largiri facultatem legendi ſacrum Textum Lingua populis nota; non ſecus atque, utrum liceat, Miſſarum, & Divinorum Officiorum libros in Linguas vernaculas convertere: denique an eſſet utile preces publicas fundere eo ſermone, quem plebs Aſtantium calleret.

Conſilium itaque meum eſt, conſtantem hanc Eccleſiæ Traditionem roborare: Nimirum ætate Apoſtolorum, & ſæculis inſequentibus, Rem divinam peractam ſemper fuiſſe Hebraice, vel Syriace, Græce, & Latine: ſive Linguæ iſtæ vulgatæ eſſent, videlicet a populis intelligerentur; ſive non. Poſtquam vero Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimoniis, & conjecturis ſolidiſſimis Factum hoc hiſtoricum conſtituero, ad illud me conferam, ut Simonii & Bocquillotii adverſus hanc Traditionem argumenta refutem.

§. I.

Ætate tum Apoſtolorum, tum hominum Apoſtolicorum, tum denique ad undecimum circiter uſque ſæculum Myſteria Sancta nunquam celebrata fuere, niſi Hebraice, vel Syriace, Græce, & Latine.

UT ambiguitatem, in quam hac de re impingere doctiſſimi ſolent, evitemus, ante omnia animadverte, ætate Apoſtolica, & non paucis etiam ab illorum obitu annis, quatuor in Fidelium cœtibus fieri conſueviſſe. 1. Scripturas Divinas legere. 2. Sermonem habere, ea quæ lecta fuerant, ediſſerentem. 3. Sacrum facere. 4. Simul conferre, ſeque invicem ſolari.

Meminiſse quoque neceſse eſt, quatuor hæc exercitationum genera in duplici temporum differentia conſiderari poſse. Primo a die Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos lapſus eſt uſque ad illud tempus, quo Matthæus, Marcus, Lucas, ceterique Apoſtoli Libros Canonicos conſcripſerint. Deinde ab eo tempore ad primi ſæculi finem.

Quæ duo cum animadverterim, do ultro, & concedo, Exhortationes, Inſtructiones, Explicationes Scripturarum ad populum inſtituendum, nec non colloquia Fidelium poſt Myſteriorum celebrationem, hæc omnia, inquam, præſtita fuiſse ſermone cuilibet vulgari in iis locis, in quibus Syriacum, Græcum, aut Latinum ab omnibus non percipiebatur. Quod attinet vero ad alia duo, ſcilicet Lectionem Divinorum Bibliorum, & Sanctum Miſsæ Sacrificium, neque illa legebantur, neque iſtud recolebatur, niſi adhibitis altera ex tribus Linguis, de quibus diſputamus.

Antequam Apoſtoli Libros Canonicos ederent, nulla alia Scriptura extabat præter Hebraicum Textum, Pentateucum Samaritanum, & Verſionem Septuaginta: neque enim memorare libet Paraphraſes Chaldaicas, vel Interpretationes Litterarum Sanctarum, confectas a Judæis, quos vixiſse putant, vel ætate Chriſti, vel Religionis noſtræ naſcentis, vel antehac. 1. Quia opus eſt, hanc Scriptoribus iſtis antiquitatem vindicare. Cum in vetuſtiſſima iſtarum omnium Paraphraſum, Jonatano tributa, legamus Turcarum nomen, quod, niſi poſt ſexcentos a Chriſto annos, emerſit. 2. Non carent fabulis e Talmude depromptis. 3. Non eſt ſimile vero, Originem, & Hieronymum, tamdiu cum Judæis verſatos, & tot laborum pro Scripturarum Divinarum interpretatione patientiſſimos, nunquam de Paraphraſibus Chaldaicis locutos fuiſſe, ſi quidem illæ temporibus eorum fuiſſent exploratæ.

Morinus Exerc. Bibl. l. 4. exerc. 2. c. 2. p. 32.

Igitur ſecundum hanc animadverſionem Textus Sacer legi non poterat

rat eo tempore, niſi altera ex his linguis; cumque Myſteria ſacra conficerentur ex Oratione Dominica, & verbis Conſecrationis, non eſt cur dubitemus, Apoſtolos iiſdem verbis uſos, quæ adhibuerat ipſe Chriſtus in præſcribenda orandi ratione, atque in Euchariſtia inſtituenda.

Apoſtolis autem in univerſum Orbem diſtractis, in Conventibus Chriſtianorum Veteris Teſtamenti Libri, & Scripta Apoſtolica legebantur, cum Biblia tum converſa nondum fuerint; atque adeo vel Syriace, vel Græce, aut Latine legere neceſſe eſſet. Quod vero pertinet ad Rem divinam, quæ ſita erat in Verbis Conſecrationis, atque in Dominica Oratione, & quampluribus precibus, quas paullatim addiderant, e Scripturis Veteris, & novi Teſtamenti depromptas: hæc omnia in ea Lingua recitare par erat, in qua tum temporis exarata fuerant.

Quis etenim ſibi perſuadeat, Apoſtolos, Epiſcopos, alioſque Miniſtros, qui coram Chriſti fidelibus Myſteria divina peragebant, vulgatam regionis Linguam adhibuiſſe, ut in ea Orationem Domini recitarent, Epiſtolaſque, atque Evangelium legerent? Quis crediderit, ſummos hoſce Viros prætuliſſe barbarum ſermonem, & diſſimillima tot gentium verba Textui archetypo Bibliorum, quem Spiritus Sanctus dictaverat; atque ipſi e Jeſu Chriſti ore perceperant? Non eſt itaque vero conſentaneum, Apoſtolos, eorumque Diſcipulos, vel ſacras Litteras legendas juſſiſſe, vel Divina Myſteria celebraſſe, niſi Hebraice, vel Syriace, Græce, & Latine.

Apoſtoli, ut communis opinio fert, Evangelii veritatem diſſitis inter ſe regionibus annunciarunt. S. Joannes Epheſinam condidit Eccleſiam: Matthæus Æthiopes imbuit: Andreas in Achajam ſe contulit: Judas Meſopotamiæ Chriſtum prædicavit: Philippus Scythiam peragravit: Barnabas tandem in Inſula Cypri, Marcuſque Alexandriæ functi ſunt munere ſuo. Quamvis igitur Evangelium ſinguli nunciaverint populis iſtis ſermone ipſis haud ignoto, non eſt tamen ulla ratione probabile; eos ſingulari tot regionum Linguæ, vel Biblia reddidiſſe, vel Sacra Miſſarum Solemnia accommodaſſe.

S. Irenæus deſcripta Septuaginta Interpretum Hiſtoria, ſubjungit: *Etenim Petrus, & Joannes, Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum ſectatores, Prophetica omnia ita annunciaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.* *Irenæus l. 3. c. 25.*

§. II.

§. II.

Ab initio ſecundi ſaculi ad quartum uſque, Eccleſia cum Græca, tum Latina non uſurpavit in Sacris alias Linguas præter e tribus aliquam, quæ in Crucis Titulo exaratæ fuerunt.

EXordium faciamus ab Eccleſia Græca. Poſt Apoſtolorum interitum, immo ipſis adhuc inter nos agentibus, Scripta Prophetarum, Apoſtolorumque, ut Juſtinus tradit, legebantur, & Lectione abſoluta, Antiſtes hortationis verba faciebat: & propterea cum S. Martyris hujus ætate, nulla alia Biblia cum Veteris, tum Novi Teſtamenti extarent; quæ in aliqua ex tribus memoratis linguis conſcripta non eſſent; ideo in cœtibus Fidelium Orientis, de quibus Juſtinus, neque illa legi poterant, neque recoli Miſſæ Sacrificium, præterquam Græce, vel Syriace. Ut autem rei claritatem afferamus, illud attende, pervagatum apud omnes eſſe, Verſionem Syriacam ex veteri Orientalium Traditione ab Apoſtolis lucubratam fuiſſe, vel ab eorum Diſcipulis paullo poſt ipſorum interitum: *Interim veritati eſt prorſus conſentaneum, intra ipſa Eccleſiæ Chriſti initia, vel ab ipſis Apoſtolis, vel eorum Diſcipulis perfectam.* Quamvis autem deſint argumenta ſatis firma, quibus magnam hanc antiquitatem fulcire poſſis, nihilominus extra omnem dubitationem eſt, illam vetuſtiſſimam eſſe, nec non Schiſmata omnia anteceſſiſſe, quæ in varias ſectas Orientis populos diviſerunt: demum primam haberi ceterarum Verſionum omnium, quæ a Chriſto nato confectæ fuerunt; ſi fortaſſe Latinorum Italicam excipias.

Juſtinus Apol. 2.

Tremel. in Epiſt. Dedic. N.T. ad Reg. Eliſ. Vualtonus Proleg. Vet. pag. 34. col. 2. Jacob. Mart. Præf. in N.T. Syriac. Troſtii fine. Simonius Hiſt. Crit. Verſ. Vet. Teſtam. cap. 13.

Sententia paſſim apud omnes recepta eſt poſt Eccleſiaſticos Scriptores, Apoſtolos Lingua Syriaca locutos fuiſſe, aque uſos in ſermonibus, atque inſtitutionibus Judæorum; & licet hæc Lingua *Syrochaldaica* appelletur propter Linguarum Chaldaicæ, atque Hebraicæ commixtionem; non tamen deſunt Critici, qui parum intereſſe credant inter Linguam Chaldaicam, qua Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum ætate loquebantur, & Linguam, quam proprie Syriacam nuncupamus.

Simonius ibid.

Quidquid igitur ſit diſcriminis hujus leviſſimi, conſtat, Verſionem hanc Syriacam maximo obſequio cultam, ſummaque autoritate inter pleroſque Orientis populos fuiſſe præditam. Publice eam legebant omnes priſcæ Eccleſiæ, erectæ in Syria, in Meſopotamia, in Chaldæa, in Ægypto, atque in Oriente fere univerſo. Qua de re factum eſt, ut Lingua Syriaca regionibus, quibus uſitata fuit, pluribus etiam nominibus donaretur. Continuo *Chaldaica* vocata eſt a Chaldæa, cui primum vulgaris fuit; poſt Linguarum confuſionem *Babylonicæ* nomen accepit a Babylone, Ur-

Valton. Proleg.

be

be Chaldeæ capite. Deinde dicta eſt *Aramæa*, aut *Syriaca*, ab Aram, vel Syria; immo *Aſſyriaca* etiam ab Aſſyria, quoniam in his quoque locis percrebuit. *Quare mirum eſſe non debet*, inquit Autor quidam, *ſi Lingua Chaldaica, Syriaca, & Aſſyriaca, una eademque ſit; quandoquidem & nomina, quæ ei indita ſunt, pro eodem uſurpantur*. Præter hæc nomina, alia quoque ſortita eſt *Hebraicæ, Comagenicæ, & Maroniticæ*. Chriſtiani Orientis hanc Linguam tamquam ſibi propriam ita uſurparunt, ut in ea Scripturas legerent, & Rem Divinam peragerent, quippe quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis ab univerſo populo intelligebatur. Sed nunc etiam, licet diverſæ nationes iſtæ Syriacam Linguam non amplius teneant, perſeverant tamen in ea Sacros Libros legere, & Liturgias celebrare.

Greg. Amira Præludi. Grammat. Syriac ſive Chaldaica.

Quæ cum dico, eccur non liceret mihi hanc conjecturam augurari, videlicet, in hac Lingua Sacrum coli ſolitum, antequam Origenes, Lucianus, atque Heſichius Septuaginta Verſionem emendaſſent? Cum etenim Verſio hæc Syriaca petita ſit ex Hebraico Veteris Teſtamenti, & Græco Novi, videri ſane debuit populis iſtis correctior, quam Verſio Septuaginta, quæ non parum corrupta erat, prius quam Origenes eam retractaret. Quapropter primis Ævis fortaſſe in publicis Conventibus uſus fuit Syriacæ Verſionis apud fere omnes Orientis Eccleſias, idque eo magis, quo Lingua hæc Provinciis bene multis erat vernacula. Quod certo liquet, eſt, non potuiſſe, ab Apoſtolorum ad Origenis tempora, Chriſtianos adhibere niſi, Verſionem Græcam Veteris Teſtamenti, adornatam a Septuaginta Interpretibus, & Textum Græcum Novi, vel demum Verſionem Syriacam; quoniam nulla omnino ratione probari poteſt, ante tempora Origenis in Oriente Scripturas Sacras aliis Linguis redditas fuiſſe, præterquam Hebraica, vel Syriaca, & Græca.

Præſto eſt nobis conceptum S. Hieronymi teſtimonium: *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat Autorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæſtinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius, & Pamphilus vulgaverunt*. Quamquam vero in his omnibus regionibus tot eſſent peculiares Dialecti, ut vix inter ſe populi iſti ſe intelligerent; tamen univerſæ Orientis Eccleſiæ Græcis tantummodo Bibliis utebantur; ſive alicujus Provinciæ vulgata eſſet ea lingua, ſive non. Poſſumus itaque inde concludere, ætate D. Hieronymi nullam fuiſſe in Oriente Eccleſiam, in qua Sacra fierent Linguis vernaculis, ab Syriaca, vel Græca diverſis. Ad Eccleſiam Latinam tranſitum faciamus.

Hieronymus Præf. in Paralip.

Sanctus Auguſtinus tradit, quamplures fuiſſe Verſiones Latinas; quoniam in ipſa Religionis conſtitutione, cum primum homini, utriuſque Linguæ non prorſus ignaro, occurrebat exemplar Græcum, ſtatim libe-

Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11.

rum

rum ſibi putabat eſſe, illud Latine vertere. Quarum tamen Interpretationum celeberrima *Italica* fuit appellata.

Non eſt dubitandum, Eccleſias Occidentis, præcipuæ Italicas, legiſſe in publicis Cœtibus a Chriſtianæ Religionis exordio Scripturas Sacras: Quod locum dedit Latinæ Librorum omnium Sanctorum, qui prius Græce legebantur, interpretationi. Cum etenim Religio Chriſtiana in Italia, atque in Occidente univerſo radices ageret, neceſſum fuit, in promptu habere Verſionem, ea Lingua exaratam, quæ a Provinciis iſtis paſſim intelligeretur. Verſio hæc nomen ſubivit *Italicæ*, quod revera videatur originem ab Italia ducere, ex qua deinceps cum Religione ipſa ad ceteras Occidentis partes propagata eſt. Baronius, Serrarius, aliique putant, eam elaboratam fuiſſe ab Apoſtolorum Diſcipulis, & primis Eccleſiæ conditoribus probatam.

Neſcimus, aliam in Occidente uſque ad Hieronymi ætatem uſui communi Scripturam deſignatam fuiſſe, neque in Sacris faciendis aliam ibi adhibitam, præter veterem hanc Italicam, ſiquidem, ut animadvertit Auguſtinus: *In ipſis Interpretationibus Itala cæteris præfertur; nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ*. Qua de re licet daremus id, quod ait Simonius, videri ſimile vero, in Occidente Sacras Litteras initio lectas Græce fuiſſe, cum Lingua hæc præſertim Romæ communis eſſet: illud tamen ſemper verum erit, ab Apoſtolorum ætate ad uſque quintum Ævum, Sacras Scripturas in Divinis Myſteriis Syriace tantum, Græce, & Latine uſurpari conſueviſſe.

Aug. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15.

Simon. Hiſt. Crit. Verſ. Novi Teſt. cap. 3.

§. III.

A quinto ſæculo ad noſtra tempora, Eccleſiæ Chriſtianorum, quæ cum Romana communicant, Sacra non confecerunt ſive in Oriente, ſive in Occidente, niſi Syriace, Græce, & Latine.

NUllum veſtigium eſt, Græcos, a primævis Eccleſiæ temporibus ad nos uſque, Divina Myſteria in aliis linguis, præterquam in ſua, celebraſſe, ſive Romanæ Eccleſiæ adhærerent, ſive ab ea diſſociarentur: Neminem latet, eos ſemper in more poſitas habuiſſe, ut narrat Petrus Diaconus Fulgentio, Liturgias S. Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, & quorundam aliorum, quæ certo certius eſt Græce conſcriptas fuiſſe. Tametſi autem Lingua hæc mutationem ſubierit, & pleræque Græciæ totius Provinciæ Græcum ſermonem minime intelligant, qui modo vulgatus ipſis non eſt; non tamen deſinunt Rem divinam recolere Lingua earum Liturgiarum, quas perpetuo ſervaverunt.

Concil. Trul. c. 2.

Concil. Nicæn. can. 2. ſeſſ. 6.

S. Damaſ. l. 4. de Fide c. 14.

Quam-

Quamplurimi ſunt Græci, per Orientem univerſum longe lateque diſperſi, quos alii vocant *Græcos Arabes*, alii & frequentius *Melchitas*, qui Myſteria Sancta celebrant Lingua Græca, quamvis Arabica utantur, tanquam vernacula.

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 9. num. 5.

Ex quo vero Schiſmata Eccleſiam Orientalem diſtraxerunt, major ſectarum illarum pars Sacrum Syriace facit, quamvis ipſis Lingua nullo modo cognita vulgo ſit. In quarum numero ponere licet Neſtorianos, qui non modicam Orientis partem occupant: videlicet ſuburbia Babylonis, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Parthorum, Medorumque regiones. Quibus adde Jacobitas, qui frequentiſſimi ſunt in Syria, in Inſula Cypri, in Meſopotamia, in Paleſtina, atque alibi. Copti quoque Linguam Syriacam adhibent ad Divinas Res peragendas; ſed poſtquam Evangelium Syriace legerunt, Arabice, Lingua ſcilicet ipſis vernacula, rurſus recitant.

Vualton Proleg. XIII. de Liturg. Syriac. pag. 91. & ſeq.

Indi, ſive Chriſtiani, ut ajunt, D. Thomæ, Liturgiam ſuam Syriaco ſermone ſcriptam habent, non ſecus atque Maronitæ Montis Libani, etiam poſtquam Pontifici noſtro obtemperant, ipſique ſe dediderunt. Hæc porro Lingua olim populis Montis Libani vulgata erat, quemadmodum quibuſdam regionis illius pagis in præſenti eſt. Unde facile eſt colligere, a V. ſæculo deinceps in Oriente Rem divinam Syriace, vel Græce celebratam fuiſſe.

Vualtonius ibidem.

Multo vero magis paratum habemus palam facere, Eccleſiam Occidentalem nunquam Sacra feciſſe, niſi Latine. S. Cyprianus nos docet, in Africa dici olim in Miſſa: *Surſum corda*. S. Auguſtinus ait, poſt hæc verba: *Habemus ad Dominum*, Sacerdotem adjeciſse: *Gratias agamus &c.* & populum reſpondiſse: *Dignum & juſtum eſt*. Et quoniam Patrum iſtorum ætate Præfatio Miſſæ Latina erat, non eſt ambigendum, Epiſtolam, Evangelium, reliquamque Miſſam Latine digeſtam fuiſſe.

S. Cyprianus ſerm. de Orat. Dom.
Auguſt. de bono Perſ. c. 13.
Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. cap. 13.

Idem Divus Auguſtinus ſcribit, peritiam trium duntaxat Linguarum, Hebraicæ, Græce, & Latinæ, ad Scripturarum intelligentiam neceſſariam eſſe; neque publice eas legi, niſi his tribus Linguis: additque ætate ſua cœptum eſſe, Pſalmos quoque Latine canere. Porro nullus Author eſt, qui perhibeat, Sacra Myſteria in Africa Punico vulgari ſermone celebrata fuiſſe: ſive Lingua hæc, teſte Auguſtino, Dialectus eſſet, quæ ad Hebraicum, vel Syriacum proxime accederet: vel Afrorum Lingua, tradente Hieronymo, Phœniſſa eſſet aliquantulum immutata.

Auguſt. Serm. 35. de verb. Domini.
Hieron. Præf. l. 2. in Epiſt. ad Gal.

Quæ Lingua Punica ibi tantum uſurpabatur, ubi non erant Coloniæ Romanorum: in Carthagine nanque, atque in aliis Urbibus, Latinum vernaculum habebatur. Teſtantur Autores præclari, cum Mahumetani Barbariæ, ſive Africæ ſeptentrionalis oras invaſerunt, ſeptimo nimirum

Ævo, tum Afros uſos fuiſſe Romanis caracteribus. Romani namque; Africa in ditionem ſuam redacta, veteres Inſcriptiones omnes deleverunt, ut celeberrimorum Afrorum facinora ex hominum memoria abolerent, & propterea Latina elementa induxerunt; Lingua licet Latina nequaquam Africæ vulgaris eſſet.

Idem Divus Auguſtinus adnotavit in Expoſitione Epiſtolæ ad Romanos, non paucos in Africa fuiſſe, qui Linguas ſimul Punicam, & Latinam callerent; ſed ruſticos Punicam duntaxat loqui. Eodem prorſus modo, quo inter nos videmus, Latinam Linguam ſatis communem eſſe inter Gallos, Hiſpanos, Italos, & Germanos, & tamen nemo affirmare auderet, Linguam hanc Regionibus iſtis vulgatam eſſe. Sed fuerit, nec ne Lingua Latina Africæ vernacula, non tamen reperies, ab Auguſtini ætate Myſteria ſancta alii unquam Linguæ, præterquam Latinæ commendata fuiſſe: quandiu Catholica Religio ibidem perſeveravit.

Ante annos centum, & mille, ex quo Gothi, & Mauri in Hiſpaniis dominati ſunt, Res ſemper Divinæ Lingua Latina celebratæ ſunt. Concilium Toletanum IV. decrevit, eundem ordinem ſervandum eſſe cum Pſalmi canuntur, Miſſa recolitur, & Lectiones fiunt. Porro uſuvenerat apud eos, hæc omnia Latine legere, neque id unquam prætermiſſum fuit, poſtquam Hiſpani Romanos Ritus admiſerunt.

Concil. Tolet. IV. cap. 2.

Ante Caroli Magni tempora, nulla in Galliis vigebat Liturgia, niſi vetus illa, quæ Latina erat, atque a recepto Romano Ordine deinceps nunquam ea uti deſtiterunt. Rabanus animadvertit, ſemper in Germania Latine ſacra peracta fuiſſe. Idem dicendum eſt de Bohemis. Cum etenim Chriſtiani Regni hujus priſcum morem Latine celebrandi Miſſas deſerere cogitarent, ut Lingua Illyrica uterentur, Gregorius VII. P. M. ad Bohemiæ Ducem ſcripſit, ſe multis, iiſdemque juſtis de cauſſis concedere nullo modo poſſe, ut Myſteria Divina ea Lingua celebrarentur.

Rabanus l. 2. de Inſtit. Cleric.

In Anglia quatuor diverſi ſermones obtinuerant; ſed Latinus frequentior erat; quia, ut ait Ven. Beda, omnes Latine Scripturas legebant: quod firmiſſimam ſuppeditat conjecturam, nulla alia Lingua Sacra tum perfecta fuiſſe.

Supervacaneum eſſet oſtendere, poſt ſæculum ſextum cum Longobardi in Italiam deſcenderunt, nunquam niſi Latinam Linguam in Myſteriis uſum habuiſſe; licet jam tum vulgata non eſſet. Non modo ante illud tempus Scripturæ Latinis verbis legebantur, ſed deinceps quoque nunquam id intermiſſum eſt. Nunc etenim Sacra recoluntur eadem prorſus ratione, qua ante annos plus mille, quod colligere poſſumus ex Decreto Gelaſii Papæ, in quo Romanus Ordo corrigitur, atque augetur. Idem præſtitit Sanctus Gregorius Papa, ut videre eſt in ejus Sacramentario;

Sabell. Ennead. 8. l. 3.

Diſt. 15. Can. Sancta Rom.

atque

atque ipſum ſecuti ſunt Gregorius VII., Pius V., Clemens VIII., Urbanus VIII., qui, ut expedire cenſuerunt, veterem Liturgiam, intacto ſermone, retractarunt.

In univerſum aſſerere poſſumus; Verſionem Italicam ætate D. Hieronymi uſum habuiſſe in Eccleſia Latina, atque adeo uſque ad tempus D. Gregorii Papæ; quandoquidem Pater iſte nos docet, Eccleſiam Romanam ab utraque verſione non receſſiſſe. *Sedes Apoſtolica, cui autore Deo præſideo, utraque nititur; mei quoque labor ſtudii, & utraque fulciatur.* *Greg. Epiſt. ad Leandr. Epiſc. in Epiſt. Dedic. in Libr. Job.*

Quanquam autem Verſio hæc conſuetudine Eccleſiæ, atque unanimi Patrum ſuffragio confirmata eſſet; non tamen propterea Hieronymus de ſententia receſſit, ut novam Interpretationem aggrederetur, quæ ſtatim recepta non fuit: atque idem Divus Auguſtinus facultatem dare recuſavit, ut in publicis fidelium cœtibus legeretur. Ducentis vero poſt S. Hieronymum annis cum vetus vulgata, tum nova S. hujus Doctoris Verſio in multis Eccleſiis ad Myſteria divina invectæ fuerant; donec omnes uni duntaxat Hieronymi Interpretationi adhæſerunt. Porro, ſi fides eſt quibuſdam Litteratis viris, ex his duabus vulgatis una duntaxat effecta fuit; ſed quo tempore, atque autore, inquiunt, incertum eſt. *Greg. Magni Epiſt. ad Leandrum. Item Mor. l. 20 c. 23.* *Simonius Hiſt. Crit. Verſ. Nov. Teſtam. cap. 7.*

Quare poſtquam Eccleſiæ Latinæ præſto fuit Verſio ſua, & Vulgatam adoptavit, nunquam ab illa abſtinuit in divinis Myſteriis celebrandis: ſive vulgatæ Latinæ nomine veterem Italicam, vel Hieronymianam, vel ex utraque, ut ferunt, coaleſcentem intelligamus. Tametſi vero vetus hæc Italica obſoleverit, *Introitus* tamen Miſſarum pene omnes deprompti ſunt e Pſalmis ſecundum Verſionem iſtam; neque alii ſunt, ex animadverſione Durandi, præter ſequentes, qui ad verſionem priſcam Italicam accommodati non ſint; videlicet: *Puer, qui natus eſt nobis &c.* in die Nativitatis: *Viri Galilei &c.* in die Aſcenſionis: *Spiritus Domini &c.* in die Pentecoſtes: *Nunc ſcio vere &c.* in Feſto S. Petri; & nonnulli alii. Quidam ſunt, qui e Sacris Litteris non proficiſcuntur, uti: *Salve Sancta Parens. Gaudeamus omnes in Domino &c. Benedicta ſit Sancta Trinitas &c.* quorum Autor D. Gregorius Papa non adhibuit Pſalmorum Interpretationem, quæ nunc in more eſt Divinorum Officiorum, ſed veterem Italicam, qua utebatur Eccleſia, ſuperſtite D. Hieronymo. *Reſponſoria* item Miſſæ, *Tractus*, *Offertoria*, & *Poſtcommuniones* ab hac vetere Italica exſcripta ſunt. *Durandus l. 4. Rational. c. 5.*

§. IV.

Multa, eaque recta, in cauſſa fuerunt, cur Eccleſia noluerit rem divinam facere Linguis aliis præter iſtas tres. Quo in loco repetitur origo mutationum, quæ ſubrepſerunt.

SI Eccleſia in Myſteriorum Divinorum celebratione æquabilitatem minime ſervaſſet, atque illa non ſemper Græce vel Syriace in Oriente, Latine in Occidente peregiſſet; magna inde incommoda exorta eſſent. Ut etenim æquabilitas hæc prorſus neceſſaria eſſe videtur ad pacem inter Fideles ſervandam, & ne tolleretur ab Eccleſiis nexus ille communicationis, quo in Divinis rebus ſociari debent: ita uſus Sacrorum Linguis vernaculis adverſari videtur unitati Fidei, Religionis, Charitatis, & Societatis, quas Chriſtianos, & Catholicas Eccleſias omnes profiteri neceſſe eſt.

Unitas Fidei, & Religionis idcirco intacta per tot ſæcula in Eccleſia Latina perſeveravit, quia eundem ſermonem in Sacris faciendis uſurpat; & frangi fortaſſe poſſet, ſi Galli, Hiſpani, Itali, & Germani, aliique Chriſtiani populi ſua quiſque lingua Myſteria Sancta adminiſtrarent: quod ſane contigit in Orientis Schiſmaticis Eccleſiis; & quotidie conſpicimus inter poſtremorum temporum Hæreticos, qui in Cœtibus ſuis Biblicos Libros Lingua populorum legere affectarunt.

Ad hæc, cum vulgares Linguæ conſtitutæ firmiter non ſint, & in ſingulas fere ætates mutationem ſubeant; neceſſum eſſet, novo quoque Ævo novas Interpretationes adoriri, ſi introduceretur uſus legendi Scripturas lingua vernacula in Conventibus Chriſtianorum. Ex qua mutatione in illud conſilium venit Eccleſia, ut in Sacra Liturgia Hebraicum tantummodo, vel Syriacum, Græcum, & Latinum uſurparet.

Tres Linguæ iſtæ non extant modo niſi in Codicibus MSS., & in Libris; atque eadem temporum viciſſitudo multa invertit in verborum cadentium ſonitu, pronunciatione, & ſignificatione, nec non in caracterum figura, & nexu: ut in Linguis primigeniis animadvertere poſſumus.

Hebraicæ Linguæ pulchritudo non parum diminuta fuit ſeptuaginta Captivitatis Babylonicæ annis, atque hactenus cum Lingua Chaldaica commixta eſt, ut poſt captivitatem a vulgatæ natura defecerit; neque uſpiam in Libris vetus Hebraica Lingua reperiatur. Poſtquam autem Judæi a Græcis, & Latinis ſubacti, atque huc, & illuc diſperſi ſunt, ita Hebraicus ſermo corruptus eſt, ex multarum alienarum vocum permixtio-

mixtione, ut in Chaos horrendum abjerit, ſi de eo pronunciandum ſit ex Lingua Rabinica, & præſertim ex Talmude, cujus ſtilus horribilis, & monſtroſus omnes pene Linguas alias in ſeſe recepit.

Lingua pariter Græca veterem elegantiam ſuam non parum amiſit, ut hodierna die plerique Græcorum nihil prorſus ex iis intelligant, quæ leguntur in Liturgiis S. Baſilii, & S. Joannis Chryſoſtomi; e contra vero Eruditi, qui priſcam Græcam Linguam tenent, vulgatam non aſſequantur. Ipſi caracteres Scripturæ veteris differunt a recentioribus; quæ tamen mutationes non partæ ſunt ab irruptione Gothorum in Græciam, qui quidem parum in illis regionibus commorati ſunt; ſed potius a Translatione Imperii, qua factum eſt, ut multa Romana verba Græcis admiſcerentur. Negligentia pariter Græcorum, affectatio in verbis contrahendis, permiſcendis, aliter vocalibus, & diphthongis pronunciandis, atque accentibus transferendis, non parum contulit ad elegantiam puritatemque Græci ſermonis vitiandam.

Lingua ipſa Latina eandem, ac duo ſuperiores, aleam ſubivit. * Ferunt nonnulli, Sacerdotes ferme nihil amplius intellexiſſe verſus Saliares a Numa Pompilio confectos. Leges XII. Tabularum, a Fulvio Urſino collectæ, atque ab ipſo relatæ iiſdem Decemvirum, Regumque conditorum verbis, aperte demonſtrant, quam vetus Latinum differat a moderno. Polybius quoque ait, conditiones pacis, inter Romanos, & Pœnos pactas paullo ante Regum expulſionem, vix ab Eruditiſſimis Ævi ſui intellectas fuiſſe: cum tamen trecenti duntaxat, & quinquaginta anni interceſſiſſent.

Quintil. MS. tit. l. 1. c. 6.

Polyb. Hiſt. l. 3.

Hæc Latinæ Linguæ converſio repetenda eſt a magno captivorum numero, qui Cives exceſſerant; populorumque innumerabilium, qui ex aliis Provinciis Romam confluebant. In cauſſa quoque ejus partim fuit admixtio Linguarum Provinciarum cum Romana: præſertim vero Gothorum, qui torrentis inſtar a Septentrione erumpentis, in Italiam,

Iſidorus Orig. l. 9. c. 5.

* Extat etiam nunc in Capitolio Columna, erecta in honorem Druſilli Conſulis Romani, qui in primo bello Punico navalem victoriam reportavit adverſus Pœnos, centum quinquaginta annis ante tempus Ciceronis, quo floruit Lingua Latina. Ex verbis in hac Columna ſculptis conſpicitur, quantum eſſet hujus a ſermone Tulliano diſcrimen. Affero quædam ſenſa, a Breeraodio recitata.

Exemit. Leciones. Macistratos Caſtreis exfociunt.

Exemit Legiones Magiſtratus, Caſtris effugiunt.

Pugnandit. Cepet. inque. Navibos. Maria. Conſol.

Pugnando cepit inque Navibus Mari Conſul.

Primos. ornavit Navibos. Claſſeis. poenicas ſumas.

Primus ornavit Navibus Claſſes Punicas Summas.

Carthacinenſes. Dictatored. Altod. ſocias. Triresmos.

Carthaginenſes Dictatori alto, ſociis Triremes.

aliaſ-

aliaſque Septentrionales Imperii Provincias ſe projecerunt. Quæ confuſio Latinæ Linguæ nitorem admodum deturpavit.

Idem, quod paſſæ ſunt Linguæ iſtæ, cognoſcitur vehementius in Germanica, Gallicana, atque aliis: trecentorum nanque, vel ad ſummum quadringentorum annorum intervallo eatenus immutatæ ſunt, ut vix, quæ in Libris ſuperſunt, intelligamus. Qui ætate iſta loqui vellet, ut ducentis ab hinc annis Galli loquebantur, riſum in audientibus excitaret; cujus rei non exiguum argumentum eſt Verſio Pſalmorum Marotii, quæ præteriti ſæculi plauſibus excepta, nunc dictionem barbaram redolet, vixque percipitur.

Quamobrem ex hac perpetua Linguarum mutatione inducta Eccleſia eſt, ut religioſe, atque inviolate alii ex tribus antiquis Linguis adhæreret, quæ olim vulgatiſſimæ omnium fuerunt, ut Sacra recoleret, & Divinarum Litterarum integritatem cuſtodiret. Textus nanque ſacer, qui generalis eſt regula doctrinæ, mutationi alicui obnoxius fuiſſet, ſi in vulgatam Linguam, & unicuique Provinciæ uſitatam illum vertiſſent. Qua autem ratione Eccleſiaſticæ Judices Doctrinæ tot diverſas, immo abhorrentes quoque, Linguas addiſcere potuiſſent, ut diſſimiles Interpretationes iſtas pro rei neceſſitate examinarent, & de ipſarum præſtantia vel vitiis judicium ferrent?

Intereſt aliquando Concilia Æcumenica celebrare. Si Patres univerſi, qui illa conſtituunt, Scripturas ſanctas haberent, Provinciarum ſuarum ſermone vulgato conſcriptas: non poſſet ullo modo inter eos convenire de Verbi divini ſenſu. Neceſſe fuit itaque, Divinas Litteras Eccleſiæ relinquere, iis Linguis uſitatioribus redditas, quæ paſſim a compluribus cujuſque Regionis hominibus intelliguntur: atque adeo commune Eccleſiæ bonum poſtulabat, ut ad habenda in Conciliis hac de re Decreta, atque ad fovendam Eccleſiarum Catholicarum ſocietatem, Editio Bibliorum extaret, in qua Epiſcopi ſtatuere poſſent Canones ſuos, & Litterati totius Eccleſiæ Viri cognoſcerent, quid, & quo pacto ſancitum ſit. Apoſtolorum ætate Lingua Græca, utpote vulgatiſſima, exhibebat verbis ſuis totum Vetus Teſtamentum, & majorem Novi partem. Sed Romanis Imperium ſuum propagantibus, Græca Lingua contracta eſt, & præſtante Latina, prodiit Italica Verſio, ſucceſſu diuturno temporum vulgata, & Univerſæ Latinæ Eccleſiæ uſitata; ut hoc pacto incommoda illa quibus patebat, removeret, ſi Sacra peracta fuiſſent, & Divina Biblia recitata in Fidelium Conventibus vulgari ſermone, cuique Provinciæ, vel Nationi proprio. Tandem nefas eſt, Liturgiæ Sacræ majeſtatem, & Myſteriorum noſtrorum amplitudinem obnoxiam eſſe tot mutationibus, quæ vulgatas Linguas neceſſario ſequuntur: ex quo minus auguſta redderentur, ſi eam lin-

linguam uſurparent, cujus dictio quantumvis aliquando elegans, & in pretio habita, non multo poſt injucunda eſſet, & flocci facta.

SECUNDA PARS.

Quorundam expenduntur Scriptorum ſententiæ de Verſionibus Bibliorum, primis Eccleſiæ ſæculis elaboratis: atque utrum Res tum divina ſermone populis in univerſum uſitato celebraretur.

Quandoquidem Sacræ Litteræ graviorem Liturgiæ partem componunt; non eſt cur dubitemus quin ſi primis Eccleſiæ ſæculis redditæ illæ fuiſſent Linguis uniuſcujuſque regionis, eadem quoque Lingua myſteria Sancta celebrata fuiſſent. Quare ut novis argumentis muniamus, quidquid hactenus diximus de Officiis divinis, aliqua ex tribus Linguis quocumque tempore perſolutis; nos examinare pergimus quorundam Scriptorum ſenſa, qui contendunt, ab Apoſtolicis temporibus exhibita Fidelibus fuiſſe Biblia, ſermone diverſo a Linguis Græca, & Latina, in quo, quippe populis conſueto, Myſteria Divina recolebant: quod oppugnat omnino a nobis tradita duobus primis §. Articuli præcedentis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis non ſunt Fidelibus traditi Libri Novi Teſtamenti, Lingua paſſim vulgo uſitata, ut exiſtimat Simonius.

§. I.

Apoſtoli ſcripſerunt Libros Canonicos eo ſermone, qui a populis paſſim non intelligeretur; neque Scripturas interpretati ſunt ſecundum Linguas Nationum, quas ad Fidem convertebant.

SImonius initium facit Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti his verbis: „ Non vacat, me diu immorari, ut oſtendam, Libros Novi Teſtamenti exaratos fuiſſe Chriſtianis primis ea Lingua, quam univerſi perciperent: quoniam tantæ eſt Factum iſtud evidentiæ, ut illud ii tantum inficiari poſſint, qui in ſumma rerum iſtarum ignoratione verſantur.

Simonius Hiſt. Crit. Verſ. N.T. cap. 1.

Ego

Ego vero non crediderim, Lectorem ſe ſincere in fraudem impelli ab hac decretoria loquendi ratione, qua utitur Simonius; ſi modo attendat animum Paulo, ſcribenti Græce ad Romanos, licet ipſis non Græca, ſed Latina Lingua vulgaris eſſet. Philaſtrius certe animadvertit: *Dum in Peloponeſo verſarer, vir Graciæ præſidebat ignarus Linguæ Græcæ, ita ut nec ipſe Græcos, nec ipſum Græci loquentem ullatenus intelligerent*. Quod perſpicuo argumento eſt, Linguam Græcam Romæ non fuiſſe omnibus compertam.

Philaſtr. in Apoſtolico lib. 5.

Act. 2. 7. 8. Divus Petrus Judæis Græce ſcripſit, quorum tamen communis ſermo Græcus non erat; quoniam dicebant in die Pentecoſtes, audita Apoſtolorum Concione: *Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Porro iſtos Judæos fuiſſe, in Hieruſalem congregatos, teſtantur hæc D. Lucæ verba: *Judæi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*. Sanctus Jacobus quoque Epiſtolam ſuam miſit duodecim Tribubus: *Duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione, Salutem*.

Sanctus Auguſtinus, aliique Patres nos docent, Joannem trium Epiſtolarum ſuarum primam ad Parthos miſiſſe, quibus ignota erat Lingua Græca, aut certe minime vulgata. Quæ omnia congruunt ne iis, quæ Simonius confidentia tanta pronunciat: *Libros Novi Teſtamenti exaratos fuiſſe Chriſtianis primis ea Lingua, quam univerſi perciperent?*

Simonius ibid. pag. 2. Sed urget Simonius, ex Italia, quæ Chriſtianam Religionem ab Ævo Apoſtolico amplexa fuerat, hanc in alias Provincias ſenſim manaſſe, in quas Romanorum Coloniæ Latinam Linguam importaverant. „ Neceſſe nanque fuit, ut ſcribit, Biblia Latine vertere, ut ab hiſce gentibus intelligeretur, atque ipſorum ſermone in publicis concionibus legeretur. Quod idem præſtitum fuit Syris, Ægytiis, Æthiopibus, Perſis, Armenis, verbo, omnibus terrarum Gentibus, quæ Jeſu Chriſti Evangelium ab exordio Chriſtianitatis ſuſceperunt.

Ceterum nemo unus negabit, Eccleſiæ Latinæ paratam ab Ævis primis fuiſſe Scripturam Sanctam, quæ a quampluribus in cunctis Imperii Romani Provinciis percipi poſſet; at verum nullo modo eſt, immo contrarium certiſſimum, Nationes univerſæ terræ, quæ Jeſu Chriſti Evangelium a primis Chriſtianæ Religionis Ævis ſecutæ ſunt, nimirum ab Apoſtolorum ætate, & duobus circiter ſæculis inſequentibus, Nationes, inquam, omnes non habuiſſe Biblia, in regionis Linguas converſa, quibus Fides nunciata fuerat, vel ſermoni reddita populis uſitato.

Quamvis etenim verum eſſet, Syros, Ægyptios, Æthiopas, & Perſas, a Simonio laudatos, Evangelii veritatem primo ſæculo ſibi nunciatam ſuſcepiſſe; non tamen populi iſti, ſi excipias fortaſſe Syros, ante quartum ſæ-

ſæculum Biblia ſermone vernaculo penes ſe habuerant. Inſuper, quot orbis terrarum populi ad Chriſti Fidem vocati ſunt, quibus neque ſtatim, neque poſt multa ſæcula, traditæ ſunt Divinæ Litteræ ſermone paſſim illis Gentibus uſurpato? Armeni, Æthiopes, atque Ægyptii, aliique multi legerunt ne tribus primis ſæculis Libros ſanctos patria Lingua? Quod rei hujus argumentum affert?

Illud certe exploratum eſt, ex omnibus Scripturarum verſionibus, duobus, aut tribus primis ſæculis elaboratis, alias nobis non ſupereſſe præter vulgatam Latinam, & Syriacam; atque inter illas omnes, quæ quarto ſæculo, & ſequentibus prodiere, ſex duntaxat ad nos perveniſſe: cum tamen, ſi Simonii principium inconcuſſum eſſet, atque oportuiſſet, Nationes omnes Terræ, quæ Evangelium ſectatæ ſunt, eodem quoque tempore Biblia recipere ſermone ſibi perſpecto: mirum eſſet, ejus rei ne veſtigium quidem in Hiſtoria Eccleſiaſtica reperiri, immo nulla ex his ad noſtra tempora deſcendiſſe, uti deſcenderunt Armena, Coptica, atque aliarum trium, vel quatuor Nationum Biblia.

Immo ſi recta eſſet Autoris noſtri argumentatio, ante finem primi Eccleſiæ ſæculi concedendus eſſet incredibilis Verſionum Biblicarum numerus. Quis etenim repugnabit, Apoſtolos, eorumque Diſcipulos Fidem prædicaſſe regionibus, & nationibus inter ſe apprime diverſis, ante primi ſæculi finem? Evangelicæ vocis ſonus nonne exivit eo temporis ſpatio in majorem Orbis terræ partem? Opus itaque fuit, ſi audiendus eſt peritus noſter Criticus, varias omnes Terræ gentes, quibus Evangelium nunciatum fuit, Bibliorum Libris non caruiſſe patrio ſermone interpretatis. At ecquis verſionum iſtarum numerum inire poſſet?

Si verum illud eſt, quod paſſim dicitur, S. Matthæum, vel ipſius Diſcipulos Æthiopiam univerſam peragraſſe, ut eam Chriſtiana Fide inſtituerent, fatendum quoque erit, eos ſeptuaginta circiter verſiones confeciſſe; quandoquidem ampliſſima regio hæc, ut pervagatum apud omnes eſt, in totidem Regna dividitur, quorum unumquodque dialectum ſuam peculiarem, aliiſque ignotam uſurpat. Neque item in ea regione Lingua eſt, quæ paſſim a pleriſque eruditioribus hominibus intelligatur. Vel ſaltem compertum ſit, plures in hoc Imperio diſſimillimas fuiſſe Linguas, & præſertim duas *Axumicam*, *&* *Amburam*: & quamquam urgerent, Linguam Æthiopicam univerſe intelligi a pleriſque Regnorum omnium illorum incolis; verſio tamen Bibliorum in hunc ſermonem temporibus Apoſtolicis multo recentior eſt, & propterea populi illi vernacula ſimul Biblia cum Fide minime ſuſceperunt.

Rufinus l. 10. c. 9.
Socrates l. 1. c. 19.
Mart. Rom. 4.
Vvaltonus Proleg. 15. pag. 98.

Quod ſi ceteras nationes perſequeremur, in quas Apoſtolici homines

Fidem invexerunt, fateri neceſſe eſſet, eos magnum Verſionum Biblicarum numerum confeciſſe; quoniam tot regionibus, diverſo plane loquendi genere utentibus, Evangelium promulgarunt. Vel itaque concedendum eſt, hos omnes Evangelii Miniſtros Sacras Litteras in multas Linguas vertiſſe, vel Simonii principium per ſe ruit; neque omnes, quibus Evangelium patuit, nationes terræ Novi Teſtamenti Libros Lingua populis paſſim obvia receperunt.

§. II.

Si verum eſſet Simonii principium, Scripturarum Verſiones magnopere quatuor prioribus Ævis multiplicatæ fuiſſent.

Si principium ſuum Simonio videtur ſatis firmum, atque illi religioſe adhærere velit, neceſſe eſt, illum quoque veram confiteri alterutram ex his duabus enunciationibus, quæ ſunt æque incredibiles, falſæ, & deſperatæ penitus defenſionis. Prima eſt, a temporibus Apoſtolicis, & duobus proximis Ævis, maximum extitiſſe Verſionum Biblicarum numerum; ſi nanque univerſæ Orbis Nationes, quæ Evangelica luce irradiatæ ſunt, eodem tempore Biblia ſibi compararunt Lingua ipſis uſitata & nota, tot Verſiones iſtæ fuerunt, quot populi, qui Chriſtianam Religionem receperunt. Altera propoſitio eſt, hoc eodem temporum intervallo non extitiſſe apud omnes gentes, quæ Fidem profeſſæ fuerant, niſi duas, vel tres diverſas Linguas, quæ a populis illis intelligerentur: cum etenim unaquæque gens, Religionis Myſteriis initiata, Libros Sacros Linguæ ſuæ redditos acceperit, neque iccirco aliæ extiterint tum Biblicæ Verſiones, niſi tres; non ſunt igitur admittendæ apud Gentes illas ad Chriſtum converſas, niſi duo, vel tres diverſæ Linguæ, quarum cognitionem populi omnes aſſecuti eſſent.

Non video, quiſnam Criticorum audeat alteram enunciationem propugnare: videlicet inter omnes Terræ nationes, Chriſtianæ Religionis doctrina primo ſæculo imbutas, in more non fuiſſe, niſi duas vel tres linguas, paſſim populis exploratas; cum hic refutaretur a Luca in Actis Apoſtolicis, in quibus habet, Pentecoſtes tempore, *fuiſſe in Jeruſalem habitantes Judæos ex omni natione, quæ ſub cælo eſt,... & audiviſſe unumquemque lingua ſua illos loquentes: Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes audivimus eos loquentes noſtris Linguis Magnalia Dei*. Populis

Act. 2. verſ. 8. 9. 10. 11.

pulis itaque iſtis, linguas ſuas peculiares habentibus, tum plures fuiſſent, quam tres vel quatuor Linguæ paſſim a populis perceptæ, qui ad Chriſti Fidem converſi fuerant.

Prima propoſitio non minus abhorret a veritate. Eſt nanque Paradoxon hactenus inauditum, tribus prioribus ſæculis extitiſſe incredibilem adeo Verſionum Biblicarum numerum, vel ſaltem tot novas Interpretationes, quot Gentes, eandem Linguam non adhibentes, in quibus Apoſtoli Chriſtianam Religionem diſſeminarunt. Quis Verſiones haſce conficiebat? Num Apoſtolis tantum ſupererat otii, ut interpretarentur Divinos Libros, ſtatim ac eo perveniebant, ubi uſitata non erat populi illius Lingua, a quo diſceſſerant? Quibus tamen Verſionibus lucubratis, nonne opus erat tot illarum exempla deſcribere, quot erant Eccleſiæ recenter ædificatæ, immo loca in eadem Urbe vel Provincia, in quibus Sacra Myſteria celebrabantur? Quiſnam demum fuit tot Archetyporum, atque exemplorum exitus? cum, demptis Syriacis, Græcis, & Latinis, nullum admodum ſuperſit, quod IV. Sæculum antecedat.

Si Verſiones, quæ ſæculo circiter quarto prodierunt, ſervatæ ſunt, ut ait Simonius, ad uſque noſtram ætatem; ſique gentes illæ per ipſum non deſinunt iiſdem uti in Sacris Myſteriis, quamvis eas modo non teneant; eodemque prorſus obſequio proſecuti ſunt primas ſuas Bibliorum Interpretationes, quo Judæi ſua Archetypa Sacra, utpote cum ipſa Religione in lucem edita: unde factum eſt, nullum extare veſtigium verſionum primorum ſæculorum, quæ tamen quamplurimæ eſſe debebant? Nunquid Chriſtiani, quibus initio ſuæ ad bonam frugem converſionis traditæ fuerant, eaſque in Eccleſiis ſuis legerant, illarum lectione abſtinuerunt, poſtquam illas minime intelligebant? Quare autem eodem modo venerati non ſunt primas ſuas Evangelii Verſiones, ac Chriſtiani, qui poſt quartum Ævum vixerunt?

Simonius ibidem pag. 4. col. 2.

§. III.

Populi omnes ad Fidem converſi quatuor prioribus ſæculis, Rem Divinam minime celebrarunt eo ſermone, quem Populi promiſcue callerent.

„ QUod animadvertimus, ſubdit Simonius, de Libris Novi Teſta-
„ menti, accommodandum univerſe eſt Officiis omnibus ſacris,
„ quæ recitabantur in Eccleſia vulgato Regionis cujuſque ſermone. Quod
„ egregie adnotavit Bona in Opere de Liturgiis .... Scripturæ, & Li-
„ turgiæ popularibus Linguis conſcriptæ fuerant, & æqua ratione in Of-

Simonius ibid. pag. 2. & 3.

„ ficii Eccleſiaſtici partes veniebant: Et quamvis verum eſſet, tum legi „ conſueviſſe Liturgiæ partes quaſdam voce ſubmiſſa; id nihil officeret „ inſtituto noſtro: cum liqueat, non levem ejuſdem Officii partem, quæ „ ad populum ſpectabat, contenta voce recitatam fuiſſe. Liturgia nan„ que publica Actio eſt, cujus participes ſunt Chriſtiani, qui cum Sa„ cerdote, qui præeſt, & præcipue miniſtrat, unum corpus efficiunt. „ Atque hæc eſt doctrina S. Joannis Chryſoſtomi.

Bocquillotius Tract. de Liturg. l. 1. c. 11.

Bocquillotius non abſimiliter aperit ſententiam ſuam. „ In certis, atque „ exploratis habendum eſt, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores in Liturgiis „ Sacris eam Linguam adhibuiſſe, quæ regionibus, in quibus Sacra fa„ ciebant, vernacula eſſet. „ Et non multo ante, allato in medium loco D. Pauli, quem deinceps interpretabimur, ſubjungit. „ Apoſtolus qui „ Fidelibus loquitur in hunc modum, non dubitaſſet, Sacra Myſteria „ cum ipſis recolere Lingua ipſis prorſus ignota? „ Quare cum Autor iſte, tum Simonius inferunt, Apoſtolos Ritus Divinos perfeciſſe ſermone populis cognito, cum Evangelium nunciarent eo ſermone, qui Nationibus, ad quas ablegati fuerant, uſitatus eſſet. Hic quoque Opinionis ſuæ vadem Bonam proponit.

Animadverto primo loco in utriuſque Scriptoris hujus ſententiam ſuper argumentatione Simonii, contendentis, Liturgiam conſcriptam fuiſſe Lingua populorum, propterea quod pars erat Officii Divini ad populum ſpectans, quæ clara voce proferebatur. At recta ne eſt argumentatio iſthæc? Etſi etenim id concederemus Simonio, nunquid inde conſequens eſſet, duas præcipuas Sacrificii publici partes, Lectionem ſcilicet Prophetarum, Apoſtolorumque, nec non id, quod ad Sacrorum naturam pertinebat, vulgari lingua perſolutas fuiſſe. Nos alibi faſſi ſumus, duas fuiſſe Eccleſiaſtici Officii partes, quæ populari ſermone conſtabant iis in locis, in quibus Liturgia vulgatas Linguas non complectebatur.

Chriſ. hom. 18. in Epiſt. 2. ad Cor.

Locus autem Chryſoſtomi non evincit propoſitum Simonii. Apud Lectores judicium ſit. Ecce verba S. Doctoris: *Jam in tremendis quoque myſteriis, ut ſacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit: Neque enim ipſe ſolus gratias agit, ſed etiam plebs univerſa.* Quis unquam poſuit in ancipiti, Altaris Miniſtros in Myſteriorum Sanctorum ſolemniis non fuiſſe animo cum Fidelibus aſtantibus conjunctos? At id ne ſignificat populum elata voce hujus Officii partem recitaſſe? Eſt ne locus inde colligendi, adverſus aſſertionem noſtram, Liturgiam conſcriptam fuiſſe Lingua Gentibus, quæ aderant, conſueta?

Secunda mea animadverſio item afficit utriuſque Scriptoris principium: Si perſpicue oſtendi, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, Biblia Sacra Syriace tantum, Græce, & Latine exarata fuiſſe; neque alias Verſiones

Linguis populorum, Evangelium recipientium, redditas tum extitiſſe; controverſia pariter vacat, eorum temporum Liturgias triplici hoc loquendi genere deſcriptas tantummodo fuiſſe; Officiumque Divinum in iis duntaxat regionibus populari ſermone recitari ſolitum, in quibus altera ex his linguis vernacula erat: quandoquidem Litteræ ſanctæ Sacrificii partem præcipuam ſemper conſtituerunt. Neque etenim laboramus, Explicationes Textus Sacri, Exhortationes, Inſtitutiones Fidelium in publicis Cœtibus peractas fuiſſe ſermone Aſtantibus noto: atque in hoc, ut mihi videtur, capti ſunt Scriptores iſti, qui Liturgiæ ſummam, & naturam veluti non diſtinguunt ab Explicationibus, Inſtitutionibus, aliiſque Chriſtianorum in unum convenientium exercitationibus. Hæc vulgari ſermone peragebantur, non autem id, quod directe ad Rem Divinam pertinebat.

Uterque ex his Autoribus nullum alium, quo Paradoxon ſuum fulciant, in medium afferunt, præter Bonam: mirum tamen, cum is maniſeſto adverſam partem tueatur. Eo loci refutat Joannem Echium, ſententem, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ad ætatem uſque Adriani Liturgias ſermone Hebraico celebraſſe. Id vero iccirco negat eruditus hic Cardinalis, quia Apoſtolis collatum fuerat Linguarum munus, ut Fidem univerſo Orbi nunciarent communibus populorum verbis, non autem peregrinis, atque ignotis, maxime vero Hebraicis, quæ quemque, atque ipſos fere omnes Judæos, latebant. Quare licet ne ex his Bonæ ſenſis colligere, uti colligunt Scriptores noſtri: Sacrum Textum conſcriptum fuiſſe, atque Officium publicum perſolutum ſermone unicuique Genti conſueto?

Ut autem pateat, Cardinalis hujus opinionem Scriptorum noſtrorum menti quam quod maxime adverſari, conſidera, Bonam duo inter ſe omnino ſecernere: Fidei annunciationem, & Myſteriorum Sacrorum celebrationem. Non repugnat: *Apoſtolos, eorumque Succeſſores eo idiomate in] ſingulis regionibus uſos, quod tunc illis commune, & vernaculum erat.* Sed Hieroſolymis Sacra non peregiſſe, niſi Chaldaice, vel Syriace; Antiochiæ, Alexandriæ, aliiſque Græciæ Urbibus, Græce; Romæ, atque in Occidente univerſo, Latine. Id nititur, inquit Doctiſſimus Cardinalis, Traditioni Eccleſiæ conſtanti, quæ nos docet, Officium publicum in Occidente nunquam celebratum fuiſſe, præterquam Latine; atque in Oriente, præterquam Græce: & merito, ſicuti enim una eſt Fides, ita unus ſit Chriſtianis ſermo, ut invicem Eccleſiæ ſocietatem fovere poſſit. Concludit autem: *Miſſæ enim Chaldaico, Græco, & Latino ſermone primum compoſitæ, eodem ſemper celebratæ ſunt; quamvis illæ Linguæ deſierint eſſe vulgares.* *Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 5. art. 4.*

§. IV.

§. IV.

Quid veniat his vocibus : Lingua promiſcue populo nota : Lingua uſitatior : Lingua cujuſque regionis : Lingua vulgata.

UT vocum iſtarum ambiguitatem auferamus, e quibus difficultatis hujus judicium pendet, ante omnia animadvertendum eſt, Linguas quaſdam appellari cardinales, quod ab illis aliæ quoque profectæ ſint. 1. Hebraicam, ex qua prodierunt Chaldaica, Syriaca, Punica, Arabica, Armena, Ætiopica, & partim Perſica. 2. Græcam, unde Æthiopica, & Dialecti quamplurimæ. 3. Latinam, quæ Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, & Luſitanam peperit. 4. Theutonicam, ſive Germanam, a qua originem duxere Helvetica, Belgica, & Batava. 5. Cymbricam, ſub qua receuſeas, Danicam, Svecicam, Norvegicam, Anglicam, & Gothicam. 6. Illyricam, a qua ortæ ſunt Dalmatica, Moſcovitica, Vandalica, Croata, Bohemica, Polonica, & Lithuanica. 7. Tartaricam, & Sinenſem, ad quas aliæ pariter referri poſſunt. Porro hæc recenſio per ſe clarum facit, Linguas omnes in tres Claſſes redigendas eſſe. In prima ponas cardinales; in ſecunda illas, quæ proxime ex his profluxerunt; in tertia Dialectos, & vulgares cujuſcumque loci ſermones, qui ex Linguis partis a cardinalibus redundarunt.

Quibus animadverſis, conveniat neceſſe eſt, dictiones, in §. hujus fronte locatas, aliquid ex his tribus ſignificare, vel 1. Dialectum, videlicet; Linguam Provinciæ propriam, a generali Nationis lingua profectam. Ut cum dicimus, Linguas Gallicam, Italam, Arabicam, Armenam, atque Æthiopicam Dialectis multis conſtare. 2. Linguam vulgatam, in univerſum ab unaquaque Natione perceptam, quam Linguam vivam vocant; atque hoc ſenſu Gallica, Hiſpanica, & Itala, Linguæ vivæ ſunt, a Gallis omnibus, Hiſpanis, atque Italis perceptæ. 3. Linguam apud multas nationes communem, quam populi nonnulli olim locuti ſunt, & deinde obſolevit, præterquam in Libris; atque adeo mortua, & grammaticalis Lingua nuncupatur. Quo intellectu Latina patria Lingua fuit, in univerſum nota Provinciis, ſive Coloniis Romanis. Græca quoque viva Lingua fuit in Imperio Orientis; ſed cum Latina, tum Græca Lingua in præſenti Linguæ mortuæ ſunt, & grammaticis ſtudiis acquiſitæ.

Interim vero non eſt difficile probatu, dicta illa, de quibus modo, utro ex his ſenſibus, ut magis adverſariis libuerit, accipiantur: nullo tamen modo fieri poſſe, ut nationes omnes Orbis terrarum, quibus Evan-

ge-

gelium ſæculis primis enunciatum fuit, Novum Teſtamentum acceperint, vel Officia Divina perſolverint Lingua tum promiſcue populo cognita, vel Lingua vulgata, & unius cujuſque regionis; ubicumque Linguæ Hebraica, vel Syriaca, Græca, & Latina communes non erant, ſive etiam vulgares.

Primo, tametſi Apoſtoli Evangelium vulgaverint uſitato cujus libet Provinciæ, & Regionis ſermone, atque ipſi plebeculæ noto; nihilominus ab omni veritatis ſpecie abhorret, eos reddidiſſe Libros Sacros cuique Dialecto peculiari Provinciarum, & regionum, nec non vulgi ignobilis: alias tribus primis ſæculis incredibilis numerus Verſionum concedendus eſſet in Eccleſiis Orientis, atque Occidentis. Tametſi Linguæ Græca, & Latina communes tum eſſent apud Græcos, & Latinos; obtinuerant tamen in Provinciis Occidentis, uti in Germania, Gallia, Hiſpania, Anglia, immo in multis peculiaribus Regnorum iſtorum Provinciis, Dialecti, regionum iſtarum infimæ plebi propriæ, at ab aliis longe diverſæ. Quod idem dicito de Provinciis Orientis. Diſtat itaque toto cœlo a veritatis ſpecie, Linguam, quam Autores noſtri vocant, populis notam, vulgarem, & cujuſque regionis, intelligendam eſſe pro Dialecto, propria vulgo ignobili cujuſque Provinciæ: quin oporteat Scripturarum Verſiones tribus prioribus ſæculis infinite propemodum multiplicare.

Secundo loco reponent, Linguam promiſcue populo notam, vel cuuſque regionis, eam eſſe, quam nos altera in claſſe collocavimus, quæque ab aliqua Lingua cardinali, & populis, Provinciiſque Nationis uſitata, proficiſcitur. Hac autem ſignificatione neceſſe erit, Simonium, & Bocquillotium adverſus principia ſua confiteri, in regionibus omnibus, ad quas Coloniæ Romanorum Latinam Linguam detulerant, non unam tantummodo fuiſſe Bibliorum Interpretationem Latinam, ſed totidem Verſiones Novi Teſtamenti, quot variæ Nationes. Fatendum erit, præter Verſionem Italicam, quæ omnibus Provinciis Imperio Romano ſubjectis communis erat, non defuiſſe alias, diverſis ſermonibus peculiaribus redditas, videlicet Gallico, Germano, Hiſpanico, etiam tum ita inter ſe diſſimilibus, ut Gallorum Lingua, non eſt Lingua Anglorum, Afrorum, & Luſitanorum. Certum nanque eſt, loquendi modum, unique ex his populis compertum, alios omnes latuiſſe. Quis etenim ſibi perſuadeat, Linguam a Gallis, Hiſpanis, & Germanis uſurpatam calluiſſe populum Affricanum? & Linguæ Punicæ, inter hujus nationis plebem communis, notitiam habuiſſe aliarum nationum Gentes.

Non poterunt itaque ſecundum intellectum apponere Linguæ promiſcue populo notæ, vel cujuſque regionis, vel vulgatæ, quin ſuum ipſis deſtruant principium Scriptores noſtri, qui mordicus tuentur, in Occidente

te univerſo, atque in Provinciis, ad quas Coloniæ Romanorum Linguam Latinam intulerant, Biblia Latina converſa fuiſſe; in Provinciis iſtis Latine tantum lecta Cœtui Chriſtianorum; nullam aliam Verſionem ibi admittendam eſſe: neque argumento ullo probari poſſe, Liturgiam ab Ævis primis alia Lingua celebratam fuiſſe.

Tertio, ſi dictiones ſuperius memoratas tertio pariter ſenſu accipiamus, nimirum pro Lingua communi apud multas Nationes: uti fuit Græca in Oriente, & Latina in Occidente: fundamentum Autorum noſtrorum ab imo convellimus; qui dicunt, univerſis Terrarum Nationibus, quibus prima Chriſtianæ Religionis ætate Evangelium nunciatum eſt, Novum quoque Teſtamentum redditum fuiſſe ſermoni promiſcue populis noto; & Rem divinam peractam Lingua cujuſque Regionis vulgari. Si nanque verba hæc indicant Linguam apud Nationes multas communem, illud conſequens erit adverſus illorum mentem, Apoſtolos eo tempore Scripturas non dediſſe, niſi aliqua ex tribus Linguis cardinalibus, quas uſui communi Fidelium Eccleſia veluti conſecravit. Quoniam per id temporis aliæ revera Linguæ non erant; quas Linguas apud multas Nationes communes vocare poſſemus. Sed cui unquam in mentem venit, ut hujuſmodi loquendi generibus nomen tribueret Linguæ paſſim populo notæ, Linguæ vulgatæ, Linguæ cujuſque regionis.

Hæc ſane explicatio veroſimilior videtur, ne cogamur admittere numerum fere innumerabilem Verſionum Biblicarum temporibus Apoſtolicis, & quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis. Quare præterquamquod nullum diſcrimen eſſet inter Linguas cardinales, Linguas ab his profectas, & Dialectos unicuique regioni proprias, quod falſum eſt, & experientiæ repugnans, ut Lingua populo promiſcue cognita, vulgaris, & uniuſcujuſque regionis intelligi poſſit pro Lingua multis nationibus communi. Lingua inſuper Græca communis erat Orienti, & tamen S. Athanaſius animadvertit in Vita D. Antonii, Philoſophos quoſdam, qui ad Sanctum Anacoritam hunc inviſendum acceſſerant, non potuiſſe cum illo colloqui, vel eum intelligere ſine interprete: & Auguſtinus in Expoſitione incœpta Epiſtolæ ad Romanos tradit, multos in Africa extitiſſe, qui Linguam duntaxat Punicam intelligerent; etſi Latina Lingua Regioni illi apprime communis eſſet, immo Carthagini quoque vulgata.

Tandem Bocquillotius affirmat, eo tempore non modo Scripturas Sacras legi conſueviſſe Græce, atque eodem ſermone Officia Divina perſolvi; ſed Ægyptio quoque, Æthiopico, Bethico, aliiſque Provinciis proprio. Evidens itaque fit, nullo ex his tribus modis accipi poſſe dictiones a nobis explicatas, abſque eo quod tribus primis Ævis Divinarum Scri-

ptu-

pturarum Verſiones plus æquo multiplicemus, ipſaque Autorum noſtrorum principia ſubvertamus.

ARTICULUS II.

Expenduntur argumenta probabiliora adverſus uſum trium duntaxat Linguarum Syriacæ, Græcæ, & Latinæ in Rebus divinis celebrandis.

NON modo Proteſtantes in ea opinione ſunt, ut credant, primis Eccleſiæ ſæculis morem fuiſſe Officii Divini recolendi in Cœtibus Fidelium Lingua vulgata, & paſſim populo nota; ſed inter Catholicos ipſos non deſunt, qui ſententiam hanc tueantur: licet utrique conſecutiones inde apprime diverſas eliciant. Primi nonnullas difficultates propoſuerunt, ut Linguæ popularis uſum ab ineunte Chriſtiana Religione ſtatuerent; ne Eccleſia nunc hoc ab ipſis jactatum ſolatium populo ſubtraheret. Sed cum Scriptores Controverſiarum his accurate fecerint ſatis Proteſtantium objectis, non eſt mihi viſa res hæc rurſus agenda, utpote conſilio meo non admodum conſentanea. Satis itaque erit, ſi reſpondero iis, quæ afferuntur adverſus uſum trium Linguarum, petita a quodam loco D. Pauli, a teſtimoniis Patrum, Verſionibus Bibliorum, & Liturgiis vulgari ſermone exaratis. Quod conferet non parum, ut hinc perſpicue uſum cognoſcamus, quem ætate omni trium Linguarum iſtarum fecit Eccleſia, quas pro Myſteriorum Sanctorum celebratione veluti conſecravit.

§. I.

Argumentum Primum.

Vim faciens in verbis D. Pauli, Origenis, Concilii Lateranenſis, ex quibus probare nituntur uſum Linguæ vulgatæ in Publicis conventibus.

AIunt itaque primo loco, Apoſtolum eos aperte redarguere, qui in cœtibus Fidelium Linguam peregrinam, & ceteris Fratribus ignotam loquebantur: *Nunc autem*, Fratres, *ſi venero ad vos Linguis loquens, quid vobis prodero ..... Ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id quod dicitur ..... Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, qui loquor, barbarus; & qui loquitur mihi, barbarus.* Ep. 1. ad Cor. c. 14. verſ. 6. 9. & 11.

Audiſtis celeberrimum Apoſtoli locum, unde commoda multa prō linguarum vulgarium in Sacris uſu comparare exiſtimant Proteſtantes, & quibus utuntur ad redarguendum conſilium Eccleſiæ Romanæ, quæ non tribuit facultatem illorum peragendorum, niſi Syriace, Græce, & Latine, præterquam aliquando. Sed Theologi noſtri * idem teſtimonium uſurpant, ut probent, illud nihil continere, quod Eccleſiæ uſui refragetur, immo ex eo pro hac conſuetudine firma argumenta depromunt.

Revera hic locus favet magis Catholicis, quam Heterodoxis. Ut id planum fiat, ſufficit meminiſſe, ſermonem omnem Apoſtoli cap. 14. Epiſtolæ primæ ad Corinthios eo tantum referri, ut oſtendat, nihil enunciandum eſſe in concionibus publicis pro Inſtitutione plebis, quod ab omnibus non percipiatur. At cum primi Fidelium conventus fierent ex hominibus, non eadem loquendi ratione utentibus, immo in ipſa Corinthiorum Eccleſia, de qua agitur, multi Iudæi eſſent, qui Chaldaice, vel Syriace loquerentur, concedit Apoſtolus, ut Linguam adhibeant peregrinam, modo non ſine Interprete, ut mos erat in ætatis illius Synagogis. Propterea non interdicit uſum Linguarum populo ignotarum, dummodo ipſis accederet interpretatio.

Ex iiſdem Apoſtoli verbis colligere poſſumus, nonnullos preces ſuas fudiſſe eo ſermone, qui ab aliis non intelligeretur: quod tamen ipſe non improbat, dum non deeſſet Interpres, qui ſermonem ignotum ediſſereret, ut in fine Precis *Amen* ab Aſtantibus dici poſſet. Inſiſtit pariter in more, Judæis tum pervagato, non recitandi verba Scripturarum, vel communes Liturgiæ precationes ſine Interprete, ut exponit verſ. 16. Sunt pariter qui affirment, in hac Epiſtola mentionem fieri Hebræorum, qui non ſemel Syriace loquebantur, immo aliquando vetus Hebræum in ſermonibus ſuis, vel in Officio Liturgiæ, ut Orationi ſuæ dignitatem captarent ex obſequio Linguis iſtis, & Majoribus præſtando. Quam eorum conſuetudinem Paulus haud vituperaſſet, ſi Orationem ſuam ſimul interpretati fuiſſent, ut a reliquis Corinthiis, qui neque Hebraicum, neque Syriacum callebant, intelligeretur.

Sed & illud quoque addere fas eſt, conſilium Apoſtoli non fuiſſe, cavere omnino, ne peregrinæ Linguæ in Eccleſiis locum haberent, ſed tantum perturbationem inde ortam removere. Cui ut occurreret incommodo, hanc Legem condidit: *Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur*. Quamobrem perſpicue fit, locum hunc nihil continere, quod Hæreticis faveat, vel præ- *Ibidem verſ. 27.*

* Peronius *in Reſp. ad Regem Angliæ l. 6. c.* 1. Bellarminus *l. 2. de verbo Dei cap.* 16. Nicolaus Sanderus *Orat. in Scholis publicis habita Lovanii* 1665. Ladeſma *de Linguis Vernaculis c.* 16. R. Simonii *Hiſt. Crit. Verſ. N. T. cap.* 3.

ſen-

ſentem Eccleſiarum omnium Catholicarum conſuetudinem damnet; ſed modum duntaxat loquendi ignotis linguis, ne perturbatio fiat, moderatur.

Objiciunt pariter locum Origenis, cui Celſus Philoſophus exprobrabat, Chriſtianos vocibus barbaris majorem in precationibus ſuis virtutem tribuere, quam nominibus Græcis, & Latinis. Reſpondet autem Pater iſte: *Quem nos invocamus nomine barbaro? . . . . Græci Græcis, Romani Romanis; ſinguli precentur propria Lingua, Deumque celebrent pro viribus, & omnium Linguarum Dominus omnibus linguis precantes exaudit.* Hic itaque apparet, Origenem non loqui de precibus fuſis in Cœtu Fidelium, ſed de privatis uniuſcujuſque; neque verba hæc ullo modo ad Liturgiam pertinere. Propterea miror, Bocquillotium hoc loco uſum fuiſſe, ut oſtenderet, Origenis ætate, Eccleſias apud tot Nationes conſtitutas, peregiſſe ſingulas lingua ſua Divinum Myſterium.

Bocquill. Hiſt. de Liturgia l. 1. c. 11. Gall.

Item exiſtimant magnopere prodeſſe ſibi Decretum Concilii Lateranenſis III., quod his verbis exprimitur: *Pontifices Civitatum, & Diæceſum, ubi permixti ſunt populi variarum Linguarum, & Rituum, provideant ſibi viros idoneos, qui ſecundum diverſitatem Linguarum, & Rituum divina illis Officia celebrent.*

Concil. Later. III. cap. 9., habetur cap. quoniam in pleriſque de Officio Judicis Ordin.

Sed ſciendum eſt, hujus circiter Concilii tempore cum Urbs Byzanthii, & quædam pars Græciæ, & Paleſtinæ Latinis parerent, atque utriuſque Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ Fideles in eadem Urbe permixti eſſent Patres Concilii, cui Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus interfuere, ſtatuiſſe, utrorumque mores ferendos eſſe, & cum Græcos, tum Latinos, qui in eadem Urbe commorarentur, ſecundum Ritus ſuos Sacrum celebrare debere patrio ſermone, ut tolleretur confuſio. Non tamen arbitrata eſt Synodus expedire, ut duo ſimul Epiſcopi in eadem Urbe eſſent, ſed unus tantum, cui incumberet ſufficere Eccleſiis Preſbyteros, qui ſecundum Græcæ, & Latinæ Linguæ varietatem Myſteria ſumma recolerent.

Quo plane pacto licitum Romæ eſt Græcis, atque Armenis, Officia publica ſermone, & ritibus propriis perſolvere; & poteſtas eſt Venetiis celebrandi ſecundum Linguas, & Ritus ſuos Græcis, atque Illyricis. Nihil tamen nobis indicat, Concilium meminiſſe Linguæ vulgatæ, & populo paſſim notæ, aut conceſſiſſe, ut in Conventibus Chriſtianis Libri Sacri legerentur, vel Res divina recoleretur ſermone unicuique Genti uſitato.

§. II.

Secundum Argumentum.

Verſiones Litterarum Sanctarum elaboratæ ſunt prioribus Ævis, ut in publicis Concionibus uſum haberent.

SOlidiora momenta, quæ in medium afferunt, ut planum faciant; populos omnes, quibus nunciatus eſt Jeſus Chriſtus, Litteras Divinas propria Lingua ſimul cum fide ſuſcepiſſe, eaſque in Myſteriorum Sanctorum Solemniis adhibuiſſe: momenta, inquam ſolidiora depromunt e verſionibus inſtitutis, ut ajunt, Lingua populari, & plebi cujuſque regionis paſſim obvia. Ut autem res hæc clare pateat, Verſiones hæ omnes cum in univerſum, tum ſingillatim examinandæ ſunt.

I.

Verſiones, de quibus loquuntur Eccleſiæ Patres, propoſitum non evincunt.

Chryſ. in Joann. hom. 1. c. 1. S. Joannes Chryſoſtomus conceptis verbis teſtatur, Syros, Ægyptios, Indos, Perſas, atque Æthiopes non caruiſſe Dogmatibus Divinis, a S. Joanne in Evangelio patefactis, quippe quæ in Linguas ſuas converſa fuerant. *Theod. de cur. Græc. Aff. ed. l. 5.* Theodoretus inſuper obſervat, non modo Novum Teſtamentum, ſed *Hebraicos Libros non in unicum Idioma converſos eſſe; ſed in Romanam, Ægyptiacam, Perſicam, Indicam, Armenam, Scythicam, adeoque Sauromaticam; uno verbo, in omnes Linguas.*

Hieron. Præf. in Evang. ad Damaſ. S. Hieronymus nos docet, ſubjungunt, *Scripturam in variarum gentium Linguas tranſlatam eſſe*. Sæculis vero inſequentibus idem præſtitum eſt, quod attinet ad Nationes, quæ Divinæ Legi ſubjiciebantur. Eccur autem concludunt, tot Verſiones elaboratæ fuiſſent, niſi verſaſſent animo facilem reddere populis Scripturarum intelligentiam, eaſque in publicis conventibus legere, ut cuncti Fideles verborum ſenſa perciperent, atque in fine precum Sacri *Amen* reſpondere poſſent?

Statim do ultro, atque concedo, populos omnes locis illis memoratos, Hieronymi, Chryſoſtomi, & Theodoreti ætate, ſermone proprio Bibliorum Verſiones habuiſſe. Sed neque Patres iſti, neque alius quiſpiam dixit unquam, hanc Textus Sacri Interpretationem traditam ipſis fuiſſe eodem tempore, quo nomen Chriſto dederunt, eoſque illa in publicis Conventibus uſos eſſe. Id autem revera in quæſtione eſt, non autem utrum

exti-

extiterint Verſiones, populari lingua exaratæ, ſæculis primis; quandoquidem, nemo unus negabit, Syriaeam Linguam, vel certe Græcam, & Latinam ab univerſis Orientis, atque Occidentis populis perceptas fuiſſe, atque in Saeris conficiendis locum habuiſſe.

Argumentum autem, quod magni faciunt ex magno vulgatarum ævis primis Interpretationum numero, tantum abeſt, ut Simonii, & ſectatorum ejus ſententiæ præſidium afferat, & veterem Ecclesiæ Traditionem de uſu trium Linguarum Syriacæ, Græcæ, & Latinæ in Myſteriis divinis recolendis labefactet; ut potius ex adverſo, niſi fallor, argumentum idem ſuppeditet nobis rationem conſtantem ſolidiſſimæ Traditionis, quam propugnamus, & Criticorum ab ea deficientium Paradoxon a fundamentis concutiat.

Hæc itaque objectio, quod attinet ad tria priora ſæcula, nobis autoritatem præbet, ut id Demonſtrationis genus efformemus. Temporibus Apoſtolicis, & duobus Ævis inſequentibus tres extabant Verſiones, tribus pariter Linguis, in Crucis titulo enunciatis, confectæ; neque tot illarum, quas adduximus, ulla quartum ſæculum anteceſſit; cum nullum ejus rei apud Scriptores indicium ſit: conſecutio igitur meridiana luce nitidior eſt, omnes Terræ nationes, quæ primis Chriſtianæ Religionis Ævis Evangelium amplexæ ſunt, ſimul non recepiſſe Novum Teſtamentum, conſcriptum Lingua populis promiſcue nota, Officiumque publicum, quod in Eccleſiis recitabatur, non fuiſſe tum temporis cujuſque regionis ſermone celebratum.

Quæ quidem quæſtio facti eſt, Veterum teſtimoniis, non futilibus conjecturis diſſolvenda. Utilitas, quam Proteſtantes, aliique Catholici capere exiſtimant a cap. 14. Epiſtolæ D. Pauli ad Corinthios, nititur, ut admonuimus, ſenſui illi, qui adverſatur quam maxime menti hujus Apoſtoli, non parum aperte eo loci indicatæ, ut Simonius ipſe, & Bocquillotius non inficiantur. Verba Origenis ab hoc ſecundo laudata, id, quod ſibi blanditur, nequaquam efficiunt. Atque iſta ſunt, quæ produci poſſunt pro Verſionibns trium priorum ſæculorum, & celebratione Liturgiæ Lingua vulgata, & cujuſque regionis. Porro quanquam verum eſſet, aliquam tum fuiſſe præter a nobis conceſſas, Verſionem Lingua populis uſitata confectam, jus ſemper nobis eſt, Veteri Traditioni adhærere, donec in medium afferant teſtimonium aliquod exploratum, quod ſententiam noſtram ſubvertere poſſit, licet tot firmiſſimis cum prolatis, tum proferendis momentis conſtitutam.

Simonius Hiſt. Crit. Verſ. N.T. cap. 2. Bocquillotius Tract. de Liturg. l. 1. c. 11. p. 267.

II.

Obiectum e Gothica Verſione deductum.

Joann. Saubert. Proleg. in var. Lect. Matt.

Poſt Verſiones Græcam, Latinam, & Syriacam Editio Gothica vetuſtiſſima omnium eſt, & præclariſſimum primorum ſæculorum monumentum. *Gothica Verſio*, inquit Saubertius, *Veteris Linguæ Germanicæ antiquiſſimum omnium, quot quot extant, ſtupendum & incomparabile monumentum eſt*. Ulphilas etenim Gothorum Epiſcopus, de quibus ſane Theodoretus loquitur Scytarum, & Sauromatum nomine, opus adorſus eſt vertendi Libros Sacros in patriam Linguam, atque invenit caractcres Gothicos, quos ex notis Græcorum, quibus ſimiles ſunt, efformavit, ut apparet ex MS., cujus exemplum Franciſcus Junius nobis effinxit in Eleganti Evangeliorum, priſco ſermone Gothico, Editione.

Mareſc. init. Obſerv. de verſ. Goth.
Socrat. l. 4. Hiſt. cap. 21.
Sozom. l. 6. Hiſt. cap. 37.
Vvalafrid. Strabo de rebus Eccl. c. 7.
Theodor. l. 4. c. 37.
Philoſt. l. 2. c. 5.
Cavius Sæc. Arian. ad Ann. 364.

MS. hujus, Litteris argenteis impreſſi, vetuſtas, quam mille annorum ætatem ferre dicunt, in cauſſa fuit, quare cenſuerit Mareſchallus, Ulphilam Verſionis hujus autorem eſſe, uti Socrates quoque, aliique Veteres animadverterunt. *Litteras Gothicas ex eo cogitavit*, inquit Hiſtoricus hic, *& Sacris Scripturis, in Gothicorum ſermonem converſis, effecit ut Barbari divina eloquia perdiſcerent*. Non convenit de tempore, quo floruit. Philoſtorgius cum collocat ſub Imperio Conſtantini. Sed Socrates, Sozomenus, & Theodoretus teſtantur, eum non vixiſſe, niſi anno circiter 365., Valente Imperatore. Ingreſſus nanque eſt in ſecretius conſilium Fritigerni Regis ſui; huic ſubſidium præbuit, ut Valentem falleret, & eam cum illo pugnam confereret, in qua occubuit. Hæc autem Verſionum omnium vulgarium prima eſt, quæ nobis opponatur. Sed Gothicam hanc Interpretationem adornare non potuerunt, niſi poſt medium ſæculum quartum. Gothi itaque carebant Scripturis ſermone ſuo exaratis, antequam Ulphilas eas interpretatus fuiſſet. Cum tamen Philoſtorgius ſcribat, Chriſtianitatem multo apud Gothos antiquiorem Ulphila fuiſſe, atque ad Gallieni Imperatoris tempus aſcendere; immo Ulphilæ Majores, inter barbaros iſtos educatos, Chriſtianam Religionem ipſis tradidiſſe. Alii, qui populorum illorum converſionem eodem tempore collocant, hanc ab alio fonte petunt. Cum etenim Gothi, trajecto Danubio, in Thraciam, Illyricum, & Pannoniam magno impetu irrupiſſent, a Conſtantino tandem aliquando devicti fuerunt. Unde factum eſt, ut ex inito cum Romanis commercio, plures eorum Idola ejurarent, & Chriſtianæ fidei initiarentur. Socrates favet opinioni huic, quoniam Gothis ante Ulphilam Epiſcopos tribuit, inter quos recenſet Theophilum quemdam, quem Magno Concilio Nicæno ſubſcripſiſſe reperimus.

Philoſt. l. 2. c. 5. & 10.
Socrat. Hiſt. l. 2. c. 41.

Hiſto-

Hiſtoricorum iſtorum teſtimonia nos certiores efficiunt, Gothos Fidei lumen hauſiſſe quinquaginta ante annos, quam Ulphilas Biblia vulgari ſermone confecta ipſis tradiderit. Quod reſpondet ne audaciæ Simonii affirmantis, omnes Terræ Nationes Evangelium Jeſu eodem tempore, quo Biblia Linguis ſuis reddita, ſuſcepiſſe? Pergent adhuc urgere, primis ſæculis Officia in Gothorum Eccleſiis perſoluta, populari Regionis ſermone cani conſueviſſe? Ac quonam pacto lecturi fuiſſent in publicis conventibus Scripturas, Gothice tranſlatas ab initio ſuſceptæ Chriſtianæ Religionis ad medium uſque ſæculum quartum, ſi Textus Sacer nondum fuerat in ipſorum Linguam converſus?

Sed licet daremus ultro, ab ætate Ulphilæ, Interpretis Scripturarum Gothica Lingua, Gothos perſeveraſſe continenter in celebrandis hoc ſermone Divinis Myſteriis, id ſane Traditionem noſtram minime labefactaret. Vix nanque Populi iſti Fidem Catholicam receperant, cum ſtatim vitiata fuit inter illos ab Heræticorum Antropomorphitarum Principe Audæo, qui humanam formam in Deo excogitaverat: idemque Ulphilas, qui Sacras Litteras Gothice fuerat interpretatus, quique inter primos Gothorum Epiſcopos cum ordine, tum exiſtimatione cenſetur, Arrianorum erroribus involutus, eiſdem Barbaros illos populos infecit, qui deinceps Arrianiſmum profeſſi ſunt. Qua de re tametſi Gothi Rem divinam lingua ſua poſt Ulphilam celebraſſent, non eſſet mirum hæreticos, ab Eccleſia Romana deficientes, veterem Liturgiam, quæ Græca, vel Latina fuerat, abjeciſſe, ut Scripturarum Verſionem vulgato ſermone confectam adhiberent.

Theodor. l. 4 hæret. fabul.

Theodor. l. 4. Hiſt. c. 37.

III.

Verſio Coptica, ſive Ægyptiaca propoſitum non evincit.

Dum Alexandri Succeſſores Alexandriæ ſedem ſuam ſtatuiſſent, eo quoque Græcam linguam detulerunt, quæ deinceps in ea Regione dominata eſt. Sed cum apud Thebaidem Græcum loquendi genus adhuc ignotum eſſet, operam dederunt nonnulli, ut Biblia Lingua interpretarentur Ægyptiaca, ſive Coptica, a Coptos Urbe Thebaidis capite appellata. Autores diverſa ſentiunt de Copticæ hujus Verſionis ætate. Contendit Voſſius, eam Arabis antiquiorem eſſe non poſſe, cum Arabicis & Græcis vocibus permixta ſit. Contra vero kirKerius contendit, Verſionem hanc nihilominus ac Concilium Nicænum vetuſtam eſſe. Baſnagius multo antiquiorem facit, ſed de hac re dubitat Simonius.

Simonius Hiſt. Crit. N. T. cap. 16.

Kircherius in Prodromo Copt. c. 8.

Baſnagius Hiſt. Eccleſ. l. 9. c. 1. num. 7. Gall.

KirKerii conjectura, quæ veritati magis appropinquare videtur, fulta

eſt

eſt quodam Martyrologio Coptico, quod Romæ in Bibliotheca Collegii Maronitici aſſervatur, atque in Proluſione ad Menſem *Thoth* perſpicue tradit, præcipuam Monachorum exercitationem fuiſſe vertendi Biblia e Græco, Chaldaico, atque Hebraico in patrium ſermonem, qui Coptus erat. Ecce verba hujus eruditi Jeſuitæ: *Ea translatio facta eſt ab hinc mille circiter, & trecentis annis, quo tempore teſte Nicephoro, ſtudium Sacrarum Litterarum in Thebaide, & per totum Ægyptum maxime florebat. Quod & dictum Martyrologium in prima Proluſione Menſis Thoth aperte dicit; præcipuam ejus temporis Monachorum occupationem fuiſſe, Sacra Biblia e Græca, & Chaldaica, & Hebraica in linguam ipſis propriam, Coptam nimirum, transferre.*

Kirker. ibidem.

Porro Coptica hæc Verſio, quæ parti huic Ægypti, Thebaidi nuncupatæ, peculiaris fuit, ut citius, ante Concilii Nicæni tempora elaborata non eſt: Attamen multo ante in regionibus illis Fides conſtituta fuerat. Quamvis etenim non conſtaret, S. Marcum Evangeliſtam illuſtraſſe Ægyptum ſplendore Fidei, qui certe ad Thebaidem quoque manavit; S. Athanaſius pariter nos docet, Divum Antonium ortum fuiſſe parentibus Chriſtianis, & pietate præclaris. Non poterant itaque tot ante Nicænum Synodum Ævo, Libros Sacros Coptica Lingua legere in cœtibus Fidelium. Ac indicium inſuper aliud, quod oſtendit, tum verba divina non fuiſſe, niſi Græce, Chaldaice, & Syriace deſcripta, ex Interpretatione ſumendum eſt, quam aggreſſi ſunt eo tempore ſolitarii Thebaidis, quam quidem non cogitaſſent, ſi ætate illa extitiſſet apud eos Coptica Verſio.

Opus erat quoque, Liturgiam Thebaidis Græce exaratam fuiſſe, vel Syriace; neque ullum argumentum præſto eſt nobis, Rem divinam peractam fuiſſe Lingua Ægyptiaca, quandiu Fides Catholica in hac Ægypti parte perſeveravit. Copti nanque paullo poſt affecti ſunt erroribus Eutychetis, & Dioſcori, qui Alexandrinus Patriarcha renunciatus eſt anno 444.

IV.

Ad judicium revocatur Verſio Æthyopica.

Nulla prorſus emerſit Æthyopica translatio, antequam Abyſſini Evangelico lumine perfunderentur. Si audiendæ eſſent narrationes fabuloſæ de Eunucho, a S. Philippo Baptiſmate abluto, qui populos illos Chriſtiana Religione inſtituiſſet, ſuſpicari utique poſſemus Æthyopicam Bibliorum interpretationem primo ſæculo confectam fuiſſe. Sed Cedrenus, Nicephorus,

& poſt

& poſt ipſos Scaliger teſtantur, Abyſſinos fidei initiatos fuiſſe Juſtiniano Imperatore, ad quem Princeps eorum, ſoluturus votum de ſuſcipienda Chriſtiana Religione, ſi de Homeritis victoriam reportaſſet, Epiſcopum poſtulatum miſit, a quo Natio univerſa baptizata fuit. Alii vero Populorum iſtorum fidem petunt a tempore Concilii Nicæni: & ſane Concilii hujus Canones videntur Æthyopum Genti interdicere, ne jure ſuo e ſuis ſibi Patriarcham conſtituant, quoniam ab Alexandrino in re hac pendere debent. Quamobrem populorum iſtorum Religio tum ibi radices egiſſe videtur; ſed hæc in Canonibus duntaxat Arabum reperiuntur, qui manifeſte ſuppoſititii ſunt.

Niceph. Hiſt. l. 17. c. 32. Scal. de emend. temp l. 7. in notis ad comp. ut cum Æthyop.

Media itaque inter utramque opinionem ineunda via eſt, altera, quæ plus æquo antiquiorem fuiſſe Fidem Æthyopum, cum eam ortam fuiſſe affirment ante Concilium Nicænum; altera, quæ nimis recentiorem putat atque ad Juſtiniani Imperatoris tempora rejicit. Quare cum S. Joannes Chryſoſtomus Æthyopes inter eos numeraverit, qui Biblia in ſuum ſermonem tranſtulerant, ſequitur eos, ut ſerius, Chriſtiano nomine donatos fuiſſe ſæculo quarto exeunte, & propterea tutior eſt eorum opinio, qui ſub Conſtantini Imperio Populorum iſtorum Religionem Chriſtianam ponunt. Unde facile eſt colligere, Scripturarum Verſionem eorum lingua adornatam tempus hoc non præceſſiſſe.

Ludolph. Hiſt. Æthyop. l. 3. c. 2.

Ut autem pateat levitas argumenti, ab Æthyopica Verſione mutuati, oportet meminiſſe, Sanctos Frumentium, atque Edeſum, homines Tyrios ſemina fidei propagaſſe in iis Æthyopiæ partibus, quæ ſunt Ægypto proximiores, & neque Matthæum, neque Apoſtolorum alios, referente Rufino, de Fide diſputantes audierant. Porro S. Frumentium Æthyopum Rex præfecerat Sanctioribus commentariis ſuis, & Rei ærariæ: ipſoque vita functo, Regina utrumque filium ſuum Aizan, & Sazan eidem inſtituendos dedit. Frumentius ampliſſimam poteſtatem hanc ſibi collatam contulit ad Fidem augendam: quoſdam Mercatores Chriſtianos congregavit; domos in Eccleſias convertit, ut in eis Divina Myſteria in unum agerent ſecundum Romanam conſuetudinem.

Rufinus l. 10. c. 9.

Deinde Alexandriam petiit, & re cum Athanaſio communicata, ipſum hortatus eſt, ut quem dignum ad cœtum hunc Chriſtianorum, ædificataſque in barbaris terris Eccleſias Epiſcopum mitteret. Quæ cum accepiſſet Athanaſius, anno 331. Frumentium Epiſcopum inauguravit; juſſitque, ut eo, unde venerat, nimirum Auxamam, Æthyopiæ, Septentrionalis, nunc Abyſſini Imperii caput, divina præeunte gratia rediret. Frumentius itaque Sacerdotii gratia repletus, in iis regionibus ſemen divinum effudit, quod miros revera peperit fructus: labores ſuos Apoſtolicos invicta aſſiduitate plures annos impendit; gaviſus eſt initia-

Rufinus ubi ſupra. Theod. l. 1. c. 23. Socrates l. 1. c. 19. Sozom. l. 2. c. 24.

re Myſteriis Fidei Aizan Regem, & Sazan fratrem, qui ad eandem bonam frugem exemplo ſuo majorem ſubditorum partem traduxerunt. Quod apparet ex Epiſtola, ad eos ab Imperatore Conſtantio data anno 356., in qua illos ſemper, tanquam Principes Chriſtianos, ſibique Religione proximos alloquitur.

Neceſſum quidem erat, hoc Hiſtoriæ caput enucleare, ut colligeremus inde: Primo, antequam Frumentius Alexandriam proficiſceretur, atque Epiſcopus renunciaretur, Chriſtianos jam in Æthyopia degentes non legiſſe in publicis conventibus Biblia, Æthyopicæ Linguæ reddita; ſive quod nondum perfecta fuerit Verſio hæc; ſive quod, ut animadvertunt Rufinus, Socrates, & Theodoretus, Chriſtiani tum Sacra ex Ritu Romanorum, videlicet Græco peregerint.

Secundo, quandoquidem Biblica Æthyopum verſio non prodiit ante Epiſcopatum Frumentii; immo ante ejus mortem; ſatis eſſe ſimile vero, eum morem ſecutum fuiſſe legendi Græce Libros Sanctos; idque eo magis, quo nihil probat illum Verſionem hanc populari Lingua ſua confeciſſe, & omnem veritatis ſpeciem habet, eundem in reditu Scripturarum exempla eadem Lingua, qua utebatur Eccleſia Alexandrina, ſecum detuliſſe.

Tertio, maxime fieri credibile, Eccleſias Æhtyopum, quæ initio ipſo Religionis ſuæ Græcas Scripturas acceperant, atque evolverant; nihil ſuper hac re immutaſſe, donec vitiatæ ſunt erroribus Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, quem, uti Virum Sanctum Divorum cultu Æthyopes proſequuntur; & propterea Liturgiam lucubrarunt hoc titulo: *Liturgia S. Dioſcori Patriarchæ Alexandrini*; in cujus fine legitur Oratio quædam in qua unam tantum in Chriſto naturam confitentur. *Prout eſt Deitas ejus, quæ cum humanitate unum eſt*. Quæ quidem verba hæretici hominis ſunt, in Calcedonenſi Synodo anathemate percuſſi, & tamen ab Æthyopibus Sanctorum honoribus affecti. Liturgiam hanc apud Ludolfum reperies.

Ludolph. Pref. Lexic. Æth.

Quarto, Populos iſtos Chaldaicam Linguam ſibi vendicare; quia, ut ait Scaliger, ipſorum Biblia Lingua, Chaldaicæ, ſive Aſſyræ affini deſcripta ſunt. Animadvertit Nicephorus, olim Colonias multas e Syria in Æthyopiam commigraſſe, quæ in Regiones illas Chaldaicam Linguam invexerunt. Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus primus eſt, qui Æthyopum Grammaticen ediderit anno 1550., in cujus Proemio hæc animadverſione digna reperiuntur. *Æthyopes Linguam ſuam vocavere Chaldæam, ut quæ a Chaldæa Babylonica exoriatur, & Hebraicæ quam ſimilis eſt, a qua non ſecus, quam Syriaca, Arabica, ac etiam Babylonica quam etiam Aſſyriacam appellant, originem ducit*. Unde concludit: *Facillime hanc Linguam perdiſci poſſe ab eo, qui hebraicam callet*.

Niceph. Hiſt. l. 9. c. 18.

Ex

Ex his omnibus hactenus dictis conſequitur, Æthyopes tametſi ante Schiſma Scripturas patrio ſermone legiſſent, non tamen dicendum eſſe, eos Sacra peregiſſe Lingua, ab Hebraica, vel Syriaca diverſa, quoniam harum Gentium vernacula tantam habet cum Hebraica, & Syriaca cognationem.

V.

Reſpondemus objecto, e Verſione Armenica deprompto:

In Bibliotheca Regia extat maximum Volumen *in fol.* Armenice conſcriptum, quod Sanctorum illorum Geſta complectitur. Uſcanus etenim Armenorum Epiſcopus, delectus a Patriarcha in Concilio totius Nationis, coacto anno *1662.*, ut in Europam pergeret, & Biblia Armena typis committeret; cum Pariſiis verſaretur, rogatus fuit, ut ex Armeno in Latinum transferret S. Meſropii Vitam, hoc volumine comprehenſam, quod reipſa præſtitit.

Simonius Hiſt. Crit. N.T. c. 17.

Huic Meſropio gloriam tribuunt, quod Caracteres Armenos excogitaverit, atque ad Græcorum exemplar, quibus reſponderent, accommodaverit. Ex tum conſilium cœpit cum altero ex Diſcipulis ſuis, *Ruphano* nomine, vertendi totum Vetus Teſtamentum e Græco in Armenum; atque aggreſſi ſunt a Proverbiis Salomonis, quod primum opus fuit hac Lingua vulgatum. Id contigit Theodoſio juniore imperante, qui natus eſt anno 401.; atque adeo hujus Bibliorum partis Verſio, ut citius, edita non fuit, niſi poſt initium Sæculi V., Uranſcaſo tum Rege Armenorum, & Iſaaco Gentis Patriarcha. Qui porro Iſaac, & Monacus Meſropius animum iduxerunt, ut Verſiones Bibliorum in Armenam Linguam proferrent; ſed ex eorum diſcipulis duo, quorum unus appellabatur Eznac, atque alter Joſephus operam enixe dederunt; *ut ex Syrorum Lingua Sacras Scripturas interpretantes, in Linguam Armenicam litteras commendarent ſuæ regionis.* Quod videre eſt in Vita S. Meſropii aſſervata in Regis Bibliotheca.

Clemens Galanus Cler. Reg. in Hiſt. Arm. cap. 2. & 7.

Cod. MS. Arm. Bibl. Reg.

Ceterum ſive Armeni pro primis Apoſtolis ſuis jactent SS. Bartholomæum, & Judam, vel Thadæum, qui a Sanatrugo, Armenorum Rege neci dati ſunt, ſive Sanctum Gregorium, tanquam Apoſtolum ſuum venerentur, licet ante illum Epiſcopus Meruzanus ſub Decii tempus Evangelicam Legem eis annunciaverit: certum tamen eſt; Armenos non legiſſe Scripturas vulgato ſermone ſuo, niſi poſt ſæculum ab obitu S. Gregorii, cognomento Apoſtoli Armeniæ Majoris, & centum quinquaginta annos poſt mortem Meruzani, qui ex Euſebii teſtimonio Epiſco-

Act. apud ſur. pag. 327. Sept.

Euſebius Hiſt. l. 6. c. 46.

pus Armeniæ fuerat medio circiter tertio ſæculo; atque adeò neceſſè erat, eos legiſſe ante hoc tempus Litteras Sacras Lingua, minime populis illis vulgari.

S. Gregorius, licet apud Armenos ortum duxerit, ab incunabulis tamen in Imperii Romani terras translatus eſt, atque, ut ajunt, altus Cæſaræ in Cappadocia, Chriſtianæ ſimul Religionis didicit rudimenta. Poſtquam autem diuturna virtutis exercitatione confirmatus fuit, Divino afflante Numine rediit in Patriam, ut ibi Chriſtum nunciaret. Quæ animadverſio locum conjecturæ præbere poteſt, S. Gregorium unam duntaxat calluiſſe Græcam Linguam, cum in Armeniam reverſus eſt, atque in illis regionibus divina Myſteria Græca celebrata fuiſſe ad medium uſque ſæculum quintum, vel ſi placet, & probabilius videtur, ætate D. Gregorii Sacra Gentem illam peregiſſe Syriace, immo multo ante, & poſt medium Ævum quintum. Hæc conjectura ducitur ex eo, quod cum Meſropius, & Iſaacus cœperunt in Armenam Linguam Syrorum Libros interpretari, nullus ſupererat Liber Græcus apud Armenos, igne ſcilicet abſumptis exemplaribus omnibus a Perſarum Præfectis, qui Armenis Lectionem Librorum Syriaca tantum lingua ſcriptorum concedebant. Quæ vexatio Perſarum, quamdiu Armeni paſſi ſunt, in cauſſa fuit, ut Iſaacus Patriarcha Meſropium, alioſque ejus Diſcipulos Conſtantinopolim ablegaret quæſitum Græcos Libros, qui jam in Armenia deſiderabantur. Atque illud pariter ſit veriſimile, Liturgiam, ab Armenis ante ſchiſma adhibitam, Syriace exaratam fuiſſe, quandoquidem altera ex Liturgiis, quam habemus S. Baſilii nomine, verſa eſt ab Andrea Moſio e Syriaco Latine.

Simillimum itaque vero eſt, Armenos, antequam Neſtorianorum errores imbiberent, atque ab Ecclesia Catholica diſſociarentur, Lingua Syriaca uſos fuiſſe in publicis concionibus, quo factum eſt, ut hæc Simonius pronunciaret. „ Conſtans, & ratum habeo populos iſtos, *Armenos* „ Rem divinam Syriace celebraſſe; atque ego quoque Liturgiam vidi „ hoc ſermone digeſtam, quæ populorum illorum uſui conſcripta fuerat. „ Quamvis autem Armeni ſæpe in Eccleſiæ ſocietatem redierint ſeptingentis ab hinc annis, * operoſum tamen eſſet ſtatuere, quo ſermone Sacra recolerent eo tempore, quo in Eccleſiæ Romanæ ſinu vivebant. De eo tantum dubitare non licet, Armenos Catholicos, Liturgiam penes ſe habere Lingua populari, quæ anno *1666.* edita Romæ fuit Armene,

Simonius Hiſt. Crit. N.T. c. 17.

* Hæ ſunt quædam reconciliationes Armenorum cum Eccleſia Romana. Anno 1036 ſub Innocentio II. 1043. & 1145. ſub Eugenio III. 1247. ſub Innocentio IV. In Concilio Florentino anno 1439. anno 1552. tempore Julii III. *Morinus de Sacris Ordin. Syrorum Neſtor. p. 2. pag. 439. & ſeq. Bzovius in Annal. anno* 1330. *& alii.*

& La-

& Latine, juſſu Congregationis de Propaganda Fide; poſtquam erroribus populorum iſtorum purgata fuit, & crebris locis immutata, id ægre ferentibus Armenis, qui Romæ Eccleſiam habent, in qua vulgari ſermone Myſteria Divina recolunt, & Eccleſiaſtici Officii ſui Ritus exercent. Noſtra erit impoſterum perſequi, quidnam Pontificibus perſuadere potuerit, ut in hoc præterirent morem Eccleſiæ toti communem, Rem divinam celebrandi tribus tantum Linguis, quæ in Crucis titulo conſcriptæ fuerunt.

VI.

De Verſionibus, Chryſoſtomo, & Hieronymo tributis.

Nolo equidem immorari in expendenda opinione illa, qua Sixtus Senenſis, Azorius, Uſſerius, aliique multi exiſtimarunt, Divum Joannem Chryſoſtomum interpretatum fuiſſe Armene quandam Bibliorum partem, fulti loco Gregorii Patriarchæ Alexandrini, qui S. hujus Doctoris Geſta narrando perſecutus eſt. Satis nanque erit huc afferre totum Gregorii textum, ut liqueat, ſine ulla ratione tribui Joanni Chryſoſtomo Verſionem Armenam. *Tradidit illis inſuper, & Pſalmodiæ regulas, data etiam Myſtagogia divina. Invenit enim, Deo largiente, quoſdam ex eis Græce ſcientes, quos Novum Teſtamentum, & Pſalterium in vernaculam ipſorum Linguam convertere fecit, ut notitiam S. Scripturæ obtinerent. Illis etiam mandavit, Pſalterium ediſcere, ut ex canticis illius in Eccleſiis cantarent, ſubiiciens illorum officii eſſe, ut ſaltem partem Veteris Teſtamenti in Linguam vernaculam transferrent.*

Sixtus ſen. l. 4. Bibl. in Chryſoſt. Azorius l. 8. Juſt. cap. 26. Uſſerius in ſuo Opere Critico pag. 93.

Ac ſi locus iſte ſatis non eſſet ad oſtendendam deceptionem Uſſerii, tribuentis Chryſoſtomo Verſionem Armenam, Hiſtoria quoque Eccleſiaſtica nobis adverſam partem ſuadere poſſet. Sanctus hic Doctor adventavit Cucuſam in Armenia medio circiter Septembri anni 404. ſub initium anni 406. a Cucuſa in Arabiſſam translatus eſt, ubi tertio exulavit; atque adeo Vir hic divexatus duos tantummodo annos in Armenia commoratus eſt. Quo quidem tempore diſtentus fuit multis Epiſtolis conſcribendis, quibus innumeros pene ſumma animi ſollicitudine aliorumque inſectationibus ipſius cauſſa afflictos ſolaretur, & confirmaret. Ejus quoque Hiſtoria nos docet, ipſum vigilantia incredibili laboraſſe, ut quaſdam recenter conditas Eccleſias in veritate ſolidaret. Quibus omnibus ubi accedat infirma valetudo, quæ magnopere debilitata eſt itinere ſeptuaginta dierum, non poterat Chryſoſtomus tantum temporis nactum eſſe, ut Sacras Litteras verteret in Linguam; ſibi ante-

quam

quam illuc proficiſceretur, ignotam. Aut certe illud perſpicuum eſt, non apparere, unde Chryſoſtomus Armenicam Linguam ſciret, antequam eo traductus eſſet; atque ibi parum ſubſtitit, ut Linguam addiſceret eatenus, ac neceſſe fuiſſet graviſſimo muneri obeundo. Eo tamen urgente, fieri potuit, ut Monachi ſuperius memorati aggrederentur, Biblia patrio ſermone interpretari, atque hoc ſenſu eum Verſionis Armenæ Scriptorem nuncupatum fuiſſe.

Vendicare ſolent D. Hieronymo Verſionem Lingua Dalmatica, quæ vetuſtiſſima eſſet, ſi modo certum revera fieret, eam opus eſſe Doctoris hujus, ut placuit multis præſertim Heterodoxis, qui maximi Viri hujus exemplo vulgatis Verſionibus ſuis authoritatem adjicere arbitrantur. „ „ Gretſero, inquit Benedictus Turretinus, admiſit negare, D. Hieronymum Dalmatica Lingua Sanctas Litteras fuiſſe interpretatum. „ Sed cum Catholici tum Hæretici verba S. hujus Doctoris ad Sophronium *Linguæ meæ hominibus* perverſe intellexerunt; cum hujuſmodi hominibus Latinos homines indicet, ut probare poſſemus multis operum ejus locis, in quibus eodem ſenſu eadem dictio occurrit, & Latinam Linguam ſuam Linguam appellat: ſed neque ullus Autor, vel idem ipſe Hieronymus, qui de ſuis aliis Scripturarum Interpretationibus ſæpe loquitur, hujus mentionem vel levem facit.

Bened. Turret. in defenſ. Verſ. Genev. contra P. Cotonium Gall.

Uſſerius Opuſc. de Script. Vernac.

Hieron. ad Sophr. Ep. 134.

VII.

De Verſionibus Scripturarum Lingua Punica, atque Eſclavonica, quarum meminerunt D. Auguſtinus, & Ven. Beda.

Auguſt. in Pſ. 118.

Joann. Trevis.

Divus Auguſtinus incidit in memoriam Verſionis Pſalmorum Punica Lingua, quæ non poteſt non eſſe vetuſtiſſima. Ferunt quoque, Ven. Bedam Bibliorum Interpretationem Anglicam elaboraſſe. Paullo poſt medium IX. Sæculum anno circiter 875. Cyrillus, quem Græci Regionis *Chiurillum* appellant, Sacros Libros in Linguam Eſclavonicam tranſtulit. Atque hæ ſunt antiquiores Scripturarum Verſiones, quæ in rem noſtram facere poſſunt; neque etenim ſermo eſt de Verſionibus Arabicis, Perſicis atque innumeris aliis, quæ ab omnibus pene Orbis Catholici Nationibus confectæ ſunt; immo etiam ab Schiſmaticis, atque Hæreticis. Si nanque quaſdam ſectas excipias, ceteræ nunquam conſilium cœperunt, has Verſiones in Eccleſias introducendi, ſed tantum populos illarum ope inſtituendi.

Syri ex. gr. qui in plures ſectas dividuntur, Verſiones habent Arabicas populis obvias. Idem dicito de Coptis, qui Verſionibus Bibliorum Arabicis

cis nón carent; Eccleſiæ vero Occidentis ditatæ ſunt Interpretationibus vernaculis; ſed quemadmodum non fuit mens vertentium Biblia Hiſpanice, Italice, Gallice, aliiſque vulgatis Dialectis, ut Verſiones iſtæ in Eccleſiis uſum haberent, ſed duntaxat in doctrina populorum; non ſecus Chriſtiani Orientis Arabicas Translationes ob unam tantumodo privatam eruditionem adornarunt.

Hæc Verſionum pene omnium ſingularis recenſio neceſſaria erat, ut de duobus certiores efficeremur. Primo, omnes Nationes terræ non receпiſſe eodem tempore lumen Fidei, & Scripturas vulgares, & populo promiſcue notas. Secundo, Sacra Volumina hoc modo translata in Fidelium conventibus adhibita non fuiſſe.

Quæ duo conſecutiones nullo negotio procedunt ab initiis modo conſtitutis. Si nanque Verſiones Scripturarum, Sanctis Chryſoſtomo, & Hieronymo adjudicatæ, ipſis ſuppoſitæ fuere, ut hactenus probatum eſt: ſi Punicæ, Anglicæ, ab Auguſtino, & Beda memoratæ, non fuerant, Eccleſiæ uſibus addictæ: ſi demum Gothicæ, Copticæ, Æthyopicæ, & Armenæ minus veteres ſunt, quam Simonius, & Bocquillotius crediderint; facile inde arguere poſſumus, Nationes omnes non poſſediſſe Biblia Lingua populari exarata, ſtatim atque Fidei claritate perfuſæ fuerunt, immo ſingulas Verſiones iſtas contrarium efficere poſſe. Quandoquidem, uti oſtendimus, Gothi, Copti, Æthyopes, atque Armeni ad Fidem converſi fuerant multo ante, quam Libri Divini ad horum populorum ſermonem redigerentur.

§. III.

Argumentum Tertium.

Opponunt quorundam populorum morem, qui Scripturas vernaculis verbis editas publice legerunt.

DUo exemplorum genera in medium afferunt, ut vulgaris Linguæ uſum in Re divina probent. Prima attinent ad poſtrema hæc tempora; alia a quarto, vel V. ſæculo deſcendunt. Superius animadvertimus, Armenos Catholicos ætate quoque noſtra legere in Concionibus Eccleſiaſticis Biblia ſermone proprio. Nemo unus ignorat, Slavis Chriſtianæ Religioni ſub nonum ſæculum initiatis, Methodium Gentis Epiſcopum Liturgiam eorum Lingua celebraſſe; quæ duo ſola exempla, niſi ſi me latet, proferri poſſunt ad propugnandum, Linguam vulgarem in Myſteriorum Sanctorum celebratione locum habuiſſe.

Idem

Idem etiam factum ſibi blandiuntur ex argumentis quinti ſæculi deducere. Primum vim facit in Vita S. Sabæ, ab ejus Diſcipulo conſcripta, in qua ſcriptum eſt, cum quidam Armeni apud eum receſſiſſent, conſtruendam curaſſe pro ſe, ſuiſque Monachis novam Eccleſiam, & veterem Armenis dono dediſſe, ut Officia, laudeſque Divinas Lingua populari recolerent. Vita S. Theodori Cœnobiarchæ aliud ſufficit ipſis magis concluſum. Quo etenim magis augebatur numerus diſcipulorum ejus, eo ipſe ædificia, & Monaſterii cellulas multiplicabat; utque faciliorem redderet Sacrorum uſum iis, qui diſſimilem loquendi modum adhibebant: *In ſuo Monaſterio quatuor Ædes ædificat, ex quibus unam quidem dimiſit iis, qui Lingua Græca utuntur, in qua & ipſe, & aliorum quoque Patrum Chorus hymnum canebat. In ſecunda autem Genus Beſſorum ſua voce communi Domino fundebat preces. Tertiam autem ſortita eſt genus Armenorum in qua quidem ipſi quoque Lingua Patria Deo hymnos emittebant.* Interim ergo præſtat Objecta hæc omnia in trutinam ponere.

Cyrill. Vita S. Sabæ Edition. Cotelarii, & apud Surium 5. Decembris.

Vita S. Theod. ex Anon. apud Sur. 11. Januarii, & apud Bellarm. ibid. pag. 692.

I.

Conſuetudo Slavorum non eſt opinioni noſtræ contraria.

Ut ſine cunctatione ulla reſpondeamus argumento de conſuetudine Slavorum qui vulgari ſermone publica Officia perſolvunt, Hiſtoria hæc altius repetenda eſt. Poſtquam Methodius Nationem hanc ad Fidem convertit, a Pontifice poſtulavit, ut integrum ſibi eſſet, Divinas Litteras in Eccleſiis legere Lingua Eſclavonica; ſed Joannes VIII. id nequaquam ipſi permiſit: Audi ipſius verba: *Jam Litteris noſtris, per Paulum Epiſcopum Ananitatum tibi directis, prohibuimus, ne in ea Lingua Sclavonica Sacra Miſſarum ſolemnia celebrares; ſed vel in Latina, vel in Græca Lingua, ſicut Eccleſia Dei, toto terrarum Orbe diffuſa, & in omnibus gentibus dilatata cantat.*

Joann. VIII. Ep. 195 ad Method. Arch. Pannon. Eccleſ.

Quo in loco præterire non licet verba hæc: *iam prohibuimus*; indicantia, Pontificem hunc aliam ad Methodium Epiſtolam dediſſe, qua illi ab Eſclavonicæ Miſſæ uſu cavebat. Cum primum etenim Epiſcopus hic Slavus Fidem edocuit, Myſteria ſtatim Divina ſermone populari colere cœpit; quod ubi audivit Pontifex, cum ipſo conqueſtus eſt hoc pacto: *Audivimus, quod Miſſas cantes in barbara*, hoc eſt, *Sclavonica Lingua*. Secundo obſervandum eſt, tum apud omnes Eccleſias rem divinam, ut adnotavit Pontifex ille, Græce duntaxat, & Latine celebrari conſueviſſe.

At Methodius Romam profectus eſt, atque ab eo cognovit Pontifex, ejus Fidem integram, atque Orthodoxam eſſe, nec non Sclavonicæ Litur-

giæ

giæ verſionem fidelem ; qua de re conceſſit ipſi poteſtatem ea utendi in Myſteriis Sacris. Auctoritate Sacrarum Scripturarum, ait Pontifex, docemur, glorificandum Deum non tribus tantum Linguis; legimus enim: *Laudate Dominum omnes Gentes*, *laudate eum omnes Populi*. Apoſtoli Sancto repleti Spiritu annunciaverunt omni lingua mirabilia Dei: quod nobis ſignificat Apoſtolus Paulus, dicens: *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. *Jure laudamus, nec ſanæ Fidei vel Doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Sclavonica lingua canere; ſive Evangelium, vel Lectiones Divinas Novi, & Veteris Teſtamenti bene translatas, & interpretatas legere*. Ille quippe, a quo procedunt principales tres Linguæ, Hebraica, Græca, & Latina, creavit, & alias Linguas ad honorem, & gloriam nominis ſui. *Epiſt. 247. ad Com. Sſentopulchrum.*

Nihil ſane firmius afferre quis poterit, ac hujus Pontificis verba, ad roborandum Linguarum vulgarium in publicis Officiis uſum, & commendandam Sclavorum ſacrificandi rationem. Ceterum locus hic nihil nocet communi Eccleſiæ Traditioni, quæ in Sacris autoritatem affert Linguis Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, ceteriſque detrahit: ſi tamen hæc animadverterimus.

Primo, Pontificem impertitum fuiſſe facultatem celebrandi Miſſas Lingua Sclavia ea conditione, quam his verbis complectitur: *Jubemus tamen propter majorem honorificentiam Evangelium Latine legatur, & poſtmodum Lingua Sclavonica translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis, annuncietur*. Quod ad te attinet (ſubjungit Pontifex, ſermonem convertens ad Comitem Sſentopulchrum) tuoſque Magnates; ſi mavultis Miſſam audire Latinam, jubemus eam vobis celebrari.

Secundo, *nec ſanæ Fidei, vel doctrinæ aliquid obſtare*, ſi Miſſa ſermonibus vulgatis celebretur. Quapropter Eccleſia id aliquando conceſſit, cum rationibus mota eſt hujuſmodi, quibus compelleretur ad Sacra facienda aliis verbis, quam Græcis, & Latinis. Quod apprime convenit conſilio Tridentinæ Synodi, edicentis in hæc verba: *Etſi Miſſa magnam contineat populi Fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebretur*. Cauſſa vero legitima eſt ſolvendi hanc conſuetudinem, ſi Natio, recens ad Fidem converſa, Miniſtris careat, qui Græce, & Latine intelligant; vel aliæ hujuſmodi. Et propterea Proteſtantes injuria Eccleſiam Romanam carpunt, perinde ac affectet in Officiis publicis Linguam ignotam, ne populi, quiquid præſeferunt, percipiant. Neque etenim S. Sedes id unquam affectavit; cum immunitatem ab hac lege dederit Armenis atque Sclavoniis, ubi judicavit, indulgentiam hanc conferre ad augmentum Fidei, & Religionis: quod ſi facultatem hanc non tribuit, niſi multis adhibitis proviſionibus, iccirco id facit, *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. Can. 9.*

ut incommoda permagna evitaret, quæ alibi recenſuimus, quæque èvadere nullo modo poſſent, qui Myſteria Altaris verenda populari ſermone tractarent: ut Sclavoniis contigiſſe perſpicimus.

Hoſius de Sacro Vernacule legendo.

Animadverſio tertia nititur verbis Hoſii Cardinalis, & Epiſcopi Varmienſis, qui ſæculo ſextodecimo floruit: aitque, ſexcentos amplius annos præteriiſſe, ex quo Sancta Sedes Slavis, paullo ante Religioni initiatis, licitum eſſe voluit, ut Miſſarum ſolemnia patrio ſermone recolerent; ſed morem hunc cito obſolevíſſe: *quod plus afferre detrimenti, quam emolumenti viſus*.

Thomas Arch. Spalat. in Hiſt. Epiſc. Salon. cap. 16.

Greg. VII. Lib. 7. Regeſt. Epiſt. 11. ad Uratiſlaum.

Alexandri Papæ II. ætate collectum Concilium fuit ab Apoſtolicæ ſedis Legato, qui univerſos Dalmatiæ, & Croatiæ Epiſcopos concivit; atque in eo ſancitum fuit, ne quiſquam auderet, Sacra Myſteria dictione Sclava celebrare; ſed duntaxat Latina, vel Græca. Eademque de cauſſa Gregorius Papa VII., qui Alexandrum II. excepit, Uraſilao Bohemorum Duci negavit arbitrium recolendi ſacra in Regno ſuo Sclavonicis verbis. *Quia nobilitas tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavonicam Linguam apud vos Divinum celebrari annueremus Officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Unde ne id fiat, autoritate B. Petri inhibemus*. Si Bohemis itaque abnuit Pontifex hic de re illa, quam Joannes VIII. Slavis conceſſerat; argumento eſt, ea incommoda exorta fuiſſe, quæ ab hac conſuetudine ſeparari non poſſunt.

Quarta animadverſio ſpectat ad conditiones, quibus integrum fuit Sclaviis, Officium canere Lingua regionis: ut videlicet Evangelium legeretur primo Latine, deinde Sclavonice, modo interpretatio fidelis eſſet atque accurata. Hæc ſane ex præcipuis rationibus fuit, quare Eccleſia interdixerit lectionem Scripturarum Linguis vernaculis, quia nimirum difficile admodum ſit, egregie in eas Linguas interpretari, & Linguæ ipſæ, uti monuimus, varias viciſſitudines ſubeant.

Denique oportet meminiſſe, Slavos ex conceſſione tantum Pontificis, nationem illam Lege ſolventis, Officia ſermone populari celebraſſe. Quod evidens indicium eſt, id in more poſitum non fuiſſe: cum etenim aliquid fieri conſuevit, immunitate non indiget. Idem porro, quod diximus de Slavis, intelligendum eſt de Armenis, qui Res Divinas ideo Lingua communi exercent, quia Sedes Apoſtolica, peculiaribus momentis inducta, rem hanc ipſis conceſſit. Hi ſunt itaque ſoli illi Chriſtiani, Eccleſiæ Romanæ adhærentes, qui ſermone vernaculo Litteras Sacras publice legant; Sclavonii nanque jampridem vulgatam ſuam in Officio Divino Linguam reliquerunt.

II.

II.

Simillimum vero ſit, Armenos Officia publica Syriace celebraſſe.

Ut diſſolvamus ea; quæ afferuntur de Monaſteriis S. Sabæ, & S. Theodori, in quibus Græci, Armeni, & Beſſi, ſinguli Lingua Patria Sacrorum ſolemnia faciebant: non eſſet abs re intelligere verbis iſtis *Lingua Patria*, Monachos iſtos diverſarum Nationum Officia ſecundum Eccleſiarum ſuarum Ritus celebraſſe. Ceterum quamvis verba obvio ſenſu acciperemus; certum eſt Armenos, quod ſuperius probavimus, legiſſe Scripturas Syriace medio circiter V. ſæculo, idque ſervaſſe ducentis ferme annis ab Eccleſiæ hujus conſtitutione. Immo novimus ex Hiſtoria Armeniæ, poſt Iſaaci Patriarchæ mortem, qui ante alios Scripturas e Syriaco in Armenum vertere cœpit, in ea Regione Patriarchas multos fuiſſe e Syria profectos. *Narratio de rebus Armeniæ apud Combef. Hiſt. Monoth. pag. 290.*

Porro neminem latet, Eccleſias illas, quæ Religionis ſuſceptæ initio Verſiones vulgatas habuerunt, eaſque in Eccleſiis legerunt, nunquam ab hac conſuetudine receſſiſſe, licet eas non intelligerent: neque exiſtimo, ullam fuiſſe Catholicorum Eccleſiam, quæ ſuper hac re quidpiam mutaret. Cum ex adverſo Schiſmatici, atque Hæretici ſæpius morem reliquerunt legendi in Conventibus publicis Biblia eo ſermone, quo tradita olim ipſis fuerant, ut in eorum locum Vulgares interpretationes ſubſtituerent: quod videre licet ex conſuetudine ſectarum multarum cum in Oriente, tum etiam in Occidente. Quapropter nihil eſt, quod oſtendat, vel probet in Hiſtoria, Armenos alia Lingua, quam Syriaca Sacra feciſſe ad uſque ſæculum V., neque centum poſt annos a Concilio Chalcedonenſi, quo tempore populi iſti errores non paucos hauſerunt. Unde facile conſequitur, Armenos, de quibus in Geſtis SS. Sabæ & Theodori, Sacrum peregiſſe Syriace; quod Autores Hiſtoriæ illius Linguam ſuam idcirco vocant, quia in ea Scripturas legebant, & Liturgias celebrabant.

III.

Beſſi Sacra Myſteria ſemper ſermone Latino recoluerunt.

Si Beſſi, ut Cornelius animadvertit, populi fuerunt Miſiæ inferioris, qui a Bulgaris inde pulſi in Boſniam conceſſere, non eſt dubitandum, illos Biblia Latina inſtar univerſi Occidentis accepiſſe. Eo autem magis, *Cornelius Dictionn. Univ. verbo Beſſa, Gall.*

quo nullum apud Autores veſtigium eſt, extitiſſe unquam Verſionem vulgari populorum iſtorum Lingua conſcriptam. Immo ex adverſo ſolidum argumentum eſt, Bollando ipſi probatum, eos ſtatim Volumina Sacra Latine accepiſſe; quia traslata in Sclavonicam Linguam non fuerunt, niſi poſt quadringentos a Beſſorum Chriſtiana Fide elapſos annos.

Bolland. XI. Jan. pag. 692.

S. Paulinus nanque perhibet, S. Nicetam Romatiani, ſive potius Remeſiani in Dacia Epiſcopum, non vero Aquileiæ, qui quarto, & quinto ſæculo illuſtris fuit, Beſſas Chriſtiana veritate inſtituiſſe, his carminibus:

Paul. Nolanus in Poemate. De Reditu S. Nicetæ in Daciam.

Nam ſimul terris animiſque duri,
Et ſua Beſſi nive duriores
Nunc oves facti, Duce te, gregantur
Pacis in aulam.

Porro ſive Beſſorum nomine intellexerit populos incolas Boſniæ; quæ circumſcribitur a ſeptentrione flumine Savo, eam ab Eſclavonia dividente; a meridie flumine Boſna, quod illam a Servia ſejungit; quæque a meridie pariter, atque Occaſu Dalmatiam reſpicit: ſive comprehendat eos omnes, qui Septentrionem habitant, quique, ex Bailleto, Linguam Eſclavonicam, & Rhutenam loquebantur; propugnari nullo modo poterit, Monachos Beſſos, alia Lingua quam latina in Sacris uſos fuiſſe; quamvis etenim conſtaret, eos tum Slavum ſermonem uſurpaſſe, carebant tamen Bibliis in Linguam ſuam converſis.

Baill. Vitis SS. XI. Jan.

IV.

Locus, e Vita S. Theodori mutuatus, propoſitum non concludit.

Cum legimus in Vita S. Theodori, hunc conſtruxiſſe quatuor Eccleſias, alteram pro Græcis, alteram pro Armenis, tertiam pro Beſſis, & quartam pro furentibus, vel a Dæmone correptis: omnem veritatis ſpeciem habet, ut Sacra ſolemniori atque auguſtiori ratione colerentur; celebrata fuiſſe in eadem domo, ſed in plures Eccleſias diviſa, totidemque linguis, quot initio Chriſtianæ Religionis huic, ut ita dicam, Miniſterio conſecratæ fuerunt: ſive Monachi omnes iſti tres Linguas Syriacam, Græcam, & Latinam callerent; ſive ſinguli ſingulas in ſuis Eccleſiis uſurparent. Utrumque etenim, ut opinor, tueri poſſumus.

Opus nanque fuit, Monachos omnes iſtos, ſive Armenos, ſive Beſſos Græce ſciviſſe, quandoquidem in Vita S. Theodori hæc habentur: *Lex erat apud eos, ut uſque ad Divinitus inſpirata Evangelia unuſquiſque in ſua*

ſua Eccleſia, ſimul & Lingua, Divinam audiret vocem; poſtea autem omnes congregabantur in una. Quid prohibet pariter, contigiſſe in his monaſteriis, quod in juſtis ſolvendis D. Paulæ contigit; ut tot ibi Monachi diverſarentur, quot ſatis eſſent ad Divina Officia partim Syriace, partim Græce, & partim Latine recitanda.

Narrat quidem D. Hieronymus, a Monachis Paleſtinis, ut celebriores & ſolemniores eſſent exſequiæ, ſanctæ huic Romanæ Matronæ præſtitæ, *Pſalmos in ejus funere cantatos fuiſſe Hebræo, Græco, Latino, Syroque ſermone.* Si non deerant igitur inter hoſce Monachos, qui Pſalmos tribus Linguis iſtis canere ſcirent, eoſque decantarent diverſis, ut ait Hieronymus, *Choris ſibi reſpondentibus*; mirum non erit, idem accidiſſe, atque uſitatum fuiſſe in SS. Sabæ, & Theodori Monaſteriis. Etſi autem velles, Monachos iſtos Græcos, Armenos, & Beſſos ſuas tantummodo peculiares Linguas calluiſſe, compertum eſt, Linguas iſtas vulgatas minime fuiſſe apud Armenos, & Beſſos; quoniam ſecundum Eccleſiarum ſuarum conſuetudinem il Syriace, hi Latine Litteras Sacras legebant. *Hier. in Epitaph. Paulæ.*

Habes, ut opinor, quidquid firmius urgent in oppoſitum, ut Traditionem oppugnent adverſarii, quæ non admittit in Sacris perſolvendis niſi Linguas Syriacam, Græcam, & Latinam, ceteris omnibus Vulgatis Linguis excluſis. Immo ipſæ Bibliorum Verſiones, quibus nituntur, ad confirmandam illorum Lectionem uſumque populari ſermone cujuſque regionis in Sacro celebrando, ubicumque Fides tribus prioribus Ævis lumen ſuum intulerat: has inquam Verſiones multo magis ſententiam hactenus probatam roborare mihi videor.

DIS.

DISSERTATIO V.

De Reliquiis, ſive pretioſis rebus, quæ ſuperfuerunt, Chriſti Domini; atque de Inſtrumentis Paſſionis ejus.

INter objecta veneratione digna, quæ ante oculos Fidelium proponuntur ſub titulo pretioſarum Jeſu Chriſti Reliquiarum, aliæ ſpectarunt ad ſacrum ejus corpus, dum cum hominibus verſabatur; aliæ conſecratæ fuerunt ex ſanctæ Humanitatis ejus, vel ſanguinis contactu; aliæ demum miro modo partæ ſunt, vel a Chriſtianis ad germanarum Salvatoris Reliquiarum exemplum effictæ. Quas tamen Reliquias omnes non aggredior ſingillatim excutere, ſed quaſdam duntaxat. Initio quidem loquar de pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine, & de illius origine, qui in quibuſdam Eccleſiis aſſervatur. Deinde oſtendam, lacrymas, quæ venerari ſolemus, non ab Jeſu Chriſti, ſed ab Crucifixi cujuſdam oculis manaſſe. Denique operam dabo, ut quidquid ſimilius vero in Traditione reperi, colligam de Columna, Lancea, & Clavis, aliiſque Dominicæ Paſſionis inſtrumentis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sanguine Jeſu Chriſti.

NUlla ex Reliquiis Sanctorum eſt, quæ cultum noſtrum digniori ratione repoſcat, quam Sanguis Filii Dei, ſi modo eatenus felices eſſemus, ut illum poſſidere mereremur. Tametſi non doceant Litteræ Sanctæ, num aliqua pars ejus ſuperfuerit in terris poſt Jeſu Chriſti reſurrectionem, id non obeſt, quominus Eccleſiæ Orientis, atque Occidentis multæ, Eccleſiaſticorum Patrum teſtimoniis fultæ, jactent, ſe quaſdam ejus particulas apud ſe retinere.

Noſtra itaque intereſt in præſenti, Traditiones fabuloſas atque incertas ab iis ſecernere, quæ tutæ ſunt, & rationi conſonant; quæque contra commentæ fuerunt de Origine Reliquiarum iſtarum, & de modo, quo

ad

ad poſteros traductæ ſunt. Poſtquam autem ſtatuero, quod veritatem magis referre arbitrabor, quaſdam Bailleti deceptiones ante oculos ponam.

§. I.

De multis Traditionibus, quæ attinent ad modum, quo Sanguis Chriſti Domini poſt ejus mortem collectus fuit.

TRaditionum iſtarum prima Nicephori tantummodo teſtimonium habet; qui Græcus Autor contendit, Mariam Virginem, & S. Joannem Evangeliſtam *Sanguinem & aquam, a latere ejus, quaſi adhuc viventis recens profluentem, religioſe ſimul, & honorifice admodum vaſculo excepiſſe*.

Niceph. l. 1. Hiſt. cap. 30.

Ex quo fonte, atque autoritate Quareſmius deducit adorandum Jeſu Chriſti ſanguinem, qui per ipſum aſſervatur in ampullis, Venetiis, in præclariſſima Eccleſia D. Marci, atque in altera *Minorum* S. Franciſci *Conventualium*, & publicæ venerationi proponitur quarto idus Martii, & præcipue die Dominico Paſſionis, magnificentiſſima ſolemnitate. Ex eadem origine idem petit ſanguinem alium, qui Mantuæ colitur in Eccleſia D. Andreæ, quemque, ut ajunt, Leo Papa III. teſtatus eſt, e Latere Salvatoris profluxiſſe. Ejuſdem, ſubjungunt, Sanguinis partem Patriarcha Hieroſolymitanus dono miſit ad Henricum III. Angliæ Regem; aliamque cuſtodiunt Tegulatenſes, ſive Incolæ Fani S. Maximini, ubi in populi conſpectu ponitur Feria 6. Majoris Hebdomadæ, atque oſtento ſingulari ebullire, atque intumeſcere conſpicitur, dum Paſſionis Dominicæ Officium celebratur.

Quareſmius T. 2. Elucid. Terra Sancta l. 3. cap. 41.

Ceterum, cum hæc omnia, a Quareſmio relata, nullum alium ſponſorem afferant præter Nicephorum, non dubitant ſæculi hujus Critici inter fabulas, narrationeſque de induſtria confictas rejicere. Præterquamquod etenim Græcus hic Autor quartodecimo tantum ſæculo vixit, autoritate quoque apud Eruditos laborat, quod videlicet Hiſtoria ejus vulgaribus, recentiſſimis, atque incertiſſimis Traditionibus referta ſit. Quo igitur pacto ſtatuere Factum iſtud poſt quatuordecim ſæcula ex uno duntaxat teſtimonio Scriptoris hujus nominis, nullumque ante ſe vadem proferentis?

Quidquid autem afferat Quareſmius, Mantuana Eccleſia exiſtimat, aliunde Sanguinem Jeſu Chriſti ad ſe perveniſſe. Si nanque audienda eſt Eccleſiæ hujus Traditio, Miles, qui Jeſu Chriſti latus transfodit, cum partem ſanguinis, qui ex Sanctiſſimo hoc vulnere manabat, collegiſſet,

illum

illum detulit Mantuam, quo miſſus eſt ad enunciandam Jeſu Chriſti Fidem, atque ubi vitam pro eadem profudit. Hiſtoria hæc nullum aliud fundamentum habet, niſi inventionem cujuſdam plumbei vaſis, qui anno 804. Carolo Magno imperante, & Leone III. Eccleſiam gubernante, repertum fuit in dimovenda terra prope ejuſdem Urbis Xenodochium, hac Epigraphe: *Jeſu Chriſti Sanguis*. Paullo poſt eruerunt Corpus, quod Mantuanis illud Longini appellare placuit, qui ſecundum Martyrologia Latus Salvatoris lanceæ ictu transfixit. Et quidem Doneſmundus, hujus rei Hiſtoricus, nullum aliud ſpecimen præbet, unde dignoſcere potuerint, illud fuiſſe Corpus Longini Militis.

At non eſt multi operis narrationem hanc explodere, quæ hac una nititur probatione, ut conficiat, e Latere, vel plagis Chriſti fluxiſſe, atque ab Longino delatum fuiſſe Sanguinem, qui in Eccleſia S. Andreæ venaruntur Fideles omnes. Primo Baptiſta Mantuanus, ex hac Civitate oriundus, quique conſtricta oratione S. Longini Hiſtoriam accuratiſſime perſecutus eſt, ignoraſſe dicendus ſane erit Traditionem hanc, quamvis ex hac luce migraverit anno 1516. quandoquidem, citius quam fateretur, S. Longinum Mantuæ Evangelicam veritatem nunciaſſe, eoque Jeſu Chriſti Sanguinem detuliſſe, ſcribit utrumque e Cæſarea Cappadociæ Mantuam translatum fuiſſe. Quod his verſibus deſcribit.

Mantuanus l. 2. Faſtorum.

Sæcula poſt aliquot tua ſunt translata per undas
Corpora in Italiam, Chriſti cum Sanguine ſacro,
Ad Crucis excelſæ quondam veſtigia lecto,
Atque in vaſe brevi tecum poſt fata ſepulto.
Ultima divino ſedes tibi Mantua nutu
Hoſpitiumque fuit . . . . Hic requieſcis adhuc.

Deinde Martyrologia omnia Latina cum vetuſta, tum etiam moderna, MSS. vel edita, & Menologia Græcorum, quæ mentionem faciunt S. Longini Militis, vel Centurionis, omnes una voce mortem ejus collocant Cæſareæ in Cappadocia: *In Cappadocia Longini Martyris, qui latus Domini lancea perforavit*.

Tertio Marius Æquicola de Alveto italo ſermone Mantuæ Annales conſcripſit, qui editi ſunt anno 1521. Sed ne verbum quidem profert de D. Longino, Fidem Mantuanis prædicante, vel eorum Eccleſiam inſtituente: immo, quod animadverſione dignum eſt, nihil habet de Corporis illius, & Jeſu Chriſti Sanguinis inventione tempore Caroli Magni; ſed e contra affirmat, S. Longini reliquias primo repertas fuiſſe medio circiter ſæculo XI., ætate Comitis Bonifacii, ejuſque Uxoris Beatricis.

Qui-

Quibus conjecturis ductus Henſchenius, non dubitat fabulis accenſere traditam a S. Longino populis Mantuanis Evangelicam veritatem; atque adeo cum autores ſuperius relati ne verbum quidem faciant de Traditione hac, ſuſpicari poſſumus, eam poſt illorum mortem propagari cœpiſſe, nimirum ante hac circiter centum annis: *Æquidem vehementer addubito, an centum annis antiquior ea opinio ſit .... credere cogimur, commentum poſt eorum mortem eſſe procuſum.* *Henſch. T. 2. Martii p. 377. num. 6. 217.*

Conſtans Traditio eſt apud Eccleſias Orientis, ab Henſchenio relata, Sanctum quendam virum, Jacobum nomine, collegiſſe in ampulla Sanguinem, qui ex vulneribus Jeſu Chriſti promanabat. Adorandus hic Sanguis, ut ferunt, latuit diu; donec illum Angelus ſanctis duobus Anacoretis, Jacobi ſucceſſoribus patefecit; qui deinde in manus venit ſolitarii cujuſdam, nomine Baſiplabæ, cujus quarto idus Septembris memoria recolitur. At enim cum hiſtoria hæc nullo Scriptoris teſtimonio fulciatur, a quo didicerimus, quis nam fuerit hic Jacobus, vel Facti hujus teſtis; perſuaſum habemus, Traditionem hanc, nullo antiquitatis fundamento munitam, vehementi falſitatis ſuſpicione non carere. *Ibidem pag. ſeq. num. 12.*

Sunt pariter qui exiſtiment, Joſephum ab Arimathæa, & Nicodemum, depoſito e Cruce Chriſti corpore, collegiſſe Sanguinem, qui ex ejus plagis undique diffluebat, & loto, antequam unguentis condirent, ejus corpore, aquam hanc ſanguine tinctam diligenter cuſtodiſſe. Pretioſæ hæ reliquiæ, ab hoc ad illum identidem venerunt uſque ad ſæculum decimum tertium, quo in manus incidere Patriarchæ Hieroſolymitani, qui eas ad Henricum III. Angliæ Regem miſit anno 1247. Quo quidem argumento uſus eſt Epiſcopus Incolnenſis, ut probaret, Sanguinem, ab Hieroſolymitano Patriarcha in Angliam miſſum, revera a Jeſu Chriſti vulneribus fluxiſſe, atque hoc pacto ad noſtra uſque tempora deſcendiſſe. Translationis hujus Hiſtoriam fuſis verbis exequitur Matthæus Paris. *Paris in Hiſt. Angl. ad ann. 1247. & in addit. pag. 105.*

At vero, licet Epiſcopi hujus narratio Audientium animos expleret, atque ab ipſis dubitationem evelleret, qui ambigebant, an verus hic eſſet Chriſti ſanguis: nihilominus tota hæc Epiſcopi Incolnenſis argumentatio, cum deprompta ſit ab Evangelio Nicodemi, ut vulgo dicitur, non eſt magis fide digna, ac ſit illud, quod ex ea ſumpſerunt Petrus de Natalibus, & Capgravius in ſua Legenda; neque etenim quemquam fugit, jure merito creditum Evangelium hoc apocryphum eſſe, & fabulis plenum. *Petrus de Natal. l. 4. c. 6.*

Quibus præhabitis, difficile eſt, ratum habere, Salvatoris Sanguinem, in Eccleſiis recenſitis cultum, a venerandis ejus plagis revera difluxiſſe; cum viæ omnes, quibus contendunt, illum ad nos perveniſſe, incertiſſimæ ſint, atque adeo fabuloſæ, utpote nulla ratione conſtratæ. Interea tamen licet Traditiones iſtas minime recipiam; nolo tamen, honorem, ha-

bitum in multis Eccleſiis guttis Sanguinis Chriſti Domini, falſum eſſe; vel ſuperſtitioſum: cum Reliquiæ, tot in locis aſſervatæ, titulo Sanguinis Jeſu Chriſti, veneratione digniſſimæ ſint; quatenus, etſi adorando hoc Sanguine non manaverint plagæ veri Corporis Jeſu Chriſti: ſanguis tamen eſt miro modo erumpens, qui pietati Chriſtianorum objici potuit, ut deinceps probabimus.

§. II.

De vera origine Sanguinis, qui in Eccleſiis multis colitur nomine Sanguinis Jeſu Chriſti.

GRæci in Menologio mentionem faciunt de duobus veluti *Paſſionibus* Imaginum Jeſu Chriſti: primam celebrant nona die Auguſti, alteram nona itidem die Novembris. Prima contigit Conſtantinopoli, qua in Urbe Imago Jeſu Chriſti, a Judæo cultri ictibus confoſſa, ſangine manavit, atque in puteum projecta fuit. Cujus rei certior factus Præfectus, Judæi domum adiit, atque in puteo imaginem Salvatoris reperit: *& e vulnere recentem adhuc Sanguinis guttam fluere*. Non liquet, quo revera acciderit tempore portentum hoc, de quo loquitur Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum nona die Novembris.

Secundam Imaginum Jeſu Chriſti cruentam violationem accidiſſe tradunt Berythi in Syria tempore Conſtantini Junioris, ejuſque Uxoris Irenis, ubi Judæi aliam Salvatoris Imaginem Cruci affixerunt, e qua copioſus Sanguis effluxit. Quod ſcelus his verbis ennarrat Sigebertus. *In Syriæ Civitate Berytho Judæi, imaginem Salvatoris invenientes in Domo cujuſdam Judæi, ibi relictam a quodam Chriſtiano, eam injurioſe depoſuerunt; & omnia opprobria, quæ Judæi Chriſto Jeſu intulerunt, ejus imagini inferebant.*

Sigeb. in Chron. ad ann. 765.

Baronius eandem hiſtoriam narrat, quam deprompſerat e quodam vetere MS. cujuſdam Athanaſii nomine inſignito, quem Surius aliique Athanaſium Magnum Hieroſolymitanum Patriarcam cogitarunt, non reputantes cum Baronio, narrationem hanc alterius Athanaſii eſſe Epiſcopi in Syria. Prꝫterquamquod etenim Factum hoc contigit multo poſt Sancti Athanaſii exitum; MS. quoque, notis Longobardis exaratum, hoc conſtabat titulo: *Sermo Sanctæ memoriæ Patris noſtri Athanaſii de Imagine Chriſti, quod factum eſt Miraculum in Civitate Berytho tempore Conſtantini, & Irenis Uxoris eius*. Cujus Hiſtoriæ mentio pariter fit, Actione IV. Concilii Nicæni II.

Baronius ubi ſupra.

Sanctus Gregorius Turonenſis non abſimile Miraculum refert, duobus præ-

Greg. Tur. de Gloria MM. c. 22.

præcedentibus antiquius, utpote quod ejus evenit ætate. Judæus etenim, ſublata ab Eccleſia quadam Jeſu Chriſti imagine, eaque pluribus ictibus terebrata, copioſus inde ſanguis erupit. Atque hi niſi fallor veri fontes ſunt pretioſi Sanguinis Salvatoris, qui in multis viſitur Chriſtianitatis Eccleſiis.

Primo quia Martyrologium Romanum conceptis verbis affirmat: *Berythi in Syria commemoratio Imaginis Salvatoris, quæ a Judæis crucifixa, tam copioſum emiſit ſanguinem, ut Orientales, & Occidentales Eccleſiæ ex eo ubertim acceperint.*

Secundo quia hæc eſt D. Thomæ ſententia, his verbis nunciata: *Sanguis ille, qui in quibuſdam Eccleſiis pro Reliquiis conſervatur, non fluxit de latere Chriſti; ſed miraculoſe dicitur effluxiſſe de quadam Imagine Chriſti percuſſa.* Immo crebra ſunt in Eccleſia Prodigii hujus exempla. *D. Thom. 3. p. 54. art. 2. ad 3. & Quodl. 5. art. 5.*

Denique antequam Deus hæc oſtenta patraret, nunquam fando auditum fuerat, extare apud nos Sanguinem Jeſu Chriſti, & vetuſtiſſimæ de re hac Traditiones Miraculo huic ſunt recentiores. Tametſi inventio Sanguinis Redemptoris, Mantuæ anno 804. Leonis III. tempore, antiquior ſit eis, quæ ad nos uſque deſcenderunt, tamen contigit quadraginta annos poſt prodigium Berythienſe, & plus ducentos ab illo, quod memorat Gregorius Turonenſis. Non eſſet itaque admirandum, Reliquiam Mantuanorum ab altero ex his fontibus originem ducere.

Non diffiteor, Leonem III. declaraſſe illum verum Chriſti Sanguinem, fultum eo titulo: *Jeſu Chriſti Sanguis*, vel aliis argumentis, quæ neſcimus, ut demum affirmaverit ipſe Baronius: *Quod ad Chriſti ſanguinem pertinet, re multum examinata, inventus eſt, & comprobatus ille fuiſſe, qui ex Chriſti Corpore fluxit tempore Paſſionis ejus, non autem ille, qui Berythi ex Sacra imagine fluxerat.* *Baron. ad ann. 804.*

Atqui ſi Cardinalis hic firmas eorum, quæ tradit, rationes afferret, & oſtenderet, Inſcriptionem illam ſeptimo ſæculo vetuſtiorem eſſe, atque extitiſſe, antequam emergerent miracula a nobis relata; æquum eſſet, immo neceſſe Mantuanos in vetuſta ſua poſſeſſione relinquere. Interea perſuaſum habemus, id fieri nullo modo poſſe.

Ceterum quamvis Eccleſiæ Mantuanæ Reliquia, quæ conſtat tribus, ut ferunt, guttis Sanguinis, pars veri Sanguinis eſſet, e Latere Salvatoris erupti, quod neque propugnare, neque oppugnare audeo, & Lectoris judicio dimitto, Traditio tamen Mantuanorum fabuloſa ſemper erit. Aſſerunt nanque, Majores ſuos Fidei lumine imbutos fuiſſe a S. Longino Milite & Martyre, qui cum Lancea Latus Jeſu Chriſti aperuiſſet, collegit ſanguinem ſcatentem, delatumque Mantuam, cum in loco omnibus impervio recondidit. Immo non erit abs re, ſi addamus rem incredibilem videri, niſi

alia Facti hujus argumenta afferantur, quam quæ afferunt Hiſtorici ipſi Mantuani, noſque Superius retulimus. Tanti etenim non ſunt, quanti eſſe debent argumenta, a regulis meis ſuper hac re poſtulata.

Ceterum licet cenſura hæc acrior aliquanto videatur, non tamen populorum Mantuanorum pietatem laude dignam afficit ullo modo. Ut nos in tuto ponamus, Reliquiam aliquam ſuppoſititiam non eſſe, ejuſque cultum Deo acceptum, indicia alia perquirenda non ſunt, niſi vetus Inſcriptio, quæ ſuper vas plumbeum legebatur, & viſa crebro, oſtentaque quamplurima, a Deo in ejus veritatis fidem patrata. Poſt hæc inutile eſſet, & difficilimum, ſine mendacium hiſtoriarum præſidio, pronunciare velle: utrum Sanguis hic a natura profectus ſit, vel miro modo eductus; an profluxerit e latere Salvatoris, vel ex aliqua ipſius Imagine; unde venerit; & quonam primum tempore ad Mantuanam Eccleſiam translatum ſit; donec placeat Deo id aperire. Utro autem ex his Fontibus ad eam Eccleſiam Reliquia illa derivaverit, venerationem ſemper Fidelium meretur, honoreſque ipſi præſtitos ſatis digne præſtari demonſtrat.

Brugis pariter in Eccleſia S. Baſilii Sanguinem Jeſu Chriſti oſtentant; quem Theodorus Comes, & Gener Balduini Regis Hieroſolymitani, anno 1148. Bertiniani Abbatis opera, illuc miſit. Sanguis hic Chriſtallo concluſus coagulari videtur tota hebdomada; ſed ut animadvertit Henſchenius: *Tota ſeptimana concretus cernitur, niſi quod hebdomadario miraculo, uſque ad annum 1309. 14. Kal. Maii continuato, qualibet ſexta feria circa horam ſextam liqueſcere ſoleret, & guttatim fluere per Chriſtallum*. Sed cum ſanguis hic, tum ille, quem credimus reperiri in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis Romæ; in Eccleſia Pariſienſi; S. Maximini in Provincia; Sanctonum-Mediolani; in Abbatia S. Mariæ Rupellenſis nuncupatæ; in Eccleſiis tandem Trevirenſi, & Billomenſi in Alvernia, & fortaſſe in aliquibus aliis: Sanguis, inquam, hic e vulneribus Salvatoris non prodiit, ſed ex altera Imaginum illarum, de quibus locuti ſumus, promanavit.

Henſch. T. 2. Martii die 24. p. 378.

Interea tamen inficiari nullo modo poſſum, Chriſtum Dominum in terris aliquas ſui Sanguinis particulas reliquiſſe. S. Hieronymus nos docet, Columnam, ad quam devinctus fuit Jeſus, apparere *infectam cruore Domini*: alius autem Scriptor ait: *Sanguinis Chriſti guttæ apparent in Columna*, ut narrat auctor, cujus opus extat Tomo 24. Bibliothecæ Patrum, editæ Lugduni pag. 1461.

Hier. in Epitb. Paulæ Ep. 27. cp. 4.

Quaſdam pariter Sanguinis Jeſu Chriſti notas in Spinis Coronæ conſpicimus. In Monaſterio quidem noſtro Clermonti in Alvernia colitur una ex his Sanctis Spinis, in qua viſitur exigua Sanguinis gutta; & fortaſ-

taſſe aliquæ illius particulæ adhæſerunt Cruci, Clavis, & Tunicæ contextæ poſt flagellorum ſupplicium. Sique Sacra Sindon, quæ Taurini, & Veſuntione oſtenditur, revera in Pollinctura Domini uſum habuerunt, nemo negaverit, in iis veſtigia quædam adorandi hujus Sanguinis apparere.

Non me quidem præterit, Euthimium, Zigabenum appellatum, Monaeum Græcum, qui ſæculo XII. ineunte vivebat, teſtari: *Sanguinem, qui de ſanctiſſimo ejus corpore defluxit, adhuc apud Chriſtianos conſervari*. Sed Autor hic nimis recens eſt, ut Facto tam veteri fidem afferre poſſit. Quamobrem ſatis ſit ſimile vero, nullum alium in terris ſuperfuiſſe Jeſu Chriſti Sanguinem præter particulas illas, quæ vel Paſſionis inſtrumentis, vel Sacris Sepulturæ Linteis adhæſerunt.

Euth Panoplia adv. Hær. T. 2. tit. 14. Extat Tom. 25 Bibl. Patrum Græc. p. 295.

§. III.

Animadverſiones in quædam loca Tractatus de Feria ſexta Majoris Hebdomadæ, ubi Bailletus de Sanguine Jeſu Chriſti ſermonem habet.

QUantumlibet obſequii deferam Bailleti probitati, & quanta demum exiſtimatione proſequar eruditionem ejus; non poſſum tamen, quin nonnulla animadvertam in ejus ſcribendi modum; quandoquidem alterum hoc eſt ex iis conſiliis, quæ in hujus Operis exordio mihi propoſui. Neceſſe, inquam, eſt, Lectori oſtendere, Scriptorem hunc mihi videri alicubi in magno volumine de Geſtis Sanctorum Critica accuratione deficere. Quod in cauſſa fuit, ut mecum ipſe ſtatuerem, quoties occaſio tulerit ſponte ſua, me ſimpliciter dubitationes meas exhibiturum; ut tamen libitum Lectoribus ſit judicium ferre, an Critici hujus conjecturæ aliquando a veritate abhorreant; an ſubinde parum ſit in ejus diligentiæ fidei habendum; utrum ſemper Archetypa conſuluerit, ut in Operis ſui fronte fidem facit, vel ſi ſemper legit, ſemper etiam germanum illorum ſenſum aſſecutus ſit, atque ex illis rectas conſecutiones deduxerit.

Articulo V. Tractatus de Feria ſexta Majoris Hebdomadæ, Bailletus ſanguinem illum expendens, qui Mantuæ aſſervatur, hæc ſcribit. „ Olim vulgatum erat, hunc conſtare ex guttis ſanguinis, quæ fluxerant „ ex Crucifixo Urbis Berythienſis in Phœnicia; ſed deinceps maluerunt „ credere, hunc eſſe ex Sanguine Corporis ipſius Jeſu Chriſti. „ In ora vero Libri citat Quareſmium Lib. 1. T. 1. p. 870. Audi autem qui loquatur hic Autor eo loci: *Mantuæ in Eccleſia S. Andreæ habetur non nihil Sanguinis, qui fluxerit de latere Chriſti Salvatoris,* (*non de latere Imaginis*

Baill. de Fer. 6. Maj. Hebd. §. 3. de Reliquiis J. Chriſti art. 1.

ginis Crucifixæ in Syria in Berytho Civitate) eumque eſſe verum Domini Sanguinem declaravit Summus Pontifex Leo III. ante annos octingentos.

Quibus verbis perſpicuum eſt, Bailletum Quareſmio affingere contraria omnino dictis, & menti ſuæ. Non eſt item prætereundum, cur dixerit poſteriori tempore maluiſſe homines credere, Mantuæ aſſervari verum Sanguinem Jeſu Chriſti; quandoquidem id Traditione conſtanti propagatum fuerat ab anno 804. fide Pontificis, qui, ut retulimus ex Baronio, rem diligenter examinaverat. Ut autem magis pateat exigua Bailleti accuratio, addam quoque, Bergomenſem primum eſſe, qui de Sanguine Imaginis Berythienſis differens, ſcripſerit: *Quem Sanguinem, Divino diſponente conſilio, Mantuæ allatum ferunt*. Quare non vulgabatur olim, Sanguinem Mantuæ excidiſſe ex Imagine Berythienſi, ſed id poſtremis citius temporibus iſtis vulgari cœpit.

„ Non erit extra rem, ſubdit Autor noſter, illud animadvertere „ quod habet Matthæus Pariſienſis de opinione, quæ inſedit apud An„ glos, ſe videlicet ſæculo XIII. Sanguinem Jeſu Chriſti accepiſſe. Ip„ ſorum nanque Rex Henricus III., æmulans Coronam Spineam, quam „ paullo ante adeptus fuerat S. Ludovicus Galliarum Rex, & Levir ſuus, „ neque illo minor eſſe paſſus hoc quoque Divitiarum genere, in vul„ gus ſpargere curavit, ſe non Inſtrumenta modo Paſſionis Dominicæ „ poſſidere, ſed ex ipſo Jeſu Chriſti Sanguine, in vaſe, quem ipſi dono „ dederant Templarii, obtrudentes Regi, ſe illum ab Hieroſolymitano „ Patriarcha recepiſſe. „

Ut Facta hæc omnia confirmet, Bailletus in margine notavit. 1. Matthæum Pariſienſem pag. 735. 2. Additamenta huic Auctori facta. 3. Quareſmium loco a nobis producto pag. 870. At nos exordiamur ultimum teſtimonium retractare. Ita loquitur: *Matthæus quoque Pariſienſis ſcribit, miſſum fuiſſe ab Hieroſolymitano Patriarcha vaſculum, cum vero Jeſu Chriſti Sanguine ad Henricum III. Angliæ Regem, ſuſceptumque cum incredibili celebritate, prædicantibus Epiſcopis, & rationem reddentibus veritatis illius Sanguinis*. Reperis ne in verbis hiſce veſtigium quidem eorum, quæ Bailletus modo dixit? Nonne potius contrarium emergit? Hæc verba: *Miſſum fuiſſe ab Hieroſolymitano Patriarcha Vaſculum*, conciliare ne poſſumus cum iſtis Autoris noſtri: *Henricus III. in vulgus ſpargere curavit..... ſed ex ipſo Jeſu Chriſti Sanguine, in Vaſe, quod ipſi „ dono dederant Templarii, obtrudentes Regi, ſe illum ab Hieroſolymitano „ Patriarcha recepiſſe*. „

Ut autem melius dijudicemus cogitatum Matthæi Pariſienſis, totus ejus locus revocandus hic eſt: *Magiſter Templi, atque Hoſpitalis, cum teſtimonio quamplurium Sigillorum, videlicet Patriarchæ Hieroſolymitani, Ar-*

Archiepiſcoporum quoque, & Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, & Magnatum de Terra Sancta, miſerant quandam portionem Sanguinis Dominici, quem pro Salute mundi fudit in Cruce, in quodam Vaſe Chriſtallino vetuſtiſſimo, per quendam Fratrem Templarium benevolum. Quis autem ex his colligat, ut facit Bailletus, Templarios obtrudiſſe Henrico III., ſe illum Sanguinem ab Hierosolymitano Patriarcha recepiſſe?

Ubinam quoque legit Criticus noſter in Matthæo Pariſienſi, „ *Henricum III., æmulantem Coronam Spineam, quam paullo ante adeptus fuerat S. Ludovicus Galliarum Rex, neque illo minorem eſſe paſſum hoc quoque divitiarum genere, in vulgus ſpargere curaſſe &c.* Nihil in toto Hiſtorici hujus contextu offendes, quod ad Bailleti verba accedere poſſit præter ea, quæ ſequuntur: *Dominus autem Rex, utpote Princeps Chriſtianiſſimus, ab Auguſto Heraclio victorioſiſſimo Imperatore, Crucem Sanctam exaltante, & a Rege Francorum tum ſuperſtite, Crucem eandem, ut præſcribitur, Pariſiis honorante, ſumens exemplum; devoto ſpiritu & contrito in vigilia S. Edmundi in pane, & aqua jejunans, & nocte vigilans, cum ingenti lumine & devotis Orationibus, ſe ad craſtinam ſolemnitatem prudenter præparavit.* At vero ſignificat ne id, quod Bailletus recitavit?

Sed neque Autor noſter felicior eſt in iis, quæ citat ex Additamentis ad Matthæum Pariſienſem. Eo nanque loci poſita eſt prolixa Oratio, habita ab Epiſcopo Incolnenſi, ut probaret, Sanguinem, de quo erat quæſtio, fuiſſe verum Sanguinem Jeſu Chriſti. Monet, Sanguinem hunc multis modis collectum fuiſſe: eos de nomine appellat, qui eum collegerant; atque exequitur, quonam pacto Sanguis hic in Patriarchæ Hierosolymitani manus inciderit. At in his omnibus ne verbum quidem eorum, quæ confidentia tanta Bailletus in medium affert.

Nihil ſine probatione affirmemus. Ecce ipſa Autoris verba. *Patriarcha Hieroſolymitanus de conſilio ſuorum Suffraganeorum, Magiſtrorumque Militiæ Templi, & Hoſpitaliorum, & aliorum Nobilium Tranſmarinorum, qui in Teſtimonium veritatis, vel ſigilla ſua appoſuerunt, vel aſſertionem mandati tranſmiſerunt, ſæpe dictum theſaurum Sanguinis memorati piiſſimo Regi Angliæ Henrico III. . . . . . . prudenter duxit tranſmittendum.*

Demum Bailletus Articulo finem imponit, dicens, „ Sed Sanctus Ludo-
„ vicus ipſi (Henrico III. non invidit Reliquiam ſuam, quæ in tantam
„ apud omnes ſuſpicionem venit, ut diu non potuerit in dignitate perſi-
„ ſtere. „ Fateor equidem, cum primum publicæ venerationi propoſitus fuit Sanguis hic, nonnullos dictitaſſe, non apparere qua ratione in terris Sanguinem ſuum Chriſtus reliquerit; cum totus, atque integer tertia die e mortuis ſurrexerit. Sed habita ab Epiſcopo Incolnienſi hac de

re

re longa Oratione, *hæc relatio his ſatisfecit*, ut ſcribit Autor Additamentorum ad Matthæum Pariſienſem; neque crediderim produci poſſe Scriptorem aliquem, qui dixerit, Reliquiam hanc *in tantam apud omnes ſuſpicionem veniſſe, ut dici non potuerit in dignitate perſiſtere*: Quandoquidem poſt Epiſcopi hujus ſermonem nullus dubitavit, Sanguinem Jeſu Chriſti Henrici III. ætate in Angliam delatum fuiſſe. Ceterum patet, hic non agi, utrum Sanguis hic e plagis Jeſu Chriſti effluxerit, nec ne; neque utrum Epiſcopi Incolnenſis Oratio veritatem attingeret; ſed egiſſe nos de Bailleti exigua accuratione in iis quæ narrat, quibus eos ſpondere affirmat, qui adverſam omnino partem tuentur.

ARTICULUS II.

De Lacrymis Jeſu Chriſti.

ACcepimus ab Evangelio, non ſemel Jeſum Chriſtum lacrymas profudiſſe. Ploravit nanque ſuper Urbe Hieroſolyma, atque in morte Lazari. Cum autem lacrymæ nihil aliud ſint, niſi genus quoddam ſudoris, vel ſalivæ, & redundantiæ humorum, e cerebro deſcendentium, ut animadvertit Philoſophus; Lacrymis quoque Chriſti Domini, utpote eadem natura, atque aliorum hominum lacrymæ, conſtantibus, jus non tribuitur & dignitas unionis hypoſtaticæ, quam Theologi partibus duntaxat conferunt, Sanctam Jeſu Chriſti humanitatem componentibus Nihilominus extra omnem dubitationis aleam eſt, lacrymas Filii Dei venerationem ſibi comparare; & propterea quibuſdam in locis Sacris iſtis lacrymis, a Chriſto ob caritatem, ut pie creditur, vel commiſerationem effuſis, ſingularis honor exhibitus fuit.

Ariſt. Problem. Sect 5 q. 35. Plin. l 7. c. 13.

Colunt lacrymas iſtas complures Galliarum Eccleſiæ, quemadmodum in loco Picardiæ dicto *Selincourt*, apud Abbates S. Petri, a Sanctis Lacrymis nuncupatos ex Ordine Præmonſtratenſi Diœceſis Ambianenſis: Aureliani apud S. Petrum, dictum *le Pueillier*; Tegulatæ in Provincia; Thierrii in Alvernia. In loco dicto *Chemille*; Andegavenſis regionis apud Eccleſiam D. Leonardi. In alio dicto *Foncarmont* in Abbatia Ordinis Ciſtercienſis: ſed cunctarum lacrymarum celeberrimæ illæ ſunt, quæ venerantur Vindocini in Abbatia Trinitatis, quæ eſt Monachorum S. Benedicti.

Hæ Vindocinenſes lacrymæ multas inter Litteratos Viros concertationes pepererunt. Thierrius nihil prætermiſit in Diſſertatione ſua de Lacryma

Vin-

Vindocinenſi, ut de illius fama detraheret, atque in falſis & ſuppoſititiis Reliquiis numeraret. Mabillonius eruditiſſimus anno 1700. Epiſtolam dedit ad Epiſcopum Bleſenſem, in qua Thierii Diſſertationi reſpondet.

Hic Coloniæ edendum curavit aliud Scriptum eodem anno, in quo Mabillonianam Epiſtolam nititur refutare. Sed cum Opera hæc in omnium manibus verſentur, nihil attinet ſuper illis diutius immorari. Mihi etenim propoſitum duntaxat eſt, diligenter expendere originem ſanctarum Lacrymarum Jeſu Chriſti, quæ Fidelium cultui objiciuntur: atque utrum Lacrymæ iſtiuſmodi manaverint ab oculis Salvatoris inter nos agentis, vel aliunde provenerint: an ſecundum naturam ſint, vel ſupra naturam.

§. I.

Simillimum vero eſt, Lacrymas, quæ venerantur titulo Lacrymarum Jeſu Chriſti, non ab ipſius, ſed cujuſdam Crucifixi oculis effluxiſſe.

COmpertum habemus in Hiſtoriis, Ethnicos lacrymas ſuas in Vaſis collegiſſe, eaſque ſtudioſiſſime ſervaſſe cujus conſuetudinis Ovidius, Virgilius, Statius, aliique Veterum meminere. Ut autem ceremonia hæc altius myſterium redoleret: *prius urna cum odoribus & lacrymis, quæ vitreo vaſculo plurimum injectæ eſſent, oſſa cum cineribus claudebantur.* Vaſa, quæ huic uſui parata erant, *Urnæ lacrymales* vocabantur, quas hoc modo Gutkerius deſcribit: *Habeo lacrymarum phialam, cujus figura oblongior patulo ore, & incurvo ad lacrymas excipiendas.*

Apud Chifflet. de Lacrymis priſcorum uſu.

Jacobus GutKerius de jure Manium l. 1. c. 28.

Aringhus quoque ait, reperta fuiſſe in Cemeterio Calixti multa Vaſorum iſtorum genera, quæ veteres *vaſa lacrymatoria* appellabant; atque enumerat octo varias urnarum iſtarum figuras, quorum aliæ fictiles ſunt, aliæ vitreæ.

Aringhus Roma Subter. T. 1. l. 3. c. 22. pag. 502.

Tametſi autem Urnæ iſtæ lacrymales in more non eſſent apud Chriſtianos, id non prohibuit tamen, quominus Fideles aliquando lacrymas collegerint; quoties exiſtimarunt, aliqua eas eſſe veneratione colendas. Legimus in vita D. Cypriani, Chriſtianos, *Linteamina, unde oculos ſibi tergeret, obtuliſſe oranti*. Annales pariter Aurelianenſes habent, habitatores hujus Urbis diligentiſſime Lacrymas collegiſſe, quæ multorum dierum ſpatio e Crucifixi cujuſdam oculis deciderant.

Pont. Diac. in Vita S. Cypr.

Rodulphus Glaberius his vocibus hoc factum retulit. Anno 998. * Au-

* Baronius ad annum 888., & Duchenius *Hiſt. Franc. Script.* T. IV., qui Glaberii textum referunt, miraculum Crucifixi contigiſſe narrant anno 888. Sed textus vitioſus eſt 1. Baronius dicit, Glaberium prodigii tempore in

Aug. l. 3. de Civ. Dei c. 21. reliani contigit prodigium in Eccleſia, Principi Apoſtolorum dicata, & S. Petri *le Pueillier* dicta, quod ibi antiquitus Virginum eſſet Monaſterium. In hac Eccleſia cuſtodiebant Imaginem Chriſti Domini e Cruce pendentis: *A cujus ſcilicet imaginis oculis per aliquot dierum ſpacium continue multis cernentibus rivus emanavit lacrymarum.*

Glaber. ibidem. Convenit eo loci populus innumerus, *animadvertentes*, inquit Glaberius, *quoddam eſſe Divinitatis præſagium, videlicet Urbis illius superventuræ calamitatis . . . . . ſequenti vero anno Urbis illius humana habitatio cum domibus Eccleſiarum terribiliter cremata eſt.*

Sum neſcius, an homines minime creduli, nec nimium pii prodigium hoc in narrationibus de induſtria confictis collocabunt. Sed ſi ſerio admittunt, quod ex Virgilii teſtimonio in Morte Julii Cæſaris evenit: *Mœſtum illacrymat templi ebur, æraque ſudant*; Si credunt Auguſtino narranti: *Apollinem Cumanum, cum adverſus Achæos, Regemque Ariſtonicum a Romanis bellaretur, quatriduo fleviſſe denunciatum eſſe.*

Si demum non dubitant aſſentiri hujuſmodi prodigiis, a Paganis relatis: quare in admirandis non habebunt Lacrymas, quæ ex Crucifixi oculis defluxerunt? Si Lacrymæ, quas ſuper Urbe Hieroſolyma effudit Chriſtus Dominus, ejus everſionis vaticinium erant: *Sic*, inquit Glaberius, *& hanc videlicet Aureliam, paullo poſt imminentem cladem paſſuram, per expreſſam ſuæ imaginis figuram fleviſſe comprobatur.*

Poſtquam ſatis, ita legimus in quadam veteri Eccleſiæ hujus membrana, *compertum eſt lacrymas illas vere ab oculis imaginis manare*, delatæ ſunt pelves, ut in unum cogerentur, atque ipſe Eccleſiæ Decanus, Rainaldus nomine, accepit *Corporale*, quod ad Sacrificium Miſſæ adhibuerat, ut pretioſas Lacrymas iſtas coacervaret. Pelvis autem, & *Corporale* in tantæ rei monumentum, aſſervata in Sacrario fuerunt ad annum uſque 1562., quo Eccleſiam hanc diruerunt, & depopulati ſunt Calvini ſectatores. Ut etiam extaret memoria Geſtorum a Rainaldo ſculpſerunt figuras opere prominenti, quæ factum iſtud referebant; atque in hanc diem extat Canonicus flexis genibus ante imaginem Crucifixi, Linteum præ manibus tenens, perinde ac ex oculis Crucifixi Lacrymas exciperet.

Hæc omnia facta tot habent teſtimonia, ut difficile admodum ſit de illis dubitare. Præter Glaberium, narratorem oſtenti de Crucifixo, la-

vivis fuiſſe; ſed nondum natus fuerat: cum floruerit anno 1045. 2. Glaberius eventum hoc collocat tempore Roberti Regis, cognomento Sancti, vel Pii; ſed hic coronatus eſt Galliarum Rex anno duntaxat 987., & Patri ſucceſſit anno 997. Denique certum eſt, Arnulphum tum fuiſſe Aurelianorum Epiſcopum, & Eccleſias dirutas reficiendas curaſſe, ut autor eſt idem Glaberius. Atqui Epiſcopus hic Sedem occupavit ad hujus uſque ſæculi finem. *Le Maire Hiſt. de Epiſcop. Aurel* c. 53. Gall.

bo-

crymas fuſe exprimente, qui tum ſuperſtes erat: Eventum idem, iiſdemque comitantibus adjunctis, firmatur Traditione conſtanti, atque omni hominum memoria antiquiore hujus Eccleſiæ, & Civitatis Aurelianenſis; nec non Scriptorum ejuſdem regionis teſtimonio. Claudius Sauſſajus illius meminit in Annalibus Eccleſiaſticis Urbis; item Guyonius in Hiſtoria ejuſdem Civitatis; Le Maire in Hiſtoria Antiquitatum Aureliani; tandem Baronius factum iſtud minime præterivit. Denique id omne clare enunciatur in veteri Codice Eccleſiæ S. Petri vocati *le Pueillier*, in qua ſervatur etiam Officium, quod in Miraculi hujus memoriam hæc Eccleſia recitabat. Tres Matutini Lectiones multis verbis rem perſequuntur; quod argumentum cum magni ponderis ſit ad eventum hoc extraordinarium ſtatuendum, æqui ſane, & boni conſulet Lector, nos illas §. inſequente, ex archetypo ſumma fide deſcriptas, huc retuliſſe.

Sauſſay Ann. Eccleſ. Aurel. l. 7. n. 26. 27. Guyon. Hiſt. Aur. ſæc. 10. n. 49. & 50. pag. 272. Le Maire Antiq. Aurel. T. 2. c. 22. pag. 87. Baron. ad ann. 888.

Quibus poſitis animadverſionibus, aliorum ſit colligere, an recte conjiceret, qui affirmaret, Lacrymas omnes, quas multis in locis veneramur, titulo Lacrymarum Jeſu Chriſti, ab hoc fonte manaſſe. Si nanque Lacrymas iſtas non effuderunt oculi Jeſu Chriſti; at certe oculi alicujus Crucifixi; ſique illas minime natura, at certe vis divina elicuit. Fateor quidem nullum eſſe cum veterum, tum recentiorum ſcriptorum teſtimonium, quod factum iſtud confirmet. Nihilominus his duobus ſolide conſtitutis, 1. Crucifixum quendam Aureliani decimo ſæculo exeunte Lacrymas emiſiſſe. 2. Cives Urbis Lacrymas illas collegiſſe; videmur præſumere poſſe non ſine ratione, Lacrymas, quæ tot in locis coluntur, ab Aurelianenſi Crucifixo originem ducere. Hæc ſententia ſane a veritate non abhorrere arbitrabitur, quicumque attendat animo animadverſiones, quas ſubjiciemus §. III. quæque ad lacrymas omnes in univerſum, ſed ſingillatim ad Vindonicenſem pertinebunt. Et quamvis hæc, quæ Thierii Criticen paſſa eſt, & Mabillonii defenſionem meruit, Lacrymarum omnium celeberrima, & magis admiranda ſit; nos tamen oſtendemus, probabile eſſe, hanc quoque ab eodem fonte deſcendiſſe.

§. II.

Sequitur Deſcriptio Officii Sanctiſſimi Salvatoris, in Eccleſia S. Petri dicti le Pueillier *celebrati.*

LECTIO PRIMA.

Tempore Roberti Francorum Regis, cum Aurelianorum Civitas plurima Potentium nobilitate floreret, & ultra ceteras totius Galliæ Civitates

vitates omnium rerum abundantia illuceret, (ſicut humana ſe habent,) ſuperbia orta eſt ex opulentia, & ex ſuperbia multa facinora graſſabantur in ea ...... verumtamen, ſanctorum ſuorum meritis, & intercesſionibus flexus ad Miſericordiam Dominus Rex cælorum, noluit peccatores ferire, ſed corrigere prius voluit, & manſuete corripere, ut haberet, quos poſtmodum in judicio ſalvaret. Ut autem manifeſtaretur peccantibus juſti judicis animadverſionis in illum indignatio, & ut prævaricatores pœnitentiam agerent, redeuntes ad eum, priuſquam extenderet manum ſuam ad tangenda ea, quæ poſſidebant, quæ nimirum nequitiarum cauſſæ, & incitamenta fuerunt: diverſa ſigna, & prodigia quibus peccantium corda concuteret, oſtendit: ex quibus unum tantum explicare diſpoſuit intra Civitatem in Eccleſia in honore Beatæ Dei Genitricis, & Beati Petri Apoſtolorum Principis conſecrata, cognomento Puellarum, ob converſionem, ſcilicet Monacharum inibi Deo militantium. In qua Eccleſia eſt quædam Imago Dominica, quæ peccatoribus Dominicam in ſigno Crucis pro delictis populi affixionem repræſentat: reverenda admodum, atque reverenda ſupra ſpem, & ultra communem memoriam hominum antiquitate, & de terra formata, ſed cæleſti virtute prædita, non multi pretii pro qualitate, ſed eximiæ dignitatis munere cæleſtis gratiæ. In hoc ex quibuſdam latentibus cauſis, quæ ſoli Deo cognitæ ſunt, tanta efficacia eſt virtutis, ut ægroti diverſis in valetudinibus laborantes, quicumque de ablutione pedum biberint, diſcedant ſani. Tu autem &c.

LECTIO SECUNDA.

Quadam tempeſtate exorta, dum concitato aere cum ingenti fragore mugirent tonitrua, coruſcaret per ſiccum fulgur: cum neque grando, neque pluvia caderet, & cælum terrorem vehementiſſimum intermlnaret, multo, frequentique populo, in ipſa Eccleſia hora nona repente congregato, cunctis, qui aderant, intuentibus, cæpit Imago illa Crucifixi lacrymari; cæperunt ab oculis illius lacrymæ fluentes decurrere, & ſuper Altare, quod ſub pedibus ipſius eſt, diſtillare: fuit autem ad iſtud miraculum maximus totius populi concurſus, aliis diligenter e proximo intuentibus, aliis e directo circumquaque rimantibus, ſi forte aqua illa aliunde diſtillaret, aut ſi vere ab oculis Crucifixi emanaret. Poſtquam autem omnia ſatis explorata ſunt, & quod lacrymæ illæ vere ab oculis Imaginis emanarent, pro comperto habuerunt; communi conſilio, pelves æneas ſubterponi fecerunt, ut illinc lacrymas defluentes colligerent, & ad poſteritatis memoriam ſempiternam in ſacrario reſervarent. Sed mirandis plus miranda ſuccedunt. Statim nanque ut pelves ſuppoſitæ ſunt, & lacrymæ interfluxerunt, & lacrymarum vis pel-

ves

ves æneas terebravit, & foramen patulum in profundo utique patuit. Stupebant nimirum univerſi, & lamentabantur; videbant, & terrebantur; Tu autem &c.

LECTIO TERTIA.

Tunc Sacerdos quidam, Decanus ipſius Eccleſiæ, bonæ memoriæ Rainaldus; ſapienti conſilio uſus, Corporalem de Syndone, ſuper quem ipſa die Dominica Corpus, & ſanguinem ipſe conſecraverat, attulit, & ſuper Altare explicuit. Quidquid lacrymarum defluxit, prius ea collegit, nec ulla illarum Syndonem pertranſiit; quæ utraque videlicet, & pelves, & Corporale ad memoriam poſteritatis pro magnitudine Miraculi reſervantur in Sacrario ejuſdem Eccleſiæ in teſtimonium. In ipſa denique die in ultione ſcelerum, Aurelianis novem fulgura ceciderunt: Vineæ, & ſementes, cum tamen hyems eſſet, grandine incomparabili attritæ ſunt; ſimul quoque ædificia corruerunt. Eodem poſtmodum anno in tota Aurelianorum Provincia maxima frugum, & ceterorum fuit ſeminum penuria, & neceſſitas; adeo ut ſanæ mentis homines recognoſcerent, & pœniterent, & ad alterutrum dicerent: Vere niſi converſi fuerimus, gladium ſuum vibrabit Dominus; arcum ſuum tetendit, & paravit illum; & in eo paravit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit. Indixerunt ergo jeiunium, & planxerunt omnes ſuper ſe, & fleverunt, & placatus eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat; & miſertus eſt populo ſuo Salvator Mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Tu autem &c. Deo Gratias.

ORATIO PROPRIA.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Filii tui imaginem, ob ſcelera noſtra lugentem, hoc in Templo pendere voluiſti: concede nobis quæſumus, ita in hoc mundo peccata noſtra deflere; ut remiſſionem illorum accipere, & regnum cœleſte conſequi mereamur: Per eundem Dominum &c.

℣. Ille Crucifixus lacrymas diffudit ocellis:
Quas nequeunt pelves, lintea ſacra ferunt.

§. III.

§. III.

Commoda, quæ ſequuntur opinionem de Lacrymis omnibus, ab Aurielianenſi Crucifixo manantibus.

ANte omnia meminiſſe neceſſe eſt, apud Gallos duntaxat reperiri Lacrymas ſanctas, quæ Fidelium venerationi propoſitæ ſunt. Expende nanque, ut magis lubet, Faſtos Eccleſiæ; univerſam Eccleſiæ Hiſtoriam, immo cujuslibet Provinciæ peculiaris excurre: nullum tamen reperies veſtigium cultus redditi ſacris Lacrymis Jeſu Chriſti, præterquam in hoc Regno. Atqui ſi omnes Lacrymæ iſtæ ab oculis Jeſu Chriſti re vera profluxerunt, qui fieri potuit, ut cunctæ Orientis Eccleſiæ, nec non Occidentis, ut Italiæ, Hiſpaniæ, & Germaniæ dulci ſolatio privatæ ſint poſſidendi pretioſas Lacrymas iſtas; ſi modo per Deum licuiſſet, eas apud nos in terris extare?

Quonam argumento probabis, Angelos, Apoſtolos, vel alios, quos jactant, ſanctarum Lacrymarum collectores; atque illos, qui ſequeſtri, fuerunt ipſarum; eas omnes in Galliam detuliſſe? Si nullibi reperiuntur, quæ ſaltem in hominum notitiam venerint, qui hac de re ſermonem habuerunt: nonne ex hoc æquiſſima oritur conjectura, ut tueamur, ſanctas Lacrymas omnes e Galliis originem ducere, & manaſſe e Crucifixo, qui in Civitate Aurelianenſi ſub X. ſeculi exitum ploravit. Idque eo magis, quo ante iſtud tempus nullam reperies Eccleſiam, in qua populi venerati ſint Reliquias titulo Lacrymarum Jeſu Chriſti: neque ullum Scriptorem, qui de illis mentionem fecerit. Immo ipſa Vindonicenſis, quæ ceteris omnibus vetuſtior cenſetur, Epocham tamen iſtam longe ſubſequitur.

Quibus animadverſis, prima utilitas opinionis meæ eſt, poſſe nos commode originem inveſtigare Lacrymarum omnium ſanctarum, quæ in Galliis coluntur, abſque eo quod in ſcopulos incurramus, quibus obnoxii ſunt, qui repetunt Reliquiarum iſtarum initium a tempore Reſurrectionis Lazari, vel cum Chriſtus Dominus ſuper Urbe Hieruſalem lacrymatus fuit. In qua ſententia apparet ſtatim X. ſæculorum inane, & generale ſcriptorum omnium ſilentium. Quem citabis, a quo didiceris, Lacrymas iſtas fluxiſſe ab oculis Jeſu Chriſti, eaſque Angelos, Mariam Virginem, Apoſtolos, Magdalenam ſervaſſe? Tandem quonam pacto, & quo tempore in Gallias tranſlatæ ſint? Fatendum certe bona fide eſt, nihil horum quenquam aſſerere poſſe, quod fabulam non redoleat.

At vero evaneſcunt hæc omnia objecta, cum primum nobis perſuaſum

erit,

erit, ſub finem ſæculi X. Crucifixum quendam, expoſitum in Eccleſia hujus Regni, magnam Lacrymarum vim fudiſſe, quæ ſtudioſe collectæ fuerunt, & multis Galliarum Eccleſiis diſtributæ. Quod factum magis ne videbitur a veritate diſtare, quam diſtet diſtributio Sanguinis, qui ab imagine Salvatoris in Berithienſi Civitate manavit, atque, ut ait Martyrologium Romanum, quampluribus totius Orbis Eccleſiis diviſus eſt? Ex quo pro ſanctis Lacrymis iſtis duo alia non levia commoda elicio.

Primum attinet ad cultum Reliquiarum iſtarum. Si nanque totius Eccleſiæ ſuffragio mirus hic Sanguis populorum venerationi propoſitus fuit: quare Lacrymæ ſanctæ, quæ a Crucifixi oculis prodierunt virtute divina minori obſequio, & cultu dignæ erunt? quandoquidem Deus cum pretioſo Sanguine iſto, tum ſanctis Lacrymis æque uſus eſt, ut per ipſas prodigia certiſſima patraret. Secunda utilitas ſpectat ad cultum, quem hujuſmodi Lacrymis Fideles reddiderunt ſemper, & reddunt: eo magis, quo non eſt minus laude dignum, venerationem exhibitam prodigioſo Sanguini Jeſu Chriſti, atque adeo bonam fidem, & pietatem populorum, æque in tuto eſſe, quando objectæ ſunt ipſi Lacrymæ ſanctæ, ac tuta eſt, cum eam ad mirum Jeſu Chriſti Sanguinem referunt.

Nihil ne exiſtimandum erit, Lacrymas ſanctas, in Eccleſiis multis ſingulari honore affectas, ſecundum opinionem meam effugere Hæreticorum, & præſertim Calvini cenſuram, qui ex hac Lacrymarum, tot locis exhibitarum, multitudine magnum ſe nactum eſſe emolumentum putavit? Ejus nanque Critice in nihilum recidet, ubi conceſſerimus illi, Lacrymas iſtas ab Jeſu Chriſti oculis in hac vita mortali non effluxiſſe, neque ab Angelis collectas fuiſſe; ceteraſque narratiunculas hac de re confictas ultro rejiciemus. Quibus poſitis, poterit ne conqueri, ſanctas Lacrymas iſtas Fidelium veneratione dignas non eſſe; cum ſufficiat ad cultum noſtrum promerendum, eas excitare memoriam illarum, quas pro ſalute noſtra Jeſus Chriſtus effudit; earundem imaginem vivam referre; miro modo e Crucifixi Simulacro manaſſe; Deumque illas adhibuiſſe, ut in conſpectu mundi totius mira facta perpetraret?

Calvinus Tract. de Reliq. Gall.

Hæc ſententia prodeſt etiam maxime, & ſingillatim Lacrymis Vindocinenſibus. Ut nanque in dignitate perſeverent, neceſſe non erit, ad Hiſtoriam confugere, nobis traditam, & eventis parum credibilibus refertam, quæ non modo Thierii, & plerorumque Sapientum Criticæ locum dederunt, ſed eandem hominibus ipſis, ad quodcumque Reliquiarum genus ſuſcipiendum accommodatis, ſuſpicioſam reddiderunt. Dicta nanque illorum falſa erunt, atque iſtorum dubitationes per ſe ceſſabunt; ſtatim ac declarabimus, Lacrymam hanc ex iis non eſſe, quas ſuper Lazari morte Salvator effudit.

Ubi

Ubi etenim abjecta erunt facta omnia, quæ ad propugnandam ſanctæ hujus Reliquiæ veritatem congeſta ſunt in Hiſtoria, edita in Urbe Vindonicenſi anno 1681. & res univerſa poſita erit in Crucifixo Aurelianenſi; tum opus erit, ut Adverſarii oppugnationem mutent, & vim omnem convertant in opinionem a me conſtitutam. Qua autem ratione eam expugnare? Donec ſtabit narratio Crucifixi Aurelianenſis, atque evidentia miraculorum, a Vindonicenſi Lacryma patratorum, nemo erit, cui non ſit maxime probabile, Lacrymam Vindonicenſem ab Aurelianenſi prodigio primitus deſcendere.

Alia quoque utilitas, quæ a noſtra ſententia deduci poteſt, pertinet ad Epiſtolam, & monumenta, quæ Mabillonius in vulgus edidit pro Lacryma Vindonicenſi; atque ad reſponſionem Thierii, qua hæc Scripta refutavit, urgetque præcipue in eo, quod explicationes Benedictini hujus, adhibitæ figuris, atque indiciis a ſe propoſitis, Hiſtoriam Vindonicenſem ab imo ſubvertunt. Reſponſio etenim Thierii per ſe ruit, & Mabillonio, ſi modo Miraculum Aurelianenſe amplectatur, neceſſe non erit tueri id, quod videtur nullo modo propugnare poſſe: nimirum Angelum collegiſſe ſanctam Lacrymam illam; eandem extitiſſe ad decimum uſque ſæculum, quo tempore in poteſtatem venit Nitkeri Epiſcopi Friſingenſis, & tandem Comitis Gotifredi.

Item opinio noſtra ſingulare commodum affert Patribus Benedictinis, cum optime defendat ingenuam illorum fidem de cultu Lacrymæ Vindonicenſis, quam injuſte adeo, atque impudenter Thierius adoritur. Ubi conveniat, Lacrimam Vindonicenſem miro modo effluxiſſe ab oculis Crucifixi ſæculo X., quid proficiet immoderatus Criticus iſte iis omnibus, quæ jactat in rem hanc ex ſilentio Scripturarum, Conciliorum, atque Scriptorum Eccleſiaſticorum primævæ ætatis? Quid colliget ex Anacroniſmis, quos ſibi viſus eſt reperiſſe in narrationibus de Byzanthino Imperatore, qui Lacrymam iſtam dono dedit Gotifredo Martelo ob referendam gratiam rebus pro ſe geſtis, dum e Sicilia expulit Saracenos? Quodque magis intereſt, quam excuſationem prætexet vehemens hic Theologus tot vocibus injurioſis, ne quid gravius dicam, quibus Scripta ſua replevit in ſanctam Lacrymam Vindonicenſem, quam appellat *falſam ſuppoſititiam, ſuperſtitioſam, & miſerandam Reliquiam.*

Thierius Tract. de Superſt. Tomo 3. l. 2. c. 1. pag. 110. Gall.

In his porro Libris tot ſe produnt voces contumelioſæ adverſus Familiam Religioſam, quæ merito inter colendiſſimas, florentiſſimas, ſanctiſſimas, & ſapientiſſimas totius Eccleſiæ collocanda eſt; atque adverſus Mabillonium, qui ætate hac non modo e preclarioribus ejus familiæ ingeniis fuit, ſed ornamentum quoque ſæculi noſtri, & Reipublicæ Litterariæ; quique recondita eruditione, & ſingulari moderatione a germanis Sapientibus

tibus reverentiam ſibi promeruit. Hujuſmodi, inquam, Libri proſcribendi eſſent, citius quam Lacryma Vindocinenſis, quæ Fidelium venerationem meretur.

Non eſt itaque cur vereamur, ne cenſura Thierii in Lacrymam Vindocinenſem, ejuſque apud Superiores Eccleſiaſticos impulſiones quidpiam detrahant de cultu ſanctæ hujus Reliquiæ. Ante oculos quidem afferat Epiſcopi Bleſenſis exemplum S. Martini, S. Auguſtini, Anglorum Apoſtoli, S. Caroli Borromæi, aliorumque Sanctorum Antiſtitum, ut id ad Lacrymam Vindocinenſem ſupprimendam traducat, quemadmodum præclariſſimi iſti, Sanctique Epiſcopi Reliquias multas ſuſtulerunt, ubi eas, ad Conciliorum, & Patrum leges redactas, compertum habuerunt ſuppoſititias eſſe: omnes tamen Critici hujus conatus nullius virtutis erunt; neque dubitamus fore, ut ampliſſimus ille, ad quem appellat, Antiſtes, vel Eccleſia ipſa Fidelium pietatem damnet erga Lacrymam Sanctam Vindonicenſem; donec omnibus conſtare faciat, eam Religioni conſentaneam non eſſe, neque reſpondere Sacris Canonibus, exhibere cultum Lacrymæ, quæ miro modo e Crucifixi oculis manavit, quæque Omnipotenti inſtrumentum fuit ad innumera prodigia perpetranda.

§. IV.

Quæ adverſus opinionem hanc objici poſſint.

MAbillonius addidit Epiſtolæ, Epiſcopo Bleſenſi conſcriptæ, Monumenta quædam, quæ ſanctæ Lacrymæ Vindocinenſis Hiſtoriam illuſtrare poſſent. Conſtant hæc duplici genere argumentorum, quorum alia ab erudito iſto Benedictino *extantia* vocantur, alia *Litteraria*. Argumenta *extantia* ſita ſunt in ſignis, Opere ectypo in marmore inciſis circa fornicem, qui circuit Armarium, in quo Lacryma ſancta aſſervatur: atque in indiciis, expreſſis in altera ex arculis, in quibus hactenus Lacryma ſancta poſita fuit. Argumenta *Litteraria* deprompta ſunt e duabus membranis, & quibuſdam aliis monumentis.

Quo animadverſo, objectio prima, quæ fieri poteſt adverſus novam Sententiam, ducitur ab Imagine item prima, quæ conſpicitur in fornice; „ in qua, ut ait Mabillonius, efficta eſt opere ectypo ſuſcitatio „ Lazari e mortuis, & mulier quædam nobilis, quæ ab Angelo accipit ampullam, in qua clauſum eſt quoddam Lacrymæ genus. In dextera Sepulchri parte eſt Chriſtus cum Apoſtolis ſuis, & Patriarcha „ cum Thiara capiti impoſita. E quibus docemur, Lacrymam Sanctam, „ tra-

Mabillonius Commentar. p. 49. & 58. Gall.

„ traditam ab Angelo Mariæ Sorori Lazari, inſequentibus temporibus „ dono datam fuiſſe Patriarchæ, ut ſpecies eſt, Hieroſolymitano.

Porro ex hac Mabillonii narratione colligere licet, ſimile vero eſſe ſecundum temporum illorum traditionem, Lacrymam ſanctam e numero illarum eſſe, quæ fluxerant ex oculis Salvatoris, atque illam ab Angelo collectam, & Magdalenæ traditam fuiſſe; quandoquidem qui Eccleſiæ hujus fundamenta jecerunt, ſigna hæc exprimenda curarunt, in quibus hæc omnia efficta ſunt ob perenne rei monumentum.

Ego vero multus non ero in expendendo, utrum interpretatio Mabillonii recte ne an ſecus ſignorum iſtorum myſterium evolvat, cum ipſe per ſe ſe fateatur, eam non ſatis hiſtoriam hanc enodare. Porro ut argumento reſpondeam, ajo primo loco, mirari nos, Criticum peritiſſimum hauſiſſe Hiſtoriam hujuſmodi, quæ fundamentum duntaxat habet in Traditione decem elapſis ſæculis incœpta. Atqui eam cenſere debemus ſuppoſititiam ex ipſis Mabillonii documentis. „ Quando, inquit, neque Autores ejuſdem temporis, neque ii, qui hos proxime ſecuti ſunt „ poſt unum, vel duo ad ſummum ſæcula, haud meminerunt de aliquo „ Facto, quod recentior Scriptor ſine ulla autoritate profert, audiendus „ non eſt. Alias erroribus innumeris aditus pateret „. Porro quiſnam Scriptor, non dicam contemporaneus, ſed ne quidem decimo ſeculo, immo fortaſſe decimo ſeptimo antiquior, litteris commendavit, Angelum collegiſſe Lacrymam Jeſu Chriſti, Lazari Mortem plorantis; eam Magdalenæ dediſſe, & cetera omnia, quæ ſupra enarravimus?

Ibidem pag. 47.

Mabil. de Stud. Monaſt. p. 1. c. 8. pag. 133. Gall.

Ut autem reſponſionem alteram in ſuo lumine ſtatuamus, meminiſſe neceſſe eſt, Autorem noſtrum animadvertere, Abbatiæ Vindocinenſis fundamenta jacta fuiſſe anno circiter 1033., atque Eccleſiam dedicatam fuiſſe anno 1040. poſtrema Maij die. Quo poſito, Eccleſia ſane abſoluta erat eodem anno 1040., & ſigna quoque in fornice perfecta, cum ex Mabillonio ſigna illa non ſint ipſa Abbatia recentiora. Porro quonam pacto imaginibus illis exprimere voluerunt, extitiſſe in Eccleſia eodem tempore, quo ædificabatur, Lacrymam ex Chriſti oculis ab Angelo collectam &c: ſi modo certum eſt, eam ibi tum temporis non fuiſſe, immo ne ullam quidem rei notitiam?

Ibidem pag. 46.

Ibidem pag. 48. & 49.

Secundum hiſtoriam hujus Lacrymæ, & Mabillonii ipſius confeſſionem, Gotifredus Martellus eam Eccleſiæ huic largitus eſt, qui Conſtantinopoli agens, eandem ab Imperatore receperat ſub exitum anni 1042. atque adeo ſigna illa non poſſunt cognitionem parere, unde Lacryma ſancta ortum duxerit; quoniam ſculpta ſane fuerant, antequam Gotifredus Eccleſiæ Lacrymam ſanctam impertitus eſſet. Speciem quoque non levem veritatis

habet,

habet, ſigna illa minime extitiſſe in Eccleſia vetere, & multo recentiora eſſe, quam Abbatiæ Vindocinenſis erectio. Cujus rei habeto duas conjecturas.

Prima eſt, Eccleſiam hanc Ævo decimoquinto a fundamentis refectam fuiſſe. Porro ii, qui ſigna viderunt, teſtantur, imagines illas partem fornicis efficere, fornicem vero parieti commiſſum eſſe; qua de re fit ſimile veri, ea confecta cum nova Eccleſia fuiſſe; immo apparet, non eſſe magis vetuſta, ac Inſcriptiones Græcæ, & Latinæ, atque aliæ Imagines, quæ conſpiciuntur ex alia parte Armarii ſuper pariete, qui ambitum dividit Sacellorum Sanctuarii: cum tamen Inſcriptiones, atque imagines iſtæ, *Ibidem pag.* 55. fatente ipſo Mabillonio, præterito tantum ſæculo confectæ ſint.

Alteram conjecturam peto ab eo, quod dicit idem Mabillonius, in ea *Ibidem pag.* 50. repræſentatione Patriarcham eſſe capite, quodam Thiaræ genere redimito. Verum præterquamquod Patriarca hic incongrue ponitur tempore Jeſu Chriſti, illud quoque adnotandum eſt, capitis ejus ornamentum inſtar eſſe Mitræ communis, & tamen Patriarchæ, ut animadvertit Goarius, *A Mitra, ſive Pontificio Pileo capiti imponendo hucuſque vulgo abſtinuerunt Græci*. Idem ſentit Cardinalis Bona: *Communiter uſque ad hodiernum diem ab hoc ornamento abſtinuerunt, nec eſt ullus in Græcia Mitræ uſus*. Quæ Mitrarum conſuetudo ante ſæculum decimum neque in ipſo Occidente recepta fuerat. Quamobrem Patriarca exprimi non poteſt eo ſigno; quod ſi exprimatur Epiſcopus, id ſuſpicioni locum dabit, Imagines illas ſculptas minime fuiſſe ab ipſa Eccleſiæ ædificatione, quoniam eo tempore inuſitatum valde erat Epiſcopis, Mitram gerere.

Goar. in notis in Euchol. Græc. pag. 431.

Bona l. 1. *Rer. Liturg. cap.* 24. *num.* 14.

In ſecunda Repræſentatione, „ in ſuperiore parte fornicis Rex aſpi- *Ibidem pag.* 50.
„ citur ſedens, ſceptrumque manu tenens, & prope ipſum Regina;
„ qui, ut apparet, Imperatorem referunt, atque Imperatricem. „ At qui non ignorant, quodnam eſſet Imperatoribus, atque Imperatricibus Byzanthinis undecimo ſæculo capitis ornamentum, ii non concedent Mabillonio, Coronam, & Sceptrum ipſorum efformata fuiſſe eo pacto, ac refert Imago illa, ſed diverſa plane ratione, ut deſcripſit etiam Ducangius.

Ducangius Diſſ. de Imper. Conſtant. Numiſm. Item de Familia Byzanthina.

§. V.

Argumenta alia.

Aliud quoque momentum urgeri poſſet ex Indiciis, quæ ſignata ſunt *Mabill. ibid. pag.* 48. in altera ex parvis arculis, in quibus Lacryma ſancta a tempore Abbatiæ conditæ ad hodiernam uſque diem ſervata fuit. Hæ nanque figu- *Ibidem pag.* 49.

 ræ,

ræ, inquit, nobis oſtendunt, unde venerit Lacryma ſancta; atque incomcuſſe probant, hac donatum fuiſſe ab Epiſcopo Henricum quendam; qui tamen, incertum eſt, utrum fuerit Henricus I. tum Galliarum Rex, cui dono dederit Nitkerus Reliquiam iſtam...... vel Henricus III. Germaniæ Rex, qui Imperatoris Coronam adeptus fuit anno duntaxat 1046. cum Uxore ſua Agnete, nata ex priore conjugio Agnetis, Comitiſſæ Andegavenſis, quæ Vindocinenſi Monaſterio annuos redditus aſſignavit.

Hæc Agnes filia Comitiſſæ Andegavenſis, ejuſque primi Mariti Guillelmi Magni Comitis Pictonum, & Ducis Aquitaniæ, nuptui tradita eſt Henrico III. tum Germaniæ Regi, anno 1043.: & veriſimile eſt, inquiunt, eam facile Reliquiam hanc obtinuiſſe ſive ab Henrico Conjuge ſuo, ſive ab Epiſcopo Friſingenſi, apud quem tum cuſtodiebatur; atque eandem dono dediſſe Agneti Matri ſuæ, a qua oblata fuerit Abbatiæ Vindocinenſi. Aliud argumentum, ſubdit Mabillonius, quo probemus, NitKerum dediſſe Reliquiam hanc cuidam Henrico, poſitum eſt in verbis, quæ leguntur in altera parte tegumenti Arcæ: HENRICO NITKERUS DAT. Neque ſane ambigendum eſt, ajunt, Arcam hanc concluſiſſe Lacrymam ſanctam, quandoquidem in altera item Arcæ parte aſpicitur oculus lacrymoſus. Oculi quoque ſculpti ſunt in quatuor angulis operimenti Arcæ. Atque hæc ſunt ea omnia, quæ colligere poſſumus ab indiciis hujus Arcæ, atque objicere, ut ſtatuamus, Lacrymam Vindocinenſem non ducere originem ſuam ab Aurelia, ſed a Germania.

Ibidem pag. 53.

Quibus tamen reſpondere licet. Primo, Lacrymam iſtam ſanctam poni Friſingæ poſt decem Sæcula ſine ullo momento, unde venerit, vel quomodo, aut a quo in Germaniam translata ſit. Quæ una animadverſio, ſecundum principia Mabilloniana, perſuadere poſſet, ſanctam Lacrymam iſtam e Crucifixi oculis non decidiſſe.

Secundo, Narratio Eruditi hujus Benedictini funditus evertit Hiſtoriam Lacrymæ Vindocinenſis, quæ refert, eam Conſtantinopoli Vindocinum delatam eſſe.

Tertio, Indicia hæc afferunt nobis argumentum aliud, figuras Fornicis, quæ Lazarum e mortuis excitatum oſtendunt, tam vetuſtas non eſſe, ac eſt ipſa Eccleſia Vindocinenſis, ſed deinceps additas fuiſſe. Si nanque probabile eſt, ut putat Mabillonius, Agnetem Uxorem Henrici III. Regis Germaniæ Reliquiam hanc obtinuiſſe, ſive ab Henrico Marito, ſive ab Epiſcopo Friſingenſi, apud quem tum erat, eandemque dediſſe Agneti Matri ſuæ, a qua tradita eſt Eccleſiæ Vindocinenſi: id fieri non potuit, niſi poſt Matrimonium Agnetis cum Henrico III. nimirum poſt annum 1043. atque adeo Lacryma ſancta Vindocini ante illud tempus non erat; neque depingi potuit in Fornice memorato,

An-

Angelum collegiſſe Lacrymam hanc, & Magdalenæ dediſſe; quoniam figuræ Fornicis eandem ferunt ætatem cum Eccleſia, quæ incœpta fuit anno 1033. nimirum ante decem annos, quæque abſoluta certe erat anno 1040. in quo dedicata fuit.

Quarto, cum legimus in altero ex quatuor angulis operimenti arcæ verba hæc: HENRICO NITKERUS DAT. id ambiguum eſt, atque eodem modo ſignificare poteſt, Epiſcopum Friſingenſem dediſſe Henrico Capſam ſolam, in qua erat Lacryma ſancta, vel Reliquiam aliam, in eadem Capſa comprehenſam. Sed inquies, oculum lacrymoſum, qui eſt in ſuperiore parte cujuſdam anguli arcæ, alioſque oculos effictos in quatuor angulis operimenti ejuſdem arcæ indicare, ibi fuiſſe Lacrymam ſanctam. Hæc tamen objectio per ſe ruit, ſi perpendas, oculum lacrymoſum confectum non eſſe ex eadem arcæ materie inſtar aliarum Imaginum, ſed ex Chryſtallo, quam poſtea fortaſſe addiderunt, ut apparet evidenter ex ipſa oculi hujus figura, tradita a Mabillonio, quæ recentior videtur aliis Capſæ partibus, atque ab alio elaborata. *Ibid. pag. 53.* Vero ſimillimum pariter fit, oculum hunc lacrymoſum in ea Chriſtallo ſculptum fuiſſe eodem tempore, quo poſiti fuerunt oculi in quatuor angulis opertorii. Porro oculi illi, ex ejuſdem Mabillonii confeſſione adjecti fuiſſe videntur; immo hæc additio ſenſibus ipſis patet, ſi modo alias opertorii figuras examinare placeat.

Denique nulla ratio demonſtrat, Capſam illam conſtructam fuiſſe, ut Jeſu Chriſti Lacrymam contineret. Quæ nanque conjunctio eſt cum Lacryma Sanctorum *Tertullini*, *Corbioni*, *Eutropii*, *Mauritii*, & *Georgii*; ut prætercam Prophetas Iſaiam, Ezechielem, Jeremiam, & Danielem; atque Imagines Abrahami, & Melchiſedechi, offerentium Sacrificium; nec non Moyſis, atque Aaronis; nulla alia adjecta figura, quæ ſanctæ Lacrymæ affinis eſſet, niſi illis, quæ multo poſt acceſſerunt re confecta. Quæ indicia potius ſuadere poſſent, Capſam hanc elaboratam fuiſſe in Germania, & miſſam ad Matrem ſuam ab Agnete Imperatrice, ut in eam Lacrymam ſanctam includeret. Vel quod magis veritatem attingit, Capſa hæc fortaſſe adhibita fuit in Eccleſia Friſingenſi, ut in illa vel Sanctorum Patronorum, vel aliorum Reliquias aſſervarent; & deinde deſignata eſt ad continendam Lacrymam ſanctam, additis ei oculo lacrymoſo in Chryſtallo depicto, aliiſque oculis in ſignum rei, qui extant in quatuor angulis opertorii Capſæ, & ceteris Capſæ partibus recentiores videntur.

A R-

ARTICULUS III.

De Columna, cui opinio eſt, Jeſum Chriſtum, dum cædebatur, vinctum fuiſſe.

Pilatus carens vi Judici neceſſaria, qua conatus iniquitatis infringeret, & Judæorum obſiſteret pervicaciæ, qua Jeſu Chriſti mortem poſtulabant, tandem militibus tradidit, cædendum flagellis; ratus ſupplicium hoc, ſervis duntaxat inflictum, compoſiturum clamores plebis ſeditioſæ, & ſedaturum furorem Scribarum, & Phariſæorum. Sed dira hæc immanitas obdurata illorum corda minime flexit, atque adeo Præſes Salvatorem eis tradidit, ut crucifigeretur. Divus autem Hieronymus ſcribit *, Pilatum ex Lege Romanorum Jeſum Chriſtum flagellis cædendum juſſiſſe: *Sed ſciendum eſt, Romanis cum legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.*

Matth. 27. 26.

Hieron. in Matt. c. 27.

Porro ſententia Patrum Eccleſiaſticorum communis habet, Jeſum Chriſtum, dum verberibus afficeretur, Columnæ vinctum fuiſſe. Audiamus Prudentium Poetam:

Aurel. Prud. in Enchir.

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque Columnæ
Annexus, tergum dedit ut ſervile flagellis.

Autor vero, qui Conſtantini temporibus ſcripſit, enarrat, Hieroſolymis tum oſtenſam fuiſſe columnam, cui deligatus Chriſtus flagellis affectus fuit: *Aſcenditur Sion .... & Columna adhuc ibi eſt, in qua Chriſtum flagellis ceciderunt.* Quæ Traditio a D. Hieronymo confirmatur, qui ait, S. Paulæ, Urbis Hieroſolymitanæ Loca ſancta inviſenti, in Monte Sion *oſtenſam fuiſſe Columnam, Eccleſiæ Porticum ſuſtinentem, infectam cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.*

Itiner. Hieroſ. apud Gretſ. de Cruce T. 1. l. 1. c. 10.

Hieron. in Epith. Paulæ Epiſt. 27. c. 4.

Prudentius Poeta de eadem Columna loqui vult, cum ait: *Præſtat adhuc, Templumque gerit veneranda Columna.* In quam rem citantur alii quoque Autores quarti, & quinti ſæculi, uti D. Gregorius Nazianzenus *Orat. 1. ad Julian.*, & D. Paulinus *Ep. 34.*, qui ita locuti ſunt, ut nobis ſuaderent, Columnam hanc extitiſſe ætate ſua, & ſingulari Fidelium veneratione cultam fuiſſe.

Prud. ubi ſupr.

Quareſm. T. 2. l. 5. c. 11. p. 387.

* Legem hanc ab Hieronymo laudatam condiderunt Duumviri adverſus impios, publica Morte mulctandos; atque in hæc verba a Livio recitatur: *Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito, verberato, vel intra Pomerium, vel extra Pomerium.* Livius Dec. 1, l. 1.

Di-

Divus Gregorius Turonenſis nos docet: *Ad hanc Columnam multos fide plenos accedentes, corrigias Textiles facere, eamque circundare, quas rurſum pro benedictione recipiunt, diverſis infirmitatibus profuturas*. Venerabilis Beda teſtatus eſt, ætate ſua Columnam hanc in medio Eccleſiæ ſtetiſſe, quam in Monte Sion S. Helena conſtruere fecit. *Sed Columna marmorea in medio ſtat Eccleſiæ, cui adhærens Dominus flagellatus eſt*.

Greg.Tur. de Glor.M.M.l.1. c.7.

Beda de Loc. Sanctis c.3.

Columna hæc ſubſtitit Hieroſolymis ad uſque ſæculum decimum tertium. Nicephorus nanque Callixtus, qui vixit decimoquarto, narrat: *In eo Templo marmoream quoque Columnam fuiſſe, ad quam, quum flagellis cæderetur, alligatus eſt Servator*. Cardinalis autem Joannes Columna Legatus Apoſtolicus, qui eam tranſtulit Romam, Honorio III. Summo Pontifice, anno circiter 1223. collocavit in Eccleſia S. Praxedis in Monte Exquilino, ubi etiamnum viſitur. Ante Sacellum, in quo ſervatur, Inſcriptio eſt hujuſmodi: *Columna, quæ in hac Sacra Capella reconditur, hæc eſt....; quam Joannes Cardinalis Columna Legatus Apoſtolicus in partibus Orientalibus ſub Honorio III. circa annum Domini 1223. huc aſportavit*.

Niceph.Hiſt.l.3. c.30.

Raphael Volaterranus ſermonem habens de Familia Columna, & præſertim de hoc Cardinali; Onuphrius Panvinus; Alphonſus Ciacconius, aliique multi de Columnæ hujus translatione meminerunt. Marmorea eſt colore Leucophæo, nimirum ſparſa cæruleo, & albo; duos pedes cum dimidio longitudinis habet, diametri pedem inferius, & uncias octo ſuperius, ubi annulus eſt, quo adſtringebantur rei, in quos, manibus ad terga revinctis, animadvertebant.

Volater. Antropol.22. Panvinus Tract. de Septem Eccl. Gretzerus, Quareſmius, & alii.

Sive igitur Columna Romæ aſſervata non ſit, niſi pars inferior, vel ſuperior, atque adeo pars ejus, de qua loquitur D. Hieronymus, ut quidam exiſtimarunt; ſive integra ſit, quod probabilius judico; dubitandum tamen non eſt, quin uſui ea fuerit ad Chriſtum verberibus afficiendum, vel certe poſt tot Eccleſiæ Patrum teſtimonia, qui teſtantur, eam ad octavum uſque ſæculum extitiſſe. Vero item ſimillimum eſt, eandem vel totam, vel ex parte Romæ aſſervari; & propterea neceſſe eſſet, alia in medium afferre argumenta, quam quæ affert Bailletus, ut Traditio hæc concuteretur.

Corn. a Lap. in cap.27. Matth. c 26. Ludolphus Chartuſ. de Vita Christi p.2.c.62. Boſius l.1.c.13. de Cruce.

Baill. in Hiſt. Feſt. Mobil. Fer. Sex. Maj. Held. art.5. Gall.

„ Quantumvis parum appropinquaret veritati, inquit, temporibus ipſis „ D. Hieronymi, Columnam Templi Hieroſolymitani fuiſſe eandem, „ ad quam vinctus fuit Chriſtus Dominus, cum non futura eſſet multo altior, vel craſſior palis, quibus verberandi rei vinciebantur, magis tamen a veritate deinceps receſſerunt, cum libitum fuit aliquibus, „ indicare modum, quo exiſtimabant, monumentum hoc ſubſtitiſſe. „

In-

Intereſt ne, levi hac conjectura, nullo argumento vel teſtimonio innixa, pro nihilo habere ſuffragium S. Hieronymi, S. Paulini, S. Gregorii Turonenſis, Ven. Bedæ, totque aliorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui tum aperte pronunciant, illam tum extitiſſe? Quis ſibi perſuadeat, Cardinalem Columnam, ejus meriti & probitatis virum, ut nimiæ credulitatis argui nullo modo poſſit: ſummum, inquam, Virum hunc exigua adeo ingenii acie fuiſſe, ut ſuppoſititiam Columnam receperit pro vera Columna Jeſu Chriſti; vel ea peſſima fide laboraſſe, ut toti Eccleſiæ imponere voluerit? Denique ecquis credat, Summum Pontificem, atque univerſam Romanam Urbem, nullo delectu habito, ſacrum hoc Depoſitum accepiſſe, & veneratos fuiſſe?

Cum autem præclarus hic Criticus ſcripſit; Columnam futuram *non* fuiſſe multo craſſiorem palis, quibus rei verberandi alligabantur; non ſane animadvertit, reos trifariam flagellatos olim fuiſſe. Aliquando in via, qua ad ſupplicium pergebant: *Servus*, inquit Cicero, *per Circum cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus eſt*. Alias reo ad ſupplicii locum perducto verbera incutiebantur; ut didicimus a Valerio: *Cum ſervum ſuum verberibus multatum ſub furca ad ſupplicium egiſſet*, tum ſontes flagris percutiendi palo vinciebantur, ut legimus in Hiſtoriis Livii, & Saluſtii, Commentariis Cæſaris, ſcriptiſque Ciceronis, præſertim ubi ait: *Nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati*.

Cic. de Divin. l. 1.

Valerius l. 1. c. 7.

Sed quando reos virgis cædebant, antequam ad ſupplicium raperent, id fiebat in Prætorio, vel in locis huic pœnæ deſignato, & tum columnæ adſtringebantur; cujus rei non deſunt exempla multa. Artemidorus eo loci, ubi recitat ſomnium ſervi ſui, qui ſibi videbatur a Domino verberari, ait: *Columnæ alligatus multas accepit plagas*. Qua eadem ſignificatione intelligenda ſunt verba Plautina:

Plautus in Bacchide Act. 4. Scen. 7.

Abducite hunc
Intro, atque adſtringite ad Columnam
Fortiter.

Euſebius de Martyribus Alexandrinis ait: *Alii autem, ad columnas vultibus inter ſe adverſis adſtringebantur . . . . quoſdam columnis diſtrictos, & poſt tergum diſtortis bracchiis vinctos relinquebant*. Quare licet Evangelium non affirmet, Jeſum Chriſtum ad Columnam vinctum fuiſſe; id nobis tamen Patres tradiderunt, fulti conſtanti Eccleſiæ Traditione, nec non Romanorum conſuetudine. Sed argumenta etiam a nobis allata ratum maxime, & firmum facere poſſunt, probabile admodum eſſe, Columnam hanc vel totam, vel ex parte Romæ aſſervari.

Euſeb. Hiſt. l. 8. c. 10.

A R-

ARTICULUS V.

De Lancea.

§. I.

Recitatur Hiſtoria de mira Inventione Lanceæ Jeſu Chriſti, cujus ferri pars Pariſios delata fuit, & reliqua Pontifici a Baiazetho Turcarum Imperatore elargita.

SI fides eſt Scriptori cuidam ſæculi ſeptimi, Lanceam, qua latus Salvatoris transfixum fuit, ſepelierunt Judæi cum Cruce, aliiſque Paſſionis ejus inſtrumentis: *Illic deponentes in primis pretioſum Theſaurum, Crucem, inquam, & omnia, quæ ad Crucem pertinent, nempe Clavos & Lanceam.* Quo poſito, ſatis ſimile vero fit, S. Helenam reperiſſe Lanceam, cum Cruce, & Clavis. Quid acciderit huic Lanceæ nos latet ante ſextum ſæculum, quo Gregorius Turonenſis de ea loquitur, tanquam de Reliquia etiam tum extante.

Andreas Cret. Epiſc de Exalt. Crucis c. 5.

Greg. Turon. de Glor. Mart. c. 17.

Venerabilis Beda capite ſecundo Tractatus ſui de Locis Sanctis nos docet, ætate ſua: *Lanceam militis inſertam haberi in Cruce lignea in porticu Martyrii*, nimirum in Eccleſia S. Sepulchri, *cujus haſtile in duas interciſum partes a tota veneratur Civitate.*

Beda de Locis Sanctis c. 2.

Anno 1098. Lancea reperta fuit Antiochiæ tempore Urbis illius obſeſſæ a Corbagato, vel Corbana, aut Curbana Imperatore Regis Perſarum. Ad deditionem nanque redacta pene urbe ſanctus quidam Presbyter, nomine Petrus Provincialis Maſſilienſis, narravit Epiſcopo Podienſi Legato Apoſtolico, & Comiti Toloſano, S. Andream apparuiſſe ſibi, & juſſiſſe, ut Jeſu Chriſti Lanceam, in S. Petri Eccleſia latentem, perquireret. Revera etenim repertus eſt pretioſus hic Theſaurus in bonum omen Victoriæ de Infidelibus reportandæ. Tolerato nanque trium dierum jejunio, Chriſtiani egreſſi ſunt ex Urbe præeunte Legato Apoſtolico cum Lancea Jeſu Chriſti; Barbarum Exercitum profligarunt, centum millibus eorum in acie ſublatis.

Robertus Monac. Hiſt. Hieroſol. l. 7.

Hiſtoria hæc miræ Inventionis Lanceæ, & ſingularis iſtius Victoriæ, narratur a quampluribus Scriptoribus non modo ejuſdem temporis, ſed etiam oculati teſtimonii. Primus eſt Tudebodus, qui Hieroſolymitani itineris Hiſtoriam litteris mandavit, a Duchenio editam Tomo 4. Scri-

Petrus Tudebodus Sac. Siuracenſis Hiſt. Hieroſ. apud Duchene Tomo 4. pag. 777. l. 4. Guillelmus Tyrius l. 6. c. 14. de Bello Sacro.

ptorum Hiſtoriæ Gallicæ. Hic Petrus Tudebodus Sacerdos duo hæc prodigia enarrat, tanquam ſe præſente patrata: *Quidam de Exercitu noſtro. . . . . . Antequam Civitatem intraremus.* Sed audi qui loquatur de Lanceæ Inventione: *Facta autem nimis profunda fovea, ipſe Petrus invenit Lanceam Jeſu Chriſti, ſicut Beatus ei Andreas indicaverat, quarto decimo die intrante Junio.* Deinde exequitur, quid acciderit in hac cruenta pugna adverſus Infideles; atque inter alia adnotat, *fuiſſe Ademarum Podienſem Epiſcopum, portantem ſecum Lanceam Salvatoris noſtri.*

Guill. Tyr. l. 7. c. 18. de Bello Sacro.

Hoc miraculum conſecutum eſt aliud, relatum a Guillelmo Tyrio; „ quod Lanceæ Jeſu Chriſti veritatem confirmat. Quidam a Sacro faciendo „ Comitati Normanno, ait Guillelmus, doloſe evulgavit, mucronem Lanceæ, repertum in Eccleſia S. Petri, illum non eſſe, qui latus Chriſti aperuit; ſed Presbyterum Provincialem revelationem finxiſſe, ut placeret Comiti Toloſano, cujus erat familiaris. Cum populus ſuper hoc in „ diverſa traheretur, nonnullis germanam aſſerentibus Reliquiam, aliis accuſantibus doli Comitem Toloſanum; pius Presbyter Provincialis, certus de habita revelatione, paratum ſe obtulit ad ſubeundum experimentum „ gnis pro ſuorum dictorum veritate. Arrepta igitur ſacra Lancea, & facta oratione, coram exercitu, & populo ſe injecit in ignem, e quo illæſus exivit. Tanta autem fuit devota ſollicitudo circumſtantium conveniendi pium Presbyterum, uti ejus manus oſcularetur, ut parum abfuit quin a multitudine opprimeretur.

Paul. Emil. Veron. de Rebus Geſtis Francorum l. 4.

Sed Guillelmus Tyrius non eſt Hiſtoricus ſolus, qui referat miraculum iſtud, cum illud quoque recitet Paulus Æmilius Veronenſis his verbis: *Circumfuſo exercitu, ſanctam Lanceam nudus corpore, manu geſtans, per coacervatorum late lignorum ſtruem ardentem, medioſque ignes illæſus evaſit. Mox ad miraculum irruente turba, oppreſſus periit.* Super qua re aliquanto longior fui, quoniam Critici multi a nobis referendi prodigia hæc omnia mordicus oppugnant.

Lancea vero, quæ latus Domini aperuit, Antiochia Hieroſolymam, deinde Conſtantinopolim translata fuit tempore victoriarum Gotifredi Buglionii. Balduinus Imperator II. pignoratus eſt Venetis cuſpidem ferri Lanceæ pro magna argenti vi, cujus in ea rerum ſuarum neceſſitate indigebat. S. Ludovicus Reliquiam hanc pretio redemit, annuente Imperatore, eamque detulit in Regnum ſuum; atque adeo Pariſiis non extat, niſi extremitas ferri illius, quæ in ſacro Sacello aſſervatur: *Balduinus*, inquit

Jacob. Philipp. Bergom. in Supplem. Chron. l. 13. ſub ann. 1246.

Philippus Bergomenſis, *cum ægre ſe ab hoſtibus tueretur, ærarii inopia compulſus, Venetis proprium Filium ob æs mutuo acceptum pignori dedit; partemque Lanceæ, Spongiamque Chriſti eadem ſub conditione tradidit. Quas poſtea Ludovicus Francorum Rex, cum ipſe Balduinus redimere non poſſet,*

ab

ab ipſis Venetis, Balduino permittente, redemit, & in Franciam perduxit. Quod omnino conſentaneum iis, quæ Orator Bajazethi dixit Innocentio Papæ VIII., nimirum cuſpidem Lanceæ in Gallias traductam fuiſſe: *Et cuſpis ejus eſt apud Regem Franciæ, prout ipſe Magnus Turca nunciavit Papæ per præfatum ejus Oratorem.* Quod idem animadverterunt tres Hiſtorici Romani, quos inferius citabimus.

Reliqua pars ferri Lanceæ ſervata fuit Conſtantinopoli in Eccleſia S. Joannis, donec capto Byzanthio a Mahumetho II. juſſit hic Theſauros Imperatoris, Eccleſiarum ornamenta, & Reliquias cuſtodiri. Quo defuncto, duo ejus Filii Bajazethus, & Zizimus inter ſe bella geſſerunt. Hoc autem devicto, & Rhodium ſecedente apud Magnum Magiſtrum Petrum d'Aubuſſon, Bajazethus ut ſe in ejus benevolentiam inſinuaret, atque impedimento eſſet, ne Frater ſuus Zizimus in Patriam rediret, & ſibi Imperii poſſeſſionem perturbaret, ad Magnum hunc Magiſtrum dono miſit manum S. Joannis Baptiſtæ in eleganti Theca, gemmis ornata, ut nunc Melitæ viſitur.

Boſius Hiſt. Equitum S. Joannis Hieroſ. l. 7. c. 8.

Boſius hiſtoriæ hujus narrator addit, eundem Bajazethum, inſtante Petro d'Aubuſſon, munere obtuliſſe Pontifici Innocentio VIII. Sacrum ferrum Lanceæ, quod Romam delatum fuit ab Oratore Bajazethi, comite Itineris Guido Blanchefortio, Nepote Magni ejuſdem Magiſtri, & Priore Alverniæ, qui Romam adventarunt anno 1492.

Boſius ibidem.

Orator hic Romam ingreſſus eſt die Aſcenſionis Jeſu Chriſti, qui erat poſtremus menſis Maii. Pontifex Cardinalem quendam Narniam miſit, ut Lanceam ſanctam reciperet; atque idem ipſe Pontifex perrexit ad Portam Populi, ut illam ſuſciperet, & manu ſua ad S. Petri Eccleſiam geſtavit. Narratio hæc reperitur in Commentariis, vel Ephemeride rerum Romanarum, collectis a tribus præclaris Scriptoribus Romanis, qui res geſtas ætate ſua diligenter ſcriptis commendarunt. Hi porro ſubjungunt: *Et erat incluſum dictum ferrum Lanceæ in quodam Tabernaculo pulcherrimo Chryſtalli cum pede, & aliis ornamentis puri auri, & fuit res magnæ æſtimationis.*

Ex antiquis Diariis Lelii Petronii, Pauli Magiſtri, & Stephani Infeſſura fol. 76 & 77. apud Boſium de Cruce l. 1. c. 77.

Idem factum teſtatur Cardinalis Marcus Viguerius, qui Anconæ erat, cum eo pervenit Orator Bajazethi: *Turcarum Imperator*, inquit, *Sanctum ferrum Romano Pontifici dono mittendo.*

Marcus Viguerius in Prologo Controv. de excellentia Inſtrum. Dominicæ Paſſionis.

§. II.

Allucinatio Bailleti de Translatione ferri Lanceæ Romam:

Bailletus in Fer. 6. Maj. Hebd. §. 3. art. 10.

BAilletus exiſtimavit, poſſe ſe ſuſpicioſam reddere Hiſtoriam, quam modo recitavimus, ſi ſcriberet, eos, qui in noſtra ſententia ſunt, contendere, Bajazethum Succeſſorem Mahumethi II. „ dono dediſſe fer„ rum Lanceæ Magno Magiſtro Melitenſi in grati animi argumentum, „ quod captivum retineret Fratrem ſuum; Reliquiam hanc Melita Ro„ mam fuiſſe traductam anno 1492. ad Innocentium VIII. „ In ora vero Libri Boſium, & Quareſmium citat. Mirum tamen, cum paucis hiſce verbis duobus iſtis Scriptoribus affingere contraria dictis eorum apertiſſimis.

Boſius de Cruce Triumph. l. 2. c. 17.

Primo, uterque Scriptorum iſtorum, qui conſcripſerunt Hiſtoriam, atque uberrime locuti ſunt de Equitibus S. Joannis Hieroſolymitani, apprime callebant, tum temporis Magnum Magiſtrum nuncupari ſolitum Rhodii, vel S. Joannis Hieroſolymitani, non autem Melitæ, ut eos dicentes inducit Bailletus. Secundo, cui perſuaſum fiet, eos ſcriptis dediſſe, Melita Lanceam tranſlatam fuiſſe Romam anno 1492. cum Inſula Melitenſis in poteſtatem venerit Equitum S. Joannis Hieroſolymitani anno duntaxat 1530. quod hi duo Scriptores conceptis verbis affirmant.

Denique uterque hiſtoriam eandem aliter omnino perſequitur, ac ſcribit Bailletus. Ita habet Boſius loco a Critico noſtro laudato, Italice tamen „ Bajazethus, ut gratiam iniret Summi Magiſtri F. Petri d' Au„ buſſon, quo caute ſupradictum Zizimum aſſervaret, ne in Turchiam „ rediret, ſibique Imperium rurſus perturbaret; ei dono miſit venera„ bilem dexteram Sancti Joannis Baptiſtæ; atque opera, & ſtudiis ejuſdem Summi Magiſtri idem Bajazethus Pontificem Innocentium VIII. muneratus eſt ferro Sacratiſſimo ejuſdem Lanceæ, Oratore in rem hanc miſſo, cui comes adjectus eſt Romam uſque Prior Alverniæ Frat. Guidus de Blanchefortio, anno 1492. Idem repetit Boſius in Hiſtoria Religionis S. Joannis Hieroſolymitani.

Quareſmius Tom. 2. l. 5. Peregr. 5. c. 25.

Quareſmius item liquido loquitur, *Bajazethus ut benevolentiam Magni Magiſtri S. Joannis Hieroſolymitani captaret*. Neque etenim cum hic, tum Boſius aſſerunt, eum fuiſſe Summum Magiſtrum Melitenſem. *Nomine F. Petri de Aubuſſon manum S. Joannis Baptiſtæ donavit; & ad ejus preces Sacrum Lanceæ ferrum Innocentio VIII. Summo Pontifici idem Bajazethus miſit anno 1492. ut ſacræ Religionis S. Joannis veriſſima Hiſtoria* con-

conteſtatur. Qua de re libentius crederem, Bailletum multis in locis hauſiſſe res e Commentariis parum accuratis, quam ipſi tribuam tot errores ſuper uno duntaxat capite Lanceæ Domini. Sed alios quoque oſtendam non paucos §. ſequenti. Boſius nobis ante oculos poſuit imaginem ferri Lanceæ, quæ Romæ eſt, & longitudinem habet decem unciarum cum duabus lineis. Deeſt ipſi cuſpis, quæ unciam circiter non excedebat: inferne conſtat quatuordecim lineis Diametri.

Boſius de Cruce l. 1. c. 17.

§. III.

Tolluntur objecta, quæ affert Simonius, ut evertat veritatem Hiſtoriæ de mira Lanceæ Domini inventione.

NUllo modo diſſimulare licet argumentum quoddam Simonii, quod firmiſſimum videtur eſſe adverſus ea, quæ diximus de Lancea Jeſu Chriſti, quodque poſſet eam in falſitatis ſuſpicionem vocare, ſi tamen ſatis conſtans eſſet illud, quo conjecturam ſuam fulcit, teſtimonium. Sed in ſpem non mediocrem inducor fore, ut idem hic locus anſam nobis præbeat confirmandi Prodigium Antiochiæ perpetratum ſuffragio Scriptorum multorum, qui de illo perhibent, vel tanquam teſtes oculati, vel aderant in exercitu ſacri Fœderis.

„ Fulcherius, inquit Simonius, in Hiſtoria ſua Hieroſolymitana hiſtoriam perſequitur ſcitu dignam. Quidam deceptor fingebat, ſibi in viſu S. Andream aperuiſſe locum, in quo latebat Lancea, qua Latus Jeſu Chriſti transfixum fuit. Hanc aliquandiu venerati ſunt non modo populi, ſed viri etiam graviores. Sed nonnulli Epiſcopi fidei difficilioris coegerunt Synodum, in qua poſt tres jejunii & precum dies ſancitum fuit, eum, cui Lancea fuerat revelata, ſubiturum experimentum ignis. Reipſa Epiſcopi juſſerunt rogum accendi; *& benedictione judiciali ſuper ignem ab Epiſcopis facta*, qui ſanctam, ut appellabatur, Lanceam repererat, ſponte ſua per illum tranſiit. Sed duodecim elapſis diebus migravit e vita. Tum ii, qui propter honorem Domini venerati fuerant Lanceam iſtam, perſpecto experimenti exitu, quod judicium Canonicum erat, triſtes admodum fuerunt de præſtito cultu fallaci Lanceæ. „ *Et quia ob honorem Dei, & amorem omnes Lanceam venerati fuerant, hoc judicio facti increduli contriſtati ſunt valde.*

Biblioth. Crit. Tom. 2. c. 18. pag. 281.

Fulch. Carnot. Geſta peregrina Franc. ad annum 1098.

Autor Tractatus inſcripti: *Geſta Francorum expugnantium Hieruſalem*, qui unus ex iis eſt, quibus conſtat collectio nuncupata: *Geſta Dei per Francos*. Hic, inquam, Scriptor recitat Hiſtoriam Lanceæ eadem ferme

ratio-

ratione, qua a Fulcherio narrata eſt. Ceterum adverſus utriuſque Scriptoris hujus autoritatem mihi videtur propugnari poſſe falſitatem narrationis iſtius, ſive illam conſideremus. 1. Quoad ipſos Autores iſtos. 2. In ſemetipſa. 3. Secundum omnia adjuncta ſua.

Guibertus Abbas l. 7. Hiſt. Hieroſ. cap. 29. Ibid. c. 31.

Quamvis *Erdricus Vitalis*, *Guillelmus Malmeſburienſis*, & quidam alii Hiſtoriam Fulcherii laudibus proſecuti ſint; nihilominus Guibertus Abbas contulit capita 29. 30. 31. 32. 38. Libri ſeptimi, ad detegenda errata Fulcherii; qui per Abbatem iſtum multa ſcripſit *fallaciter*, *& ſcabro*, *ut ceteri, ſermone*. Eum præſertim redarguit falſitatis de Facto inventionis Lanceæ, quia *falſitati obnoxius erat*. 1. Contendit Guibertus, ſententiam Fulcherii, qui Edeſſæ degebat, vel genio indulgebat, cum Lancea reperta eſt Antiochiæ, præſtare nefas eſſe ſententiæ multorum, qui aderant ipſi inventioni Lanceæ, & Factum iſtud teſtantur. 2. Noſter Abbas ait, Balduinum reddere teſtimonium inventioni Lanceæ in Epiſtola ad Archiepiſcopum Manaſſen. 3. Mentem quoque ſuam confirmat ſuffragio Epiſcopi Podienſis, qui velut anima exercitus Chriſtianorum habebatur. Epiſcopus hic intererat, cum Lancea reperta eſt, atque illam geſtabat ante aciem, cum Infideles in ſingulari illa pugna devicti ſunt. Guibertus idem refert præclarum oſtentum, quod Deus Lanceæ hujus opera patravit, dum eam Epiſcopus Podienſis manu teneret, & cum hoc Paſſionis Dominicæ inſtrumento ſigna Crucis efformaret.

Hiſtoricus autem, qui confecit Librum inſcriptum: *Geſta Francorum expugnantium Hieruſalem*, cum nihil præſtiterit magis, quam Fulcherii Hiſtoriam in compendium redigere, ſuffragio ſuo nullum pondus addit Fulcherii ipſius teſtimonio.

Atqui nullum aliud opus eſt argumentum proferre pro veritate inventionis Lanceæ Jeſu Chriſti, & falſitate narrationis Fulcherianæ, quam conferre teſtimonia Scriptorum, qui vel aderant rei, vel erant in exercitu ſacri Fœderis, cum Petrus Bartholomæus Lanceam in Eccleſia S. Petri detexit coram magno numero Virorum fide dignorum. Præter ſuffragium eorum, quorum meminimus ſuperius, addendum eſt illud Operis inſcripti: *Geſta Francorum & aliorum Hieroſolymitanorum* l. 4. c. 28. Cui addas Monachum Robertum, qui in Hiſtoria ſua Hieroſolymitana, initio l. 7. narrat idem prodigium, non ſecus atque Baldricum Archiepiſcopum Dolanum l. 3. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ.

Raimundus Agiles Hiſt. Franc. qui ceperunt Hieroſ.

Sed neque crediderim, revocari a quopiam in dubium poſſe teſtimonium Raimundi Agiles Canonici Podienſis, atque a Sacro faciendo Comiti Toloſano, quoniam aderat effoſſioni terræ in Eccleſia S. Petri; hic igitur teſtatur, Lanceam repertam fuiſſe, adjungitque graviſſimam hanc rei notam: *Et ego*, inquit, *qui hæc ſcripſi*, *cum ſolus Mucro Lancea*

ad-

adhuc appareret ſuper terram, oſculatus ſum eum. Porro narrat miraculum aliud Lanceæ Jeſu Chriſti, quod ſatis oſtendit, pretioſam Lanceam iſtam nullo modo ſuppoſititiam eſſe. In die celebris illius pugnæ, quæ pugnata fuit prope Urbem Antiochenam, Principes exercitus Chriſtiani, unuſquiſque e latere ſuo Infideles adorſi ſunt. Epiſcopus Podienſis, & ſectatores ejus multa paſſi ſunt a ponte uſque ad montes, conantibus hoſtibus eos circumvenire: *Inter hæc, licet majores hoſtium ordines nobis, qui in turma Epiſcopi eramus, incumberent, tamen per præſidium Dominicæ Lanceæ, quæ ibi erat, nullum ibi vulneraverunt; ſed neque ſagittam nobis intorſerunt. Vidi ego hæc, quæ loquor, & Dominicam Lanceam ibi ferebam.* *Raymundus Agiles ibidem.*

Sed inquies fortaſſe, addit Autor noſter, Vicecomitem Heraclium, qui Epiſcopi vexillum gerebat, vulnus in acie tuliſſe; *at ſcias quod vexillum ſuum alii tradiderat, & ordinem noſtrum longe reliquerat.* Eventum ſane hoc mirum magis eſt, quam illud Euſebianum *de Labaro*. Si hoc victoriam eo propendere faciebat, ubi erat, non tamen oberat, quominus hoſtes aliquem tuerentur, vel vulnerarent. Quod tamen non contigit eo loci, ubi Lancea verſabatur. Euſebius etiam conſiderat, in conflictu poſtremi periculi, cum is qui *Labarum* gerebat, animum deſpondiſſet, illoque depoſito fugam iniviſſet, ſtatim jaculo percuſſum fuiſſe; quemadmodum Vicecomes Heraclius, relicto Epiſcopi vexillo, atque a Lanceæ loco recedens, vulnus accepit. *Euſeb. de Vita Conſtant. l. 1. c. 39.*

Mitto teſtimonia aliorum Scriptorum, qui Miraculum inventionis Lanceæ Jeſu Chriſti enarrarunt; addamque tantummodo illud Alberti Canonici, & Cuſtodis Eccleſiæ Aquiſextanæ, qui in ſua Hiſtoria Hieroſolymitana de hoc fuſe admodum diſſerit Libro 4. cap. 44., & cap. 52. animadvertit, Epiſcopum Podienſem hoſtium conatibus infringendis Jeſu Chriſti Lanceam objeciſſe.

Id unum itaque reliquum eſt, ut ſcilicet probem, Hiſtoriam Lanceæ a Fulcherio relatam adjunctis omnibus falſam eſſe. Primum eſt, *Deceptorem finxiſſe, ſibi in Viſu S. Andream aparuiſſe.* Petrus Bartholomæus deceptor non erat, ſed ſanctus preſbyter, ut eum plerique nuncupant Scriptores a nobis memorati. Ipſe quidem Viſum nequaquam confinxit, quandoquidem Lanceæ inventio probavit veriſſimum eſſe id, quod evulgaverat. Fulcherius ait in narratione ſua, *fallaciter occultatam forſitan*. Sed opus ſane fuiſſet, deceptorem hunc vaferrimum eſſe, ut tam alte occuleret in terra Lanceam in Eccleſia S. Petri. Scriptores nanque, qui aderant inventioni, declarant, duodecim homines in effodienda terra a ſummo mane ad veſperum laboraſſe.

Quidam, inquit, *Epiſcopi difficilioris fidei Synodum coegerunt.* Adjunctum

ctum hoc excogitavit Autor Bibliothecæ Criticæ, ut majorem fabulæ exiſtimationem compararet. Fulcherius nanque habet tantummodo: *Conſilio inito* (quod minime ſignificat Concilium cogere) *ſancitum eſt, cum, cui Lancea fuerat revelata, ſubiturum experimentum ignis*. Alia additio hæc eſt Autoris Bibliothecæ Criticæ; cum adjunctum hoc in Fulcherio deſideretur, & ſcribat ex adverſo, eum ſponte per medium ignem tranſiiſſe.

Guill. Tyr. Hiſt. l. 7. c. 18.

Petrus Bartholomæus nullo modo coactus fuit experimentum hoc ſuſtinere, ſed ſemetipſum obtulit; cum etenim audiſſet, Arnulphum, a Sacro faciendo Comiti Normanno, falſos rumores in vulgus ſpargere de veritate Lanceæ, multoſque exercitus Duces ſermonibus Arnulphi, & ſectatorum commoveri, publice faſſus eſt coram Epiſcopis, & Principibus: *Volo ac deprecor, ut fiat ignis maximus, & cum Lancea Domini tranſibo per medium: Et ſi Lancea Domini eſt, incolumis tranſeam; ſin autem falſum eſt, comburar in igne: video enim, quia nec ſignis, nec teſtibus creditur.*

Raymundus Agiles, qui præſens erat, & verba hæc recitavit, ſubdit, accenſum fuiſſe rogum ex lignis Olivarum ſiccarum, cujus longitudo ad quatuordecim pedes protrahebatur. Epiſcopis autem, Principibus, Exercitu, & Populo congregatis, idem Raymundus Agiles contenta voce clamavit: *Si Beatus Andreas Lanceam Domini oſtendit, & tranſibit iſte illæſus per ignem; ſin autem aliter eſt, & mendacium eſt, comburetur iſte cum Lancea, quam portabit in manibus ſuis*. Poſt hæc Petrus ſola indutus ſubucula in ignem ſe conjecit, atque in medio aliquandiu ſtetit, deinde exivit; *ita ut nec tunica ejus combuſta fuerit*. Albertus Canonicus ait: *eum illæſum abiiſſe*. Alii demum a nobis allati Scriptores non abſimiliter rem enunciant.

Albert. Aquenſ Hiſt. Hier. l. 5. c. 23.

Sed poſt duodecim dies migravit e vita. Scriptores, qui de probatione hac locuti ſunt, non diſſentiunt, Petrum Bartholomæum diu non vixiſſe, poſtquam ignem ſuperavit. At id non accidit, ut ſibi videtur Fulcherius credere, quod ignis ei pellem combuſſerit, & plagis mortalibus affecerit; ſed quia cunctus populus eum circumdans, ut videret, & tangeret, illum humi alliſit, unde vulnera multa Petrus ſuſcepit, ipſamque ſibi ſpinam fregit. *Traxit eum in terram*, inquit Raymundus Agiles, qui huic ſpectaculo aderat, *& conculcavit eum omnis illa multitudo populi, dum quiſque volebat eum tangere. Atque tria vulnera vel quatuor fuerunt ei in cruribus, & ſpinam dorſi confringentes, crepuerunt eum.*

Gidem.

Tum ii, qui propter honorem Domini venerati fuerant Lanceam iſtam, perſpecto experimenti exitu, triſtes admodum fuerunt de præſtito cultu fallaci Lanceæ. Hæc eſt poſtrema objectio Fulcherii. Contra vero nunquam

Lan-

Lancea tanto in honore habita eſt, quam poſt interitum Petri Bartholomæi; immo decretum fuit, ut impoſterum *Lancea non monſtretur, niſi Sacerdote induto ſacris veſtibus.* *Raymundus Agiles ibidem.*

§. IV.

Objectio Bailletti in miram Hiſtoriam de Lancea Jeſu Chriſti.

CRiticus hic eruditus, diſputans de Victoria, reportata a Chriſtianis coram Lancea Jeſu Chriſti, hæc verba profert: „ Nihilominus Victoria, quæ ipſi referebatur, *Lanceæ nimirum*, ambiguum certe argumentum erat: & poterat quidem Deus illam conceſſiſſe vivæ citius fidei ſervorum ſuorum, quam Inſtrumenti hujus cauſa. Sæpius nanque oſtendit Deus, ſimplices Facti errores, uti ſunt ii, qui ad Reliquias pertinent, in quarum delectu facilis eſt allucinatio, non obeſſe, quominus cordis probitatem præmio afficiat, ſi modo illam perfecta in Deum ſpes comitetur.„ Verum eſt, ſæpe Deum Miracula perpetraſſe, ut Fidem, & rectum animum ſervorum ſuorum muneraretur; ſed id non efficit, quin alia non ſemel faciat coram veris Sanctorum Reliquiis, ut perpetua Traditio nos docet, & mille in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſuppetunt exempla. Lectoris itaque ſit judicium ferre de doctrina Bailleti in hac objectione; mihique liceat duntaxat hæc animadvertere. *Baill. in Fer. 6. Maj. Hebd. 5. 3. Art. 20.*

Primum ſit, verba Bailleti ad vivum reſecata concutere poſſe veritatem complurium miraculorum, quæ ſæpe operatur Deus coram Reliquiis Sanctorum. Nullum etenim patrabit Deus ob pretioſas ipſorum exuvias, ut eorum gloriam declaret, & merita muneretur; de quo non liceret ſubdere cum Scriptore iſto: *Sed accommodatius eſſet, tribuere Miracula iſta Fidei, & precibus Fidelium, qui ſpem ſuam in Deo ponunt, quam Reliquiis, in quarum delectu facilis allucinatio eſt.* Porro cum nulla Reliquia ſit, vel ſaltem pauciſſimæ, in quarum delectu errare non poſſimus, videmur, colligere poſſe ex principiis Bailletanis, effectus a Deo partos coram Sanctorum Reliquiis, argumenta admodum ambigua eſſe: cum potuerit Deus gratias iſtas elargiri vivæ ſervorum fidei, citius quam cauſſa pretioſarum Reliquiarum Jeſu Chriſti, Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum.

Quare cum Sancti Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique Patres nobis tradent, Deum ſæpe Miracula operatum fuiſſe coram Reliquiis Sanctorum, ut exempla dabimus aliis locis; jus erit reſpondere ex Doctrina

Bailleti, hæc eſſe argumenta admodum ambigua, & potuiſſe Deum mira hæc Facta concedere citius vivæ ſervorum ſuorum fidei, quam Inſtrumentorum iſtorum cauſa.

Interea tamen Eccleſiæ Patres aliter de hac re judicium tulerunt. Audiamus Auguſtinum, differentem de Translatione Reliquiarum S. Stephani. *Epiſcopo afferente Projecto Reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier, ut ad Epiſcopum portantem pignora Sacra duceretur, oravit: flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, & protinus vidit.* Idem Divus Auguſtinus aliud oſtentum narrat, quod ejuſdem S. Martyris Reliquiis tribuit. *Memorati memoriam Martyris Lucillus Epiſcopus populo præcedente, atque ſequente portabat; fiſtula, cujus moleſtia jamdiu laboraverat ..... illius piæ ſarcinæ vectatione repente ſanata eſt.* Id ſane conſentaneum non eſt Doctrinæ Bailleti.

Auguſt. de Civ. Dei l. 22. c. 8. circa med.

Mea ſecunda animadverſio eſt, ſi opus ſit Autoris noſtri documentis fidem habere, ea omnia, quæ proſpexit ſemper Eccleſia, ut de Reliquiarum veritate certior eſſet, eaſque diſtingueret, quæ germanæ ſunt a ſuppoſititiis, nullius frugis eſſe ad hoc diſcrimen habendum. Epiſcopi nanque nullam ineunt tutiorem viam, ut exiſtiment, Reliquiam aliquam fidelium venerationi objici poſſe, quam cum cognoſcunt, Deum coram ipſa prodigia perpetraſſe. Crux ipſa Jeſu Chriſti nulla alia ratione a Latronum Crucibus diſcreta fuit, quam prodigiis. Neque indicium aliud præſto fuit, quoties cetera deerant argumenta authentica, ut quamplurimas Reliquias alias veneraremur, cujus rei innumera ſunt exempla in Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Attamen hæc agendi ratio æquitatem habere non videretur, ſi licitum eſſet cum Bailleto affirmare: argumenta hæc admodum ambigua eſſe, & portenta iſta potius vivæ Fidelium Fidei, quam virtuti oſſis alicujus, vel Inſtrumenti Paſſionis, vel fragmenti veſtis Sanctorum tribuenda eſſe. Denique ſi miracula, a Deo coram Reliquiis de quibus certamus, patrata, argumenta admodum ambigua ſunt; multo magis ambigua erunt, quæ operabitur cauſſa Reliquiæ, de qua ſuſpicio ſit, & cujus veritatem aſſequi velimus; atque integrum magis erit, mira illa potius in probitatem adſtantium, quam in Reliquias referre.

Tertio animadverto, pronunciatum Bailleti, ut apparet, extenuare virtutem unius ex modis, quos ſervat in præſens Eccleſia pro Apotheoſi Sanctorum. Secundum etenim Bullam Gregorii IX. qua Divum Antonium Patavinum Faſtis Sanctorum adſcripſit, opus eſt cum virtutes tum Miracula præſto eſſe, ut quis in Beatorum numerum referatur. Porro argumentum hoc Miraculorum cenſendum erit admodum ambiguum;

Bullarium Tomo I.

guum; cum dici poterit ex doctrina Scriptoris noſtri, Deum ea conceſſiſſe vivæ citius eorum Fidei, qui Sanctos illos invocabant, quam Reliquiarum illorum ergo.

Alia demum ſupereſt animadverſio, quam mei Lectoris judicio libenter ſubmitto: Nimirum videri Bailletum, indicare velle, etſi id verba non exprimant, Deum ſæpius Miracula perpetraſſe coram Reliquiis mendacibus, ut ſervorum ſuorum fidem præmio afficeret; atque adeo miros effectus Deum parere, licet falſum ſit cultus Fidelium objectum. Anceps ſum, anne id ex his Critici noſtri verbis inferri poſſit: *Sæpius nanque oſtendit Deus, ſimplices errores facti, uti ſunt ii, qui ad Reliquias ſpectant, in quarum delectu facilis eſt allucinatio, non obeſſe, quominus cordis probitatem præmio afficiat, ſi modo illam perfecta in Deum ſpes comitetur.* Ego vero vehementer dubito, quin ullum hujuſmodi germanum miraculum revera patratum ſit.

Sed inquies, non requiri probationes alias pro veritate Bailletanæ enunciationis, niſi miras victorias, in ſacro Fœdere de Infidelibus Antiochiæ reportatas: cum perſuaſum haberent Chriſtiani, ſibi illas Deum conceſſiſſe cauſa Lanceæ, quæ ſacrum Salvatoris Latus transfixerat; & tamen Autor hic luculenter oſtendit, Lanceam illam ſuppoſititiam eſſe. Non ſunt itaque victoriæ iſtæ referendæ in præſentiam Inſtrumenti illius, ſed vivæ Fidei, & recto animo excelſoque Chriſtianorum iſtorum.

Objectio hæc duo complectitur, primo, Lanceam, de qua loquimur, falſam eſſe; ſecundo, id Bailletum oſtendiſſe. Si Inſtrumentum hoc Paſſionis Chriſti falſum dicendum eſt poſt tot Viſa divina ad illud manifeſtandum, & tot prodigia, quæ referunt quamplurimi Scriptores fide digni; verendum ſane eſſet, pauciſſimas nobis ſupereſſe Reliquias ſinceras. Et propterea non crediderim, mea intereſſe, alia rurſus addere ſuper priore parte hujus enunciationis. Reliquum duntaxat eſt, expendere argumenta Bailleti, quorum vi affirmat confidentia tanta: *Lanceam non potuiſſe non eſſe falſam.*

§. V.

Teſtimonium Autoris Chronici Paſchalis, a Bailleto relatum, Lanceæ falſitatem non probat.

TOto articulo decimo, in quo Bailletus diſputat de Lancea Jeſu Chriſti, nihil in medium affert, quod hujus Inſtrumenti Chriſti patientis falſitatem probare poſſit, præter locum depromptum e Chronico Paſchali, ſive Alexandrino. Habeto autem quibus verbis illum afferat

Autor noſter. „ Hieroſolyma tranſlata fuit Lancea VII. Kal. Novembris „ anni 614. Conſtantinopolim, ſexta circiter hebdomada poſt Translatio- „ nem Spongiæ, & quarto menſe poſt captam a Perſis Urbem, qui in- „ ter ſpolia veram quoque Crucem ſecum tulerant. Id autem affirmamus „ fide Autoris Chronici Paſchalis, parum ab illis temporibus diſtantis „ quique addit, Patricii Nicetæ ſtudio eam ſublatam fuiſſe e manibus „ gentium Perſæ Sarbara, atque ad Imperatorem vel Patriarcham Con- „ ſtantinopolitanum miſſam.

Ut autem Lectorem ita diſponamus, ut judicium ferre poſſit de accu- ratione argumentorum Bailleti, deque ejus ingenii vi in ſeligendis locis Sponſorum ſuorum, huc afferendus eſt locus Autoris Chronici Paſchalis qui loquitur ſtatim de Hieroſolyma a Perſis capta, aitque, factum hoc contigiſſe *Imperii Heraclii novi Conſtantini anno 2. circa menſem Junium*; atque adjungit: *Et XIV. Gorpiæi, menſis ſecundum Romanos Septembris menſis, Indictionis III. in tertia exaltatione vivificæ Crucis, alligata veneranda Spongia, & ipſa coexaltatur in ſanctiſſima magna Eccleſia, miſſa a Niceto Patricio. Et XXVIII. Hyperberetæi, ſecundum Romanos Octobris menſis Feria VII., ea nocte, quæ præcedit Dominicam, veneranda Lanceæ Sacris locis allata eſt, quam quidam familiaris abominandi Sarbaræ, cum ab iis fuiſſet ablata, dedit memorato Nicetæ: Et ſtatim eo ipſo die Dominico in ſanctiſſima magna Eccleſia publicatum.*

Chron. Paſch. ad ann. 614. apud Editionem Ducangii pag. 385.

Autor hic peſſime certior factus fuerat de rebus, quas paucis hiſce verbis exequitur. 1. Per ipſum Urbs Hieroſolymorum capta fuit anno 2. Imperii Heraclii, cum ex adverſo Theophanes, aliique Hiſtorici Græci & Latini nos doceant, Choſroem diruiſſe Urbem Hieroſolymam anno 5. Heraclii Imperatoris. 2. Collocat ſub anno 614. tertiam Solemnitatem Exaltationis S. Crucis; ſed Feſtum hoc inſtitutum non fuit, niſi poſtquam Lignum S. Crucis Perſæ reddiderunt, ſcilicet anno 628., & decimo nono anno Imperii Heraclii, non autem ſecundo, ut dicere opus eſt ex calculo Autoris Chronici.

3. Contendit, hæc accidiſſe *Duce Sarbara*, cum Nicetas Lanceam abſtulerit e manibus gentium Imperatoris hujus. Nihilo tamen minus Leontius tradit, tum exercitui Perſarum præfuiſſe Raſmizſum: *Cum autem Raſmizſus Dux exercitus Choſrois vaſtaſset, & depopulatus eſſet veneranda loca Hieroſolymorum*. Sarbaras autem renunciatus non fuit Dux exercituum Choſrois, niſi poſt mortem Saeſii, quem vivum cute exui fecit, quod Heraclium non prehenderit in opportunitate Colloquii cum ipſo, anno duodecimo Imperii ſui, & octavo poſt Hieroſolymam occupatam.

Leontius apud Baron. anno 614. num. 17.

Denique Spongia, & Lancea non ſane tranſlatæ fuerant Conſtantino- polim

polim anno 614., quandoquidem ſub exitu ejuſdem ſæculi Arculphus Epiſcopus Gallus duas haſce Reliquias Hieroſolymis viderat, uti narrant Adamnanus, & V. Beda.

Adamn. & Beda de Locis Sanctis.

Hujuſmodi autem eſt Autor, qui ſpondet pro Bailleto, ut piam de Jeſu Chriſti Lancea Traditionem evertat. Sed hoc loci animadvertendum eſt, doctum hunc Criticum, qui Chronicum Paſchale *rapſodiam Chronologicam* appellat, adhibere in rem ſuam verba Autoris illius, qui tot turpibus erratis ſcatet; & contendere teſtimonium Arculphi, qui Lanceam viderat, non eſſe certius, ac illud Autoris Chronici Paſchalis; & quamvis lateat tempus, quo vixit, & locus, quo ſcripſit, tamen affirmare, *utramque opinionem incertam eſſe.*

Baill. Tab. Crit. 15. Julii. Item 15. Julii in Vita 72. Diſcip.,

Atqui ſi opinio Epiſcopi Galli, qui declarat, ſe Hieroſolymis vidiſſe Lanceam ſub finem VII. ſæculi, incerta dicenda eſt, quanquam nihil ſit, cur Epiſcopum hunc mendacii redarguere poſſimus; teſtimonium quidam Autoris Chronici habendum erit tanquam omnino falſum, & ſuppoſititium; quandoquidem petitum eſt e loco mendis pleno, atque firmatum in autoritate ignoti hominis, de quo ferme omnes cum contemptu loquuntur.

Bailletus igitur nullum alium laudat, cujus fide de Lanceæ veritate dubitationem moveat, præter Autorem Chronici Alexandrini; cum tamen adverſetur ſententiæ tot teſtium oculatorum, & fide digniſſimorum, qui teſtantur, Cruce inſignitos ad Sacrum Fœdus, & Chriſtianos Paleſtinæ obtinuiſſe ſingulares victorias, quas tribuebant particulæ Crucis, & Lanceæ, delatis ante aciem a Patriarcha Hieroſolymitano, & Poncio Abbate Cluniacenſi. „ Sed accommodatius fuiſſet, inquit Bailletus, eas tribuere precibus & jejuniis univerſi populi fidelis, qui ſpem ſuam in „ Deo ponebat, quam Reliquiis, quæ falſitate laborare poterant. „ Audis, quid ſit apud eos, ſolide probare hiſtorica Facta, ſecundum rectæ, atque accuratæ Critices præceptiones.

§. VI.

De Lanceis Conſtantini, S. Mauricii, & Caroli Magni.

CRedidit Genebrardus, Lanceam, qua transfixum eſt Jeſu Chriſti Latus, in Rodulphi Burgundionum Regis manus veniſſe. Sed pro Conſtantini Lancea Jeſu Chriſti Lanceam accepit. Sæculo decimo oſtendebatur Lancea iſthæc *mirandi operis*, elaborata in modum Crucis, & contexta fragmentis clavorum Jeſu Chriſti. Uſpergenſis Abbas inquit, Lanceam hanc adhibitam fuiſſe a Conſtantino Magno, atque in poteſta-

Genebr. l. 4. Chronol.] Corr. Abbas Uſpreg. in Chr. ann. 922. Surius Tom. 5. in Vita S. Gerardi Abb. Bron die 3. Octob Luitpr. l. 4. c. 11. & 12.

ſtatem veniſſe cujuſdam Itali, Samſonis nomine, qui eam dono dedit Rodulpho Regi Burgundionum, qui in Italia diu imperaverat.

Sigeb. in Chron. ad ann. 929.

Adnotavit Sigebertus, anno 929. Henricum, Aucupem dictum, Germaniæ Regem vi precum, donorum, & minarum eam ſubduxiſſe e manibus Rodulphi, atque Othoni Magno, filio ſuo, ejuſque Succeſſoribus pro Imperii defenſione reliquiſſe: *Lanceam mirandi Operis, & Clavis Jeſu Chriſti ſanctificatam, quæ dicitur primi, & Magni Conſtantini Imperatoris fuiſſe, donatam Rodolpho Regi Burgundiorum, & Italiæ a Samſone Comite...... & hanc ad Inſigne & tutamen Imperii poſteris reliquit.* Porro decepti ſunt, qui exiſtimarunt, anno 963. Othonem Lancea iſta muneraſſe Etelſtanum Regem Angliæ, quandoquidem Uſpergenſis Abbas, qui Chronicon ſuum deduxit ad annum uſque 1229. teſtatur, eam ætate ſua habitam fuiſſe inter pretioſiores Imperii theſauros: *Eamque credimus eſſe, quæ ex tunc hodieque in Imperatorum tutela ſolet manere.*

Uſperg. ubi ſupra. Otho Friſing. l. 6. c. 18.

Nos quidem latet, quænam eſſet Lancea illa, quam Ingulphus appellat Lanceam Caroli Magni. Guillelmus Malmesburgenſis narrat, inter Reliquias, quas Hugo Galliarum Rex in munus obtulit Etelſtano Anglorum Regi, partem fuiſſe Ligni ſanctiſſimæ Crucis, & Lanceam Caroli Magni, quæ ſummo in pretio apud Gallos habebatur: *Et Lanceam Caroli Magni non apud Francos exigui pretii, quam Imperator inviċtiſſimus contra Saracenos exercitum ducens, ſi quando in hoſtem vibraverat, nunquam niſi victor habebat.* Sed fortaſſe contingere potuit, Carolum Magnum adhibuiſſe Lanceam, in qua immiſſæ fuerint Sanctorum Reliquiæ, eandemque traditam fuiſſe Anglico Regi ſub titulo Lanceæ Magni hujus Imperatoris.

Guill. Malmeſb. l. 2. de Geſtis Anglorum c. 6.

Autores bene multi de S. Mauricii Lancea mentionem fecerunt. Godefridus Viterbienſis ſcribit, in ea fuiſſe particulas Clavorum Jeſu Chriſti. Quidam Autor nos docet, in electione Conradi Imperatoris, tradita ei fuiſſe *Sceptrum, & Coronam, & Lanceam S. Mauricii.* Sugerius Abbas *in Ludovico VI. pag.* 288. eam S. Mauricii Lanceam appellat. Hugo Flaviniacenſis affirmat, *Rodolphum Regem abſque liberis exiſtentem, Conrado Imperatori Burgundiæ Regnum dereliquiſſe, & dediſſe ei Lanceam S. Mauricii, quod erat inſigne Regni Burgundiæ.* Modus autem, quo Scriptores Lanceam iſtam S. Mauricii deſcribunt, qui non abſimilis eſt ab eo, quo Lanceam Conſtantini nobis ob oculos ponunt, in cauſſa fuit, ut opinio obtineret, utramque Lanceam eandem eſſe.

Ademarus Cabanenſis pag. 182.

Hugo Flavin. in Chron. pag. 185.

Cornelius Curtius l. de Clav. Domini c. 18.

Anno 1353. Innocentius Papa VI. precibus Imperatoris Caroli IV. inſtituit Feſtum *de Lancea*, ſive alias *de apertione Lateris Jeſu Chriſti*, & *de Clavis. Regis Caroli IV.*, inquit Pontifex hic in Bulla, *ſupplicationibus inclinati, Apoſtolica autoritate ſtatuendum duximus, atque etiam ordinandum, quod*

ad

ad ipſius Salvatoris laudem, & gloriam de præmiſſis Lancea & Clavis, & ſub eorum vocabulo proprium Feſtum cum ſpeciali Officio...... a Chriſti fidelibus in eiſdem Allemaniæ, & Bohemiæ partibus perpetuo ſolemniter celebretur. Martinus Papa V. alio diplomate confirmavit Decretum Innocentii pro celebratione Feſti hujus, quod affixum fuit Feriæ 6. poſt diem Paſchatis octavum: *Feria ſexta poſt octavas Reſurrectionis Domini annis ſingulis*.

Henric. Rebdorffenſis in Annal. ad ann. 1409. Dudravius in Hiſt. Bohem. l. 21. Bzov. ad ann. 1359.

Thierius vero non probat Miſſas de Clavis & Lancea, propterea quod, inquit, „ ſine ullo Superiorum permiſſo celebrantur, atque aliæ eadem „ ratione confici poſſent de Flagellis, de Funibus, & de Spongia. Alias „ ſubjungit Criticus hic, Reliquiæ iſtæ parum adeo certæ ſunt, atque „ authenticæ; ut pleræquæ Eccleſiæ, quæ illas poſſidere jactant, minime poſſideant. Unde concludit: Quare recitari ſolent Miſſæ de Cla„ vis, & Lancea Jeſu Chriſti, quibus tamen veritas objecta non eſt. „ Judicium hoc, nullo argumento munitum, non modo nimis audens & falſum eſt, ſed Eccleſiæ quoque contumelioſum. Falſum quidem, quia duorum Pontificum Diplomata a nobis allata, aperte tradunt, Officium & Miſſam de Lancea Superiorum permiſſu non carere. Quanquam etiam Lancea Domini in Germania non ſit, non tamen Pontifices negarunt concedere, ut ejus Feſtum celebraretur. Nunquid propterea conqueri poſſemus cum Thierio: *recitari ſolere Miſſas de Clavis & Lancea, quibus tamen veritas objecta non eſt?*

Thier. Tract. de Superſt. T. 2. l. 4. c. 5. Gall.

ARTICULUS V.

De Clavis, & nonnullis aliis Inſtrumentis Paſſionis Chriſti.

SCriptores non pauci fuſe locuti ſunt de Corona Spinea, de Arundine in Sceptri locum Chriſto tradita, & de Spongia *; qua de re in his immorandum mihi eſſe non duxi. Argumentum de Clavis Jeſu Chriſti, eorumque numero, a quampluribus pertractatum fuit, quod in cauſſa eſt, cur ab eo abſtineam **. Denique cum Gerberonius nihil prætermiſerit, quod ſpectet ad Veſtem Inconſutilem, delatam a Je-

* Durandus *de Divinis Officiis l. 6. c. 7.* Alphonſus Palcotus *de Stigmatibus Jeſu Chriſti*. Mallonius ad *Paleotum c. 12.* Quareſmius *T. 2. l. 5.*

** Sauſſajus Epiſcopus Tulenſis conſcripſit Diſſ. Latine hoc titulo: *De Bipartito Domini Clavo Criſis Hiſtorica*. Daniel Mallonius *de Stigmatibus Chriſti c. 19.* Cornelius Curtius ex Ord. D. Aug. de iiſdem integram edidit Tractationem. Quareſmius ubi ſupra *pag. 420. & ſeq.*

ſu

ſu Chriſto, quam ſub extremum vitæ ejus Milites ſortiti ſunt, cujus eſſet *.; atque alii prolixa ediderint Opera ſuper his, quæ ſuperſunt majori fide digna de Sindone Sacra, aliiſque linteis Sepulchralibns Jeſu Chriſti: ii, quibus placebit de his fieri certiores, & noſſe, quid Traditio nos doceat, Autores, quos laudo, conſulere poterunt. **

Quamobrem ſatis hic erit occurrere difficultati, quæ ſuper Reliquiis iſtis moveri poſſet. Nimirum: quod Eccleſiæ bene multæ exiſtiment illas poſſidere Exempli gratia, dubitandum non eſt, Jeſum Chriſtum Cruci confixum fuiſſe tribus, vel ad ſummum quatuor Clavis; hæc nanque vetuſtior, & probabilior ſententia eſt, quippe petita ex apertis locis S. Cypriani, S. Gregorii Turonenſis, Innocentii III. Nonni, Rufini, Theodoreti, Zonaræ, & quorundam aliorum; nec non ex veteri more crucifigendi quatuor clavis, ut apparet ex antiquioribus imaginibus, quæ referunt Jeſum Chriſtum e Cruce pendentem. Quamvis itaque quatuor tantum ſint ad ſummum Clavi, plures tamen variis in locis oſtenduntur.

Cyprian. de Paſſ. Domini Greg. Tur. de Glor. M.M. l. 1. c. 6. Innoc. III. ſerm. de uno Mart. Corn. Curt. lib. de Clavis Domini c. 4.

Per occaſionem Clavorum Jeſu Chriſti, ex quibus plures quam quatuor in diverſis Eccleſiis veneramur, putavit Calvinus, poſſe ſe cultum ſuperſtitioſum Catholicæ Eccleſiæ exprobrare, & frigidis his verbis in eam jocari: *Si quis*, inquiens, *numerum inire vellet*, *grandem ſit inventurus ſummam*; quam ipſe ad quatuordecim vel quindecim calculum aſcendere facit. Sed nunquam fando audivimus de multis, quorum meminit, quemadmodum de illo, qui eſt in Eccleſia S. Helenæ Romæ, cum alius non ſit ab eo, qui in Eccleſia S. Crucis aſſervatur. Neque item apparet, ullum eſſe Clavum Senis, Venetiis, Pariſiis apud Carmelitas, vel in ſancto Sacello; neque magis extat Draguignani; ac neſcimus, ubi nam ſit Vicus hic *de la Tenaille*, in quo Calvinus alium recenſet.

Calv. de admon. Reliq.

Convenit ſane plures Clavos reperiri quam quatuor. Sed id non prohibet, quominus cultus ipſis exhibitus æquitati conſentaneus ſit. Multiplicatio nanque Clavorum Jeſu Chriſti oriri poteſt, primo quia præter quatuor Patribus cognitos, alios quoque poſſumus enumerare, videlicet eos, qui tranſverſam Crucis partem, vel Titulum affigebant; atque illos, quibus fortaſſe adhærebat ſuppedaneum Jeſu Chriſti ſecundum communem Patrum Traditionem.

* Gerberonius. *Hiſtoria de Veſte Inconſutili Jeſu Chriſti, quæ eſt Argentolli*. Item Diſſ. Gabrielis de Gaumont Preſbyteri, Domini de Chevances.

** Præter Pigonum *de Sindone Evangelica*, Paleotum, Mallonium, & Quareſmium locis citatis, conſule Joannem Jac. Chilletium, qui Volumen edidit: *De Linteis ſepulchralibus Jeſu Chriſti Criſis Hiſtorica*, in qua nihil omiſit, quod ſpectet ad Sindones Veſuntionenſem, Taurinenſem, & alias.

Secun-

Secundo fieri poteſt, Clavos, qui nunc Fidelium venerationi objiciuntur, non eſſe ex eorum numero, quos modo indicamus, ſed potius continere parvas aliquas particulas ſcobis verorum Clavorum. Videtur nanque ille, qui in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem colitur, elimatus eſſe, atque acumine carere: uti videre licet in ejus figuris, quæ vulgatæ ſunt. Immiſcebant itaque Scobem hanc in clavis ejuſdem figuræ, & materiei, quibus poſtea Jeſu Chriſti Clavorum nomen impoſitum fuit.

Denique multiplicatio hæc Clavorum Jeſu Chriſti oriri potuit ex eo, quod Fideles, ut pietati ſuæ facerent ſatis, alios veris ſimiles elaborarunt, quos poſt contactum illorum, qui in Paſſione revera adhibiti ſunt, diligenter in ſui ſolatium conſervarent. Nonnunquam etiam accidit, ut Deus ad ſervorum ſuorum pietatem remunerandam mira facta patraverit ope imaginum iſtarum, quæ Paſſionis ſuæ inſtrumenta referebant. Quare cum creſceret quotidie populorum veneratio, & periiſſent monumenta Eccleſiarum, inſequentibus temporibus fieri potuit, ut *Sanctuariis iſtis*, vel *Braudeis*, quemadmodum prioribus ſæculis appellabantur, germanarum Reliquiarum nomina imponerentur, ut proxima Diſſertatione probabimus.

Cujus veteris conſuetudinis præſto nobis eſt exemplum ſatis recens; Sanctus Carolus Borromæus conficiendas curavit imagines quaſdam S. Clavi Mediolanenſis, ut poſt Reliquiæ illius contactum Chriſtifidelibus diſtribuerentur. Unam ex iſtis muneris loco dedit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, tanquam nova Reliquia; eodem titulo aliis quoque elargitus eſt, qui eos pietatis ergo apud ſe retinere voluerunt: atque ego quidem unum ex his apud nos vidi Clermontii in Alvernia, ſimillimum alteri, qui in Eccleſia S. Crucis Romæ cuſtoditur.

Quovis igitur ex iſtis modis Clavos hoſce conſideres, per ſe liquet Fidelium cultum non referri ad ferrum, vel lignum, ſed potius ad Jeſum Chriſtum, ejuſque Paſſionem, cujus memoriam renovant tum vera ejus inſtrumenta, tum iſtorum imagines; ut pœnarum Salvatoris, quibus æternam Gloriam nobis promeritus eſt, reminiſcamur.

Quidquid affirmavimus de multiplicatione Clavorum Jeſu Chriſti, accomodare licet Veſti Inconſutili, Sindoni, Spinis, aliiſque rebus, quæ ex ſanctæ Jeſu Chriſti humanitatis contactu, ſanctitatem veluti ſuſceperunt. Si nanque id genus Reliquiarum pluribus in locis reperiuntur, id factum eſt ex iiſdem rationibus, quæ Clavorum numerum propagarunt, noſque luculenter explicabimus Articulo VII. in Diſſertatione de Reliquiis.

DISSERTATIO VI.

De Reliquiis.

POſtquam Diſſertatione præcedenti de Jeſu Chriſti Reliquiis diſputavi, non poſſum facere, quin in præſenti revocem ad judicium quid ſentiendum ſit de pretioſis Reliquiis Mariæ Virginis, Apoſtolorum, Sanctorum aliorum, & de Reliquiis omnibus in univerſum. Quod ſane non modo adjumentum afferet, ut extricemus difficultates, quæ ſæpæ per ſeſe oriuntur, vel urgeri poſſunt de authentica veritate plerarumque Reliquiarum; ſed etiam ut in tuto ponamus cultum religioſum, ſacris hiſce monumentis exhibitum, quamvis aliqua certa eſſe non videantur, & de quibus non liceat dubitare. Hæc nanque argumenta non ſemel afficiunt graviter piorum hominum animos, & multos poſtremorum ſæculorum Criticos eo deduxerunt, ut de nonnullarum Reliquiarum veritate ambigerent, atque illos oppugnarent, qui eas, uti germanas, venerabantur.

Qua, inquiunt, ratione non attingemus ſuſpicione magnum hunc Reliquiarum numerum, quæ Fidelium pietati objiciuntur, cum nullo pacto veriſimile illud ſit, ut pleræque illarum tandiu ſervatæ ſint, atque ad nos uſque pervenerint? Quæ momenta afferuntur de authentica monumentorum ſacrorum iſtorum veritate, vel de modo, quo ad poſteros traducta fuerunt? Præterquamquod non apparet, qui fieri potuerit, ut tot pretioſæ exuviæ ad illos Sanctos homines ſpectent, quibus tribuuntur: quod nimirum ſæpius accidat, eaſdem in Eccleſiis multis venerari.

His itaque fulti præſidiis Launojus, Tillemontius, Bailletus, Thierius, aliique hujus ſæculi Critici ſibi perſuadent licere, nonnullas Reliquias adoriri; tanquam falſas; vel ſuſpicioſas habere; earumque cultum, veluti dubium, exiſtimare. Quo in loco non diffitemur, eruditos Scriptores iſtos haud raro optimis rationibus inniti, & difficultates in medium proponere æquitati apprime conſentaneas. Non eſt itaque mirum, eos tam commode multiplici eruditione ſua uſos fuiſſe, ut Fidelibus probarent tanquam incertas, multas de Reliquiis Traditiones, quæ Scriptoribus aliis piæ, & vetuſtæ cenſentur. Sed tamen mihi videtur, uti-

lius

lius ii futurum fuiſſe ut adhibuiſſent regulas accuratæ Critices in defendenda bona fide Chriſtianorum, atque Antiſtitum Eccleſiaſticorum providentia, qui cultum iſtum, vel concedunt, vel ſaltem tolerant; quam in ferendis dubitationibus de pleriſque Reliquiis, atque in oſtendenda mordicus gravi aliquarum ſuſpicione, quæ minorem certæ veritatis ſpeciem præſeferunt.

Quemadmodum etenim ſummo ingenio, & recondita pollent ſapientia, promptum ita fuiſſet eis reſpondere impiorum, atque Hæreticorum objectis, qui ne unam quidem veram fateri volunt, & tueri ingenuam populi Chriſtiani fidem in cultu ipſis præſtito, atque adeo propugnare obſequium Reliquiarum multarum, de quibus ſcrupulus aliquis commoveri poſſet. Sed viſum eſt ipſis alias inire vias, utpote certas, licet locis duntaxat communibus, atque argumentis negantibus innitantur. Quamobrem ſtudium meum in id conferam, ut aperiam fontes non paucos, quibus factum eſt, ut Reliquiæ permiſcerentur; ut oſtendam, nonnullarum cultum, habitum, uti, falſum vel dubium, æquiſſimum, & rectiſſimum mihi videri; & poſtremo loco in medium afferam quædam documenta, unde germanarum Reliquiarum ab iis, quæ ſuppoſitæ, vel ſuſpicioſæ ſunt, diſcrimen habere poſſimus.

PARS PRIMA.

Fontes Confuſionis, atque incertæ veritatis plerarumque Reliquiarum.

Immanitas Ethnicorum, impietas Hæreticorum, diſſolutorum, atque deceptorum hominum; negligentia, vel avaritia quorundam Eccleſiaſticorum; quemadmodum injuriæ temporum in cauſſa fuerunt, cur non raro ſuper Reliquiis allucinaremur. Ignorantia quoque, & ſimplicitas Fidelium, ſingularis eorum veneratio in pretioſas Sanctorum Reliquias, immo etiam in id omne, quod illas attigerat, vel ad ipſas referri poterat, non modicum ad earum permixtionem, incertamque veritatem contulerunt. Ii ipſi, qui Reliquiarum defenſionem aggreſſi ſunt, vim facientes in fabulis, in Hiſtoriis futilibus, levibus conjecturis, teſtimoniis Autorum exigua fide præſtantium, interdum fontes fuere, licet præter ipſorum animum, unde quamplurimæ in hominum contemptum, & ſuſpicionem venirent. Eruditi demum Critici flagrantes ſane egregio veritatis ſtudio, ex ſacris iſtis monumentis multa adorſi ſunt, eaque ſuppoſititi a vel dubia Fidelibus perſuadere curarunt, quos non raro, præceptis cujuſdam Critices, ut mihi videtur, decipientis, vel ſeverioris, in fraudem induxerunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Ethnici, atque Hæretici conati ſunt, ut Sanctorum Corpora diſperderent, Reliquias ſupprimerent, atque ignotas redderent.

A Primis Eccleſiæ ſæculis Ethnici homines in eo vim omnem ſuam poſuerunt, ut Religionem Chriſtianam perderent; & memoriam eorum, qui pro ejus defenſione Sanguinem fuderant, exterminarent. Quot nanque inhumanis artibus uſi ſunt, ut nullum ſacrorum Corporum illorum veſtigium relinquerent? Ea projecerunt voranda beſtiis, avibus, & piſcibus, atque igne abſumenda oſſa, quæ belluarum edacitatem evaſerant: cineres demum in mare, & flumina jecerunt, & vento diſperſerunt, ut Chriſtianis auferrent ſolatium, juſta poſtrema ipſis perſolvendi.

Rabiem denique ſuam eo inhumanitatis adduxerunt, ut Martyrum oſſa cum beſtiarum, atque impiorum, & ſontium oſſibus miſcerent. Quæ Gentilium immanitas adeo eorum corda obduraverat, ut Chriſtifideles movere eos non poſſent, neque, precibus neque promiſſis, neque muneribus, ut ſibi permitterent, Corpora Martyrum colligere, ne vel a canibus devorarentur, vel igne abſumerentur.

In quam rem juſtum ſane volumen efficerem, ſi vellem omnia Patrum loca recitare, quibus vivam nequitiæ tantæ imaginem exprimunt. Poſt mortem Juliani Apoſtatæ, qui hac immanitate in Chriſtianos uſus fuerat,

Greg. Nazianz. Orat. 3. in Jul.

S. Gregorius Nazianzenus ita habet: *Non jam Gentiles Martyrum Sepulchris ignem admovebunt: non jam Sanctorum Reliquias cum viliſſimis oſſibus per contemptum permixtas flammis abſument, aut in ventos ſpargent; ut eo honore, qui hujuſmodi hominibus debetur, ipſos privent.*

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 1.

Euſebius diſputans de Martyribus Lugdunenſibus, qui in M. Aurelii vexatione vitam pro Chriſto dederunt, narrat, ſatis non fuiſſe Tyranno, eorum corpora Canibus objeciſſe; niſi oſſa ipſa incenderet; *eoſdemque cineres fluvio Rhodano, ne quid ad memoriam qualemcumque reliqueretur, inſpergeret.*

Ambroſ. Exhort. ad Virg. & Ep. 55.

S. Ambroſius nos docet, Vitalem, atque Agricolam, qui Diocletiano imperante Martyrium paſſi ſunt, *inter Judæorum corpora reconditos fuiſſe, ne a fidelibus reperirentur.*

Alia quoque ratione uſi ſunt, eodem Chriſtianos inſectante, ut prohiberent, ne Chriſtifideles tollerent corpora ſtrenuorum Martyrum Tara-

chi,

chi, Probi, atque Andronici, utque ipſorum Reliquias internoſcere non poſſent: *Sceleratus judex nobis invidens Sanctorum reliquias, jubet Corpora Martyrum profanis admiſceri corporibus, quæ fuerant interfecta a gladiatoribus.* Id vero quod ſcriptum reliquit Sozomenus de Sanctis Martyribus Euſebio, Neſtorio, & Zenone magis execrandum videtur: *Reliqua autem oſſa, quæ ignis neutiquam abſumſerat, oſſibus Camelorum, & Aſinorum, quæ ibi projecta erant, admiſcent, adeo ut perdifficile eſſet ea inter oſſa reperire.*

Acta apud Surium Tomo 5. 2. Oct.

Sozom. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 8.

Scriptores Eccleſiaſtici meminerunt aliorum multorum inventorum diabolicæ revera nequitiæ, quæ adhibebant Pagani homines, ut Reliquiarum Sanctorum memoriam abolerent? Theodoretus ſermonem habens de Martyribus Paleſtinis, qui ſanguinem ſub Juliano Apoſtata Chriſto dederunt, affirmat Sacerdotum, & Virginum *ventrem eos diſcidiſſe, deinde farſiſſe hordeo; ad extremum eos porcis devorandos objeciſſe.*

Theodor. de Martyr. Paleſt.

Martyrologium Romanum non uno in loco adnotavit, tempore Adriani Imperatoris Aurelianum Præfectum, ut omnem Chriſtianis adimeret poteſtatem colligendi SS. Martyrum Reliquias, omnemque illorum memoriam perderet, in navim coactos multos Jeſum Chriſtum confitentes, atque in altum deductos, gravibus lapidibus collo alligatis, in mare merſiſſe. Euſebius quoque in Hiſtoria Eccleſiaſtica idem narrat de Martyribus multis, qui in Diocletiani vexatione pro Fide occubuerunt.

Martyr. Rom. 4. Idus April. item 5. Kal. Maii.

Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 8. c. 6.

Quo autem furore non exarſerunt Proteſtantes ſub initium novæ illorum Reformationis in Sanctorum Reliquias? Si Eunomius ipſarum cultum oppugnavit, eumque ſectati ſunt Vigilantius, Claudius Taurinenſis, aliique Hæretici bene multi: non tamen legimus, eos impie admodum Martyrum, & Sanctorum Sepulchra violaſſe, cinerum illorum pacem turbaſſe, vel ſacras Urnas, in quibus religioſe ſervabantur, fregiſſe. Hæc ſane barbaries novis Hæreticis peculiaris futura erat; qui in eam demum fraudem deſcenderunt, quæ Gentilium furorem fugerat, atque a Diabolo revera in eorum mentem immiſſa fuerat. In Urbibus nanque, in quibus dominati ſunt, non modo Reliquias cremarunt, omneſque earum memoriæ notas ſuſtulerunt; ſed alias quoque falſas priorum loco poſuerunt; immo res etiam turpes, ut Fidelium pietatem fallerent, atque illuderent cultui, quem pretioſis iſtis Sanctorum exuviis præſtabant. Tot denique execranda ſuper hac re commiſerunt, ut prudentiores, atque illuſtriores Proteſtantium barbaram hanc, impiamque agendi rationem abominati ſint, & ſolemni ritu damnarint.

Atque hæ ſunt artes Paganorum, & Hæreticorum, ut commiſcerent, immo penitus perderent Sanctorum Reliquias, ſi modo per Deum id licuiſſet. Quæ ſacrilegia non modo abſtulerunt ab Eccleſia magnum The-

ſauro-

ſaurorum iſtorum numerum, ſed alios quoque multos dubios ſuſpicioſoſque reddiderunt. Nihilominus innocens Fidelis populi error in rem hanc Religioni nocere non poteſt; licet nonnullæ Reliquiæ fortaſſe veris ſuppoſitæ fuiſſent, quod deinceps probabimus. Fruſtra igitur Proteſtantes opponunt nobis Reliquiarum confuſionem, incertamque veritatem, undecumque demum ortum ducat; exprobrantque Catholicis, nos belluarum, aliarumque profanarum rerum oſſa venerari: quoniam cultus Reliquiis exhibitus non eſt cultus Latriæ; & Fideles non venerantur Reliquias, niſi quia ratum habent, Corpora Sanctorum, qui cum Chriſto regnant, fuiſſe membra ipſius viva, templum Spiritus ſancti, atque a Jeſu Chriſto in vitam æternam ſuſcitanda eſſe.

ARTICULUS II.

Qui Sanctorum Reliquias vel ſuppoſuerunt, vel vendiderunt, vel furati ſunt, multas quoque incertas reddiderunt.

S. Aug. l. de Oper. Mon. c. 28.

Greg. l. 3. Epiſt. 30.

Greg. Turon. l. 9. Hiſt. c. 6.

HIſtoria Eccleſiaſtica redundat exemplis ſceleſtorum, atque impiorum hominum, qui nequiter falſas Reliquias confinxerunt, & mercatu turpiſſimo, ac ſacrilego venales habuerunt. Ætate ipſa D. Auguſtini Monachi, quos *Circumcelliones* nuncupare poſſumus, veris Reliquiis falſas ſupponebant. S. Gregorius Papa redarguit facinus quorundam Græcorum, qui Romæ e mortuorum ſepulchris oſſa eruebant, atque in ſuas regiones delata, tanquam veras Sanctorum Reliquias, venditabant. S. Gregorius Turonenſis quoque meminit cujuſdam Heremitæ nomine Deſiderij, qui ſecum ſerebat radices, atque oſſa Muſculorum, atque hæc ex Hiſpaniis, utpote Sanctorum Vincentii, & Felicis Reliquias, tranſtuliſſe jactabat.

Glaber. Hiſt. l. 4. c. 3.

Thier. de Superſt. T. 1. l. 2. c. 1.

Iſidorus Hiſpal. l. 2. de Div. Off. c. 3. Bonif. ad Zachar. Pap. apud Sirm. T. 1. Concilior.

Ævis pariter inſequentibus hujuſmodi deceptores non defuerunt. Glaberius Monachus, undecimi circiter ſæculi Scriptor, loquitur de quodam verſipelli homine, qui oſſibus, e ſepulchris erutis, nomina Prophetarum, Martyrum, & Confeſſorum accommodabat, & turpiter Fidelium pietati, qui ſummo ſtudio id Reliquiarum genus perquirerent, imponebat. Nec defuerunt, qui lapidem, a Latinis dictum *Amiantum*, pro veræ Crucis Ligno oſtentarent, & venderent; aliaque multa hujus rei exempla a Scriptoribus Eccleſiaſticis relata conſulto prætereo.

Porro eos quoque vituperari, atque horrere non deſino, qui impuden-

tia ſingulari ſacras Reliquias furati ſunt, vel ut ſacrilegam ipſarum mercaturam facerent, vel ut in alias Eccleſias transferrent: licet improbare nullo modo poſſim conſuetudinem traſferendi corpora e loco in locum, quoties vel pietas, vel neceſſitas id poſtulavit.

Gallici p. 553. Polid. Virgil. l. 7. de rer. inv. c. 7. & alii.

Nemo unus ignorat, Corpus S. Marci Evangeliſtæ Alexandria ſublatum, & Venetias delatum fuiſſe. Reliquias pariter S. Vincentii, quæ erant in Vico Diœceſis Turonenſis furati ſunt, ut narrat S. Gregorius Turonenſis. Autor Vitæ S. Benedicti tradit cogitatum, quo uſi ſunt, ut Reliquias S. hujus Patriarchæ clam ſurriperent: *Dum apud Sacrum Caput ſe pernoctare ſimulaſſent, ejuſdem Patris Benedicti filii oſſa auferentes, in ſuam Patriam apportaverunt.* Alia quoque ſacrilegorum furtorum iſtorum exempla legi poſſunt apud S. Gregorium Turonenſem, Vvalafridum Strabonem, Glaberium, Surium, & quoſdam alios.

Gregor. Turon. l. 1. de Glor. Mm. c. 90.

Adrevaldus l. 1. de Mir. S. Ben. c 11. & Hiſt. de ejus Transl. c. 4. & 5.

Paulus Diacn. l. 6. Hiſt. Longob. Manriq. Annal. Ciſterc. ad ann. 1171. c. 13.

Ut autem facinora hæc præcaverent, iccirco legimus non raro in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Sepulchra Sanctorum cuſtodiri conſueviſſe, vigilias agi noctu in Eccleſiis, & Corpora Sanctorum ſub Altari recondi, ſive in aliis locis diligenter clauſis, quo a ſacrilegis manibus in tuto eſſent. Cyrillus Heremita perhibet in Vita S. Euthimii, Reliquias Sancti hujus collocatas in Eccleſia fuiſſe ab ipſo conſtructa, atque ita concluſas in ſcrinio, *ut nunquam poſſet amplius aperiri, & ne vel minimæ ejus auferri poſſent Reliquiæ.* Veneti pariter timentes, ne Corpus S. Marci ſibi auferretur; *ita in ſumptuoſa recens erecta Baſilica eadem Sacra pignora collocarunt, ut ubi locorum in ea poſita eſſent, penitus ab aliis ignoraretur.*

Greg. Tur. l. 1. de Glor. Mm. c. 44. Valafridus Strabo l. 2. Vita S. Gall. Surius die 12. Jan. & 16. Oct.

Glaberius, Evagrius, Anſiſſus lib. de Reliq. cultu D. 22.

Petrus Damianus in Vita SS. Rodulphi, & Dominici Loricati c 13.

Baron. ad ann. 820. num. 30.

Concilia item ipſa Leges ſeveriſſimas condiderunt, ut hujuſmodi latrocinia cohiberent. Lateranenſe celebratum ſub Innocentio III. *Decrevit, ne antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam oſtendantur.* Concilia Mediolanenſia, & præſertim Turonenſe, celebratum anno 1282. *Illos præcipue Sacerdotes, qui Eccleſiarum Calices, Libros, Reliquias, vel alia Eccleſiæ ornamenta furtive ſubtraxerint, ſtatuerunt præſentis autoritate Concilii excommunicationis ſententiæ ſubiacere.*

Concil. Later. ſub Inn. III.

Concil. Med. Prov. . & IV. Apud Bochell. Decret. Eccleſ. Gall. l. 8. Tit. 62. c. 1.

Quæ cum ita ſint, promptum eſt animadvertere, haſce omnes Reliquiarum fictiones, & mercaturas non ſemel deceptionum multarum in cauſſa fuiſſe, non ſecus atque, cur eædem Reliquiæ variis in locis venerarentur homines, immo putarent in Eccleſia quadam ſacra ea oſſa poſſidere, quæ in alia aſſervabantur. Quo factum eſt, ut poſt traductas Reliquias S. Marci Venetias, populus Alexandrinus ſe de illarum poſſeſſione jactaret. Incolæ nanque hujus Urbis ex miro odore, quem effundebant Reliquiæ, dum auferebantur, ſuſpicantes de furto, turmatim ad Eccleſiam cucurrerunt, in qua ſacrum Corpus quieſcebat, & aperto ſepulchro, repertoque corpore S. Claudii, quod in alterius locum poſuerant:

cum

Baron. Tom. 9. ad ann. 820. num. 41. *cum id vidiſſent*, inquit Baronius, *creduli facti ſunt, quod D. Marci Corpus ibi jaceret, ſedato tumultu ad propria remearunt.*

ARTICULUS III.

Plerarumque Reliquiarum confuſio, & jactura tribui poteſt non modo negligentiæ cuſtodum, ſed injuriis temporum.

NEgligentia eorum, qui Reliquias cuſtodiebant; non parum erroribus innocentibus contulit, qui ſuper hac re emerſerunt. Precioſa hæc Depoſita per quamplurimorum hominum manus traducta ſunt multorum ſæculorum ſpatio, quorum plerique Eccleſiarum ſuarum monumenta ignorarunt, in quibus de Reliquiis ibi aſſervatis mentio erat; atque adeo ſenſim ſacrorum Theſaurorum iſtorum memoriam amiſerunt. Inde ſæpe factum eſt, ut crederent multi, immo nunc quoque credant, ſe poſſidere Sanctorum Reliquias; etſi in Eccleſiis illis nihil Sancti illius, præter nomen fortaſſe ſuperſit.

Greg. Turon. l. 1. de Glor. Mm. c. 33. S. Gregorius Turonenſis narrat: *Erat Oratorium apud Vrbem Turonicam, ab antiquis S. Stephani nomine dedicatum, quod nos parumper juſſimus prolongari: quod cum factum fuiſſet, altare, ut erat integrum, in ante promovimus; requirentes vero in loculo, nihil de pignoribus Sanctis, quod fama ferebat, reperimus.*

Quot ſunt Eccleſiæ, quæ exiſtimant apud ſe extare integrum Corpus alicujus Sancti; interim dum in illis nihil, niſi aliquod Reliquiarum illarum exiguum fragmentum reperitur? Quot jactant Sancti alicujus Corpus habere, quod tamen alterius eſt? Quot demum unum pro alio colunt? Quod quidem contigit ætate D. Auguſtini, qui memorat, Anconæ in Italia fuiſſe Altare, S. Stephano Protomartyri erectum, in quo opinio erat, Sancti illius Brachium contineri; cum tamen lapis tantum eſſet, quo Brachium ejus appetitum fuerat, quodque vir præſens ejus Martyrio collegerat, aque eo detulerat. Evidens igitur eſt eorum, qui Reliquiam hanc receperant, negligentia; quandoquidem populi venerationi objiciebant brachium S. Stephani loco lapidis; antequam etiam Sancti ejuſdem corpus detegeretur, ut Divus Auguſtinus adnotavit. (Aug. Serm. 323.)

In eandem negligentiam referre poſſumus, quod perierit memoria locorum, in quibus Martyrum multorum Reliquiæ quieſcunt, & aliquando fortuito cognoſcuntur: veroſimillimum nanque ſit, in Eccleſiis non paucis recondita eſſe Sanctorum corpora, de quibus altiſſimum ſilentium

eſt.

eſt. Honoratus Epiſcopus Bononienſis, cum effodere feciſſet Eccleſiam S. Stephani ejuſdem Urbis, Sacrum S. Petronii corpus feliciter reperit, qui eo in loco multo ante jacebat, quin ulla fuiſſet hujus rei memoria. Quæ omnia incommoda non accidiſſent, ſi Sacris Præfecti, vel ii, quibus ſanctorum Theſaurorum iſtorum cura demandata fuerat, monumenta, membranas, Eccleſiæque Annales expendiſſent.

Cardinal. Sigon. in Vita S. Petron.

Non diffiteor, jacturam monumentorum veterum, quæ in Eccleſiarum tabulariis concluſa erant, maximum attuliſſe incommodum cum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ generali & privatæ, tum etiam Traditioni de Reliquiis Sanctorum. Quot venerandæ antiquitatis inſignia perierunt; quot res memorandæ ſublatæ ſunt, atque oblivione deletæ; quotque pretioſæ Reliquiæ perierunt, vel cum aliis commixtæ ſunt ex monumentorum jactura, in quibus illarum memoria fiebat?

Injuria temporum; bella domeſtica, atque extranea; furor Æthnicorum, Hæreticorum, atque Eccleſiæ hoſtium; incendia, & id genus alii caſus Eccleſias multas privarunt adjumentis omnibus, quæ ad poſteros traducere poterant memoriam Reliquiarum illarum, quam majores noſtri diligenter ad nos propagaverant, ſive in Scripturis Eccleſiarum, ſive in Inſcriptionibus marmoreis, vel alterius rationis, ſive in Picturis, Symulacris, aliiſque hujuſcemodi modis.

Quis igitur poſt hæc admirabitur, tantam eſſe in Reliquiis perturbationem, & tanti operis authenticam earum veritatem probare, fontes aperire & canales, e quibus manarunt? Quis admirabitur, Sancti alicujus Reliquias coli, quamvis alterius ſint, & parum certis Traditionibus illi tribuantur: poſtquam indicia omnia, quæ illas diſtinguere poterant, & ſecernere vel negligentia cuſtodum, vel temporum injuria, deleta fuerunt? Inferius tamen perſequemur prudentes Superiorum Eccleſiaſticorum, & ſecularium proviſiones, & Decreta, ut caverent ea, quæ Reliquiarum confuſionem parere poterant.

ARTICULUS IV.

Pietas ipſa Fidelium erga Sanctorum Reliquias earum ſuſpicioni conferre potuit,

A Primæva Chriſtianæ Religionis ætate Chriſtifideles Sanctam pro Divorum Reliquiis æmulationem oſtenderunt, & ſingulari pietate eas venerati ſunt. Tanta etiam aviditate eas concupiebant, ut ne-

que ſtudiis neque impenſis parcerent in illis undequaque conquirendis: & ſi quando eas acquirere non poterant, vias multas ipſis pietas ſternebat, ut ardori ſuo faeerent ſatis, & curabant aſſequi ſaltem ea, quæ ſacra ipſorum oſſa contigerant; niſi illorum partem obtinere potuiſſent.

Hom. de Sancti Juvenc. & Max. MM.

Quot Chriſtiani in mortis ipſius diſcrimen venerunt eadem de cauſſa? Vix, inquit D. Joannes Chryſoſtomus, Sancti Juvencus, & Maximus Martyrium ſubjerunt, nonnulli Chriſtiani ſtenui eos inde cum vitæ periculo ſuſtulerunt, ut cum honore humi committerent. Qua de re eos vocat S. Pater *Martyres vivos*, qui licet ſemper Martyrio non afficerentur, id tamen ſæpius in Charitatis ſuæ præmium aſſequebantur.

In Actis MS. Baſil. Later.

Martyr. Rom. 15. Martii.

S. Gaud. Brix. Orat. de 40. M M. Surius 8. & 12. Sept. Martyrol Rom. 3. Januarii.

Quod ſane contigit Divo Juſtino, qui ob collecta, & ſepulta corpora Sanctorum Hippoliti, & Irenæi, Cyrilli, & Concordii, Martyrio coronatus eſt. Martyrologium Romanum nobis tradit, S. Nicandrum eadem forte gaviſum fuiſſe: *In Ægypto Sancti Nicandri Martyris, qui cum Sanctorum Martyrum Reliquias ſtudioſe perquireret, & ipſe Martyr effici meruit ſub Diocletiano*. Hiſtoria quoque Eccleſiaſtica meminit multorum Jeſu Chriſti ſtrenuorum militum, & Sanctarum Matronarum, quæ diſcrimen omne ſubire non verebantur, ut e Carnificum manibus Martyrum corpora redimerent, vel eorum ſanguinis guttas colligere poſſent.

Acta apud Surium 2. Nov.

Quæ Fidelium pietas in Sanctorum exuvias eos adduxit, ut vi etiam pecuniæ grandi eas redimerent. Chriſtiani nanque impenderunt pro capite S. Hieronis tantum auri, quantum ponderis erat. Legimus in Actis S. Bonifacii, Martyrio affecti Tharſis, quo perexerat, collecturus Sanctorum Jeſum Chriſtum confitentium Reliquias, Socios ejus *quingentis ſolidis ejus corpus redemiſſe*.

Idem erga Sanctorum Reliquias ſtudium eis perſuaſit, ut magnifica Templa ædificarent, in quibus cuſtodirentur, Altaria erigerent in eorum honorem; ſuperba Mauſolæa extollerent; hæc omnia loca pretioſis ornamentis ditarent, ſive pro divinis Myſteriis celebrandis, ſive pro ipſorum Sepulchris, Arcis, vel Thecis illuſtrandis. Nihil hic dico de diuturnis, & laborioſis peregrinationibus, de ſupplicationibus, de Cœtibus, & Collectis quas faciebant Chriſtiani, ut Sanctorum Reliquias, & loca, in quibus aſſervabantur, venerarentur. Sed quantumvis laude dignum eſſet ſtudium hoc, pietas, & ſummum Fidelium ſacris Sanctorum ſpoliis obſequium; cogimur tamen fateri, pium hunc, quo erga Reliquias flagrarunt, ardorem, errores multos non raro peperiſſe, & voluntarias deceptiones, quæ temporum conſecutione in rem hanc indu-

ci

ei potuerunt. Cum etenim undique Reliquias habere conquirerent, parum ſtudii collocabant in Oſſium ſacrorum veritate dijudicanda, multum vero in pietate ſua excolenda: rati ingenuam fidem dolis omnibus occurrere. Hiſtoria Eccleſiæ exempla multa nobis ſufficit errorum iſtorum, quæ ardoris minus moderati culpæ tribui poſſunt.

Miles amore ductus ſingulari erga D. Thomam Cantuarienſem, vehementer particulas exoptabat Reliquiarum ejus, & ſummo ſtudio perquirebat. Callidus quidam presbyter frænum ei dedit, ipſi obtrudens illud eſſe, quo Beatus Thomas utebatur: *Miles vero frænum cum multa devotione recepit; atque in honorem Martyris Eccleſiam condidit: loco Reliquiarum frænum Sacerdotis peſſimi in ea reponens.*

Manrique An. Ciſter. ad ann. 1171. cap. 3.

Pietas non minus credula cujuſdam nobilis Viri Senenſis nihil æque alio deceptore illuſa fuit. *Cum etenim aliquam particulam corporis D. Auguſtini, quam coleret, habere apud ſe vehementer exoptaret*, Papiam ſe contulit, Æedituum allocutus eſt, qui dedit ipſi pollicem dexteræ manus cujuſdam hominis paullo ante ſepulti: *quem Patricius reverenter accipiens, religioſiſſime colebat; modo ori, modo oculis admovens, ſæpe eundem ſinu refovens.*

Joſeph. Pamphil. Chron. FF. Erem. S. Aug. ad ann. 1477. Jord de ſaxon. Serm 59. de S. Aug. Tranſ. Glaberius l. 4. Hiſt. c. 2.

Quibus omnibus aliud addendum eſt immodici hujus pro Reliquiis ſtudii, atque ardoris exemplum. Monachus Glaberius, qui anno circiter 1040. vivebat, meminit cujuſdam vaſerrimi hominis, qui ne agnoſceretur, nomen crebro mutabat. Hic e Cœmeteriis oſſa ſumebat, & pro S. Juſti Martyris Reliquiis venditabat. Qua arte non modo plebeculam decepit, ſed Manfredum etiam Virum potentiſſimum, & ditiſſimum. Hic nanque jactatis Reliquiis iſtis potitus, magnificentiſſimum Monaſterium in honorem B. Mariæ Virginis ære ſuo conſtruxit, multoſque Epiſcopos congregavit, ut Eccleſiam hanc conſecrarent, in qua S. hujus crediti Martyris Juſti Reliquias, aliis Martyrum oſſibus permixtas, collocarunt. Idem Autor conſiderat, Deum mira facta perpetraſſe, ut populi illi errorem deponerent: *Vulgus tamen ruſticanæ plebis injuſti nomen pro Juſto venerans olim in ſuo errore permanſit.* Deus tamen graviter non ſemel in eos animadvertit, qui falſas Reliquias confinxerunt; cujus exempla require apud Bollandum *T. 2. Jan. pag.* 290. Et Mabill. *ſæc.* 4. 1. *p. pag.* 402.

Habes igitur, qua ratione pietas immoderata in quarundam Reliquiarum cultu decepta eſt. Cum etenim Fideles hac ducerentur pietate ad perquirendas undique Sanctorum Reliquias ſine delectu, error privati alicujus multis propagari potuit, & ſuſcepta a primo, vel Reliquia Sancti alicujus pro alio, vel falſa, & ſuppoſititia pro vera; alii poſtea ſine ullo diſcrimine eundem cultum ipſi reddiderunt.

Nihilo ſecius animadverſione dignum eſt, ut deinceps probabimus; nullum eſſe in Hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum, quo nobis compertum ſit Deum aliquando conſimiles errores non revelaſſet, uti hactenus oſtendimus. Atque ad præcavenda hæc incommoda Concilia, atque Antiſtites tot Sanctiones pias ediderunt, optimaſque regulas promulgarunt, ut ſuper Reliquiarum delectu Fidelium ardorem moderarentur.

ARTICULUS V.

Diviſio Corporum Sanctorum multas eorum Reliquias incertas reddidit.

Theod. l. 8. de cur. Græcan. affect.

COnſuetudo dividendi oſſa Sanctorum nihilo recentior eſt, ac Fidelium pietas erga eorum Reliquias. Theodoretus quidem nos docet, ipſius ætate vix unum Corpus repertum fuiſſe, quod omnibus ſuis partibus conſtaret. *Animæ quidem*, inquit, *triumphatorum Martyrum in cœleſti Patria vitam agunt: eorum vero corpora non ſingula quidem ſingulis monumentis conduntur; ſed civitates, & oppida hæc inter ſe ſortito partiti ſunt: laborantibuſque animis, & ægrotis corporibus, ſalutares eos conſiteri non ceſſant*. Porro nos examinaturi ſumus in præſentia rationes, cur Eccleſia Corporum Sanctorum diviſionem conceſſerit; nec non conſuetudinis hujus incommoda.

§. I.

Ratio Prima dividendi Corpora Sanctorum.

Miracula a Deo in ſingulis eorum minutis particulis patratæ.

Greg. Nazianz. Orat. in Jul.

ITa ſentit Gregorius Nazianzenus: *Sectis* videlicet *corporibus integram tamen vim, & gratiam perſeverare, tenueſque ac tantillas Reliquias parem habere, multaſque in partes diſſecto Martyre virtutem*. Quod in cauſſa fuit, ut aſſereret Gaudentius Brixienſis, diſputans de Reliquiis quadraginta MM: *Ipſa pars, quam meruimus, plenitudo eſt*.

Gaud. Brix. in Dedic. Baſilicæ 40. MM.

Paul. Natali XI. inter frag. a Duzgaio collecta.

S. Paulinus quoque, cum enumeraſſet Reliquias in Eccleſia S. Felicis aſſervatas, animadvertit, in minutioribus particulis Oſſium iſtorum Deum minori virtute non operari, ac in toto corpore; cujus verba hæc ſunt.

De-

Debita tantis
Sunt loca corporibus: Neque tantum qua jacet ora,
Totum corpus, ibi poſitorum gratia vivit:
Sed quæcumque pii eſt pars corporis, & manus extat,
Conteſtante Deo meriti documenta beati:
Magna, & exiguo Sanctorum pulvere virtus
Clamat Apoſtolici vim corporis indice verbo.

Propterea jubet S. Gregorius Nazianzenus: *Exiguum etiam pulverem, vel Oſſium veterum quampiam particulam, aut paululum comæ, veſtiſve, aut ſparſi ſanguinis quaſdam notas cultum habere parem, atque integrum corpus.*

Greg. Naz. ubi ſupra & Jam. 18. Elias Cret. in Orat. citata S. Greg. Naz.

S. Ambroſius nos docet, qua ratione tenuiores Reliquiarum Martyrum partes colere debeamus. *Honoro*, inquit, *in carne Martyris ſuſceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro memoriam virtutis, quæ nunquam deſinet. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi ingerit Deum amare, & mortem pro Chriſto non timere. Cuncti quidem Martyres devotiſſime percolendi ſunt; ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt a nobis, quorum Reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant; iſti etiam adjuvant paſſione.*

Ambr. Serm. in Feſto Sanctorum Nazar. & Celſi MM.

Si cultus minutioris Reliquiarum Sanctorum particulæ ad Dei gloriam confert, affirmante Hieronymo, *Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum*: vim quoque habet ad excitandam Fidelium pietatem, & venerationem in pretioſas Sanctorum Reliquias, & cineres ſacros; atque ad impetranda a Deo auxilia cum animæ, tum corporis, ac ſi corpora ipſorum integra adeſſent.

Hieron. Epiſt. ad Rep.

Qua de re Eccleſiæ Patres fatentur Sanctorum Reliquias multo pluris faciendas eſſe, quam omnes Orbis totius Theſauros. Hi etenim diviſione minuuntur: illæ diviſione Potentiam divinam magis patere faciunt: *Sanctorum exuvias Theſauris etiam longe pretioſiores exiſtere ...... Talis quippe eſt Spiritualium natura; diſtributione creſcit, & diviſione multiplicatur.*

Chryſoſt. hom. 65. de Sanctorum Mart. Ambroſ. Exhort. ad Virg. Greg. Naz. Orat. in S. Cyprianum.

Porro gratiæ, quas ſæpe a Deo Fideles obtinebant propter venerationem, particulis Sanctorum exhibitam, pietatem ipſorum excitabat, ut contenderent, aliqua ſaltem ipſorum fragmenta poſſidere, cum totum corpus nequaquam poſſent: ex quo neceſſe erat, corpora partiri; atque huc illucque transferri.

§. II.

§. II.

Secunda Ratio.

Dedicationes Eccleſiarum.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 10. c. 3.

COnſuetudo dedicandi Eccleſias vetuſtiſſima eſt; quoniam Euſebius autor eſt, poſt pacem a Deo datam Eccleſiæ ſuæ Conſtantini Imperatoris tempore, operam omnem collatam fuiſſe ad reſtituendas Eccleſias, in vexationibus dirutas, novaſque ædificandas, quæ ab Epiſcopis ſolemni ritu conſecrabantur. Idem Hiſtoricus narrat, ſe Orationem recitaſſe coram Epiſcopis multis in Dedicatione Eccleſiæ Tyri.

Euſeb. ibidem cap. 4.

Athanaſ. ad Imper Conſtan. Apologia.

Et ſane dicendum eſt, tunc fuiſſe ejus ætatis morem; cum Ariani, ut Conſtantium Imperatorem in Athanaſium commoverent, inter cetera eum accuſabant, quod Rem divinam in Eccleſia minime conſecrata celebraſſet. Hoc autem loci non expendo, utrum Eccleſiarum Dedicatio peculiaribus Ceremoniis tum perageretur: num ſatis eſſet Miſſas celebrare, vel opus eſſet præter id Chriſmatis unctionem, & Sacerdotis benedictionem adhibere. Hæc nanque mei muneris nequaquam ſunt, & quilibet videre poteſt in Sacramentario D. Gregorii recenſionem ceremoniarum, quæ in Eccleſiarum Dedicatione ſervabantur. Mea igitur intereſt duntaxat oſtendere, olim nefas fuiſſe, Eccleſiam dedicare, vel conſecrare, niſi in ea Reliquiæ Sanctorum, & præſertim Martyrum ponerentur. Subjicio quædam hujus rei exempla. Sanctus Ambroſius orantibus enixe, ut Eccleſiam quandam conſecraret, reſpondit: *Faciam, ſi Martyrum Reliquias invenero*. Cum Sulpicius ſeverus magnificam extruxiſſet Eccleſiam, non audebat illam ſine Martyrum Reliquiis conſecrare: Epiſtolam itaque S. Paulino dedit, ut ad ſe mitteret, a quo reſponſum tulit: *Invenimus, quod digne, & ad Baſilicæ ſanctificationem vobis, & ad Sanctorum Cinerum cumulandam benedictionem mitteremus.*

Ambr. Epiſt. 22. ad Marcellam

Paul. Epiſt XI. ad Sev. Sulp.

Greg. Tur. de Gloria Confeſſ. c. 20. & 23.

Narrat S. Gregorius Turonenſis, ſe Eccleſiam dedicaſſe, poſitis in ea Reliquiis SS. Euphronii, Saturnini, & Juliani MM; atque eodem loco recitat ſolemnitatem translationis Reliquiarum in Eccleſiam conſecrandam: ſunt autem ceremoniæ, quæ ſequuntur. Cum ſtatuiſſem, inquit, ſacellum ædificare in Cellula S. Euphronii, eam ornandam curavi, atque in ea de more Aram erexi; noctuque in Baſilica peragentes, ſummo mane ingreſſi ſumus Cellulam, in qua erectum Altare Deo dicavimus. Hinc ad Baſilicam regreſſi, ſacras Reliquias in Sacellum detulimus præeunte Cruce, & magno cereorum numero, comitantibus quampluribus

bus presbyteris, Alba indutis, populique turba ſequente. Quoniam vero ſacra hæc pignora in ſublime elata, veliſque ornata deferebamus, ad Sacelli januam pervenimus, cum ingreſſu in ipſo nos perculit lumen e Superis; quod cellulam univerſam illuſtravit, noſque omnes horrore perſtrinxit.

Joannes Diaconus nos docet in vita S. Gregorii Papæ, Eccleſiam Arianorum, poſitam Romæ in regione *Saburra*, clauſam perpetuo fuiſſe ad uſque tempora ejuſdem D. Gregorii; qui tamen e re eſſe putavit, ejuſdem Eccleſiæ Dedicationem celebrare, collocatis in ea Reliquiis S. Stephani, atque S. Agnetis. *Joann. Diac. l. Vita S. Greg. c. 31.*

Hæc ſane conſuetudo vetuſtiſſima erat; quoniam II. Concilium Nicænum decrevit, pœna Depoſitionis impoſita, ne quis abſque ſacris Reliquiis Eccleſiam conſecraret; rationemque addit, contra facientem Traditiones Eccleſiaſticas non ſervaturum: *Qui Templum conſecrat ſine ſanctis Reliquiis, deponatur, ut qui Eccleſiaſticas Traditiones tranſgreſſus ſit.* Ad quod etiam pertinet Canon quinquageſimus Concilii Africani, qui prohibet conſtructionem cujuſque Eccleſiæ Sanctorum nomine, niſi vel locus mortis ſit, vel ejus Reliquias poſſideat. *Concil. Nicæn. II. c. 7.*

Quamquam autem cautum fuiſſet, ne quis Eccleſiam ſine Reliquiis Sanctorum conſecraret; nihilo minus diligenter curabant, ut particulas Sanctorum illorum acquirerent, quibus Baſilica dicata erat. Cujus rei exemplum ſatis elegans S. Gregorius Turonenſis poſteritati commendavit. Narrat etenim, Legatum quendam, ab Hiſpanorum Rege ad Chilpericum Galliarum Regem miſſum, ipſi dixiſſe: Avum ejus, cum Eccleſiam in honorem S. Martini ædificaſſet, Eccleſiaſticos Turonum ablegaſſe, petitum Sancti Viri illius exuvias, quas quidem obtinuit. *Expetens Pontificis Reliquias, ut ſcilicet locum, quem in ejus nomine ædificaverat, cum Reliquiis conſecraret.* *Greg. Turon. lib. de Mir. S. Martini c. 8.*

Cum itaque non raro accideret, eos qui Eccleſias conſtruebant, non habere penes ſe integra Sanctorum illorum corpora; opus erat, ſive illius, ſive alterius Viri Sancti partes conquirere; quod fieri nullo modo poterat ſine Oſſium Sanctorum diviſione: atque id porro haud parum contulit, ut propter momenta inferius afferenda incertæ fierent Divorum hominum Reliquiæ.

§. III.

§. III.

Ratio Tertia.

Conſecratio Altarium, & Sepulcrorum erectio in honorem Sanctorum.

PRæter unctionem Chriſmatis, & Benedictionem Sacerdotis, ſine qua non conſecrabantur Altaria, ut ſtatuunt quædam Concilia: *Altaria placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari. Altaria niſi lapidea, & Chriſmatis unctione non ſacrentur*: Altaria pariter non erigebant, niſi ſuper corpora Martyrum, vel ſuper Reliquias, quæ in eis collocabantur ex priſca Eccleſiæ conſuetudine: *Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur ...... Niſi aut ibi Corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ ſint; aut ibi originis alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.*

Concil. Agath. anno 506. Concil. Epaon. anno 517. Conc. Carthag. III. c. 14. Concil. Afric. cap 50. Greg. Magn. l. 9. Ep 71. & l. 5. Epiſt. 150. S. Auguſt. Ser. 315. de S. Cypriano. Hieron. contra Vigil.

Divus Auguſtinus meminit Altaris erecti ſupra corpus S. Cypriani; & S. Hieronymus ait, Pontificem Sacra facientem ſupra oſſa Sanctiſſimi Petri & Pauli, *Tumulos eorum arbitratum fuiſſe Altaria*. Corpora Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei medio circiter quarto ſæculo poſita ſunt ſub Ara Eccleſiæ Apoſtolorum Conſtantinopolis. S. Item Auguſtinus de Stephano ſcribit: *Non aram facimus Stephano, ſed de Reliquiis Stephani aram Deo.*

Aug. Serm. 318. de S. Stephano.

Ferunt autem, conſuetudinem hanc originem ducere ex eo, quod in Cœmeteriis, in quæ Chriſtifideles ſe recondebant, & conveniebant tempore vexationum, ut Myſteria divina recolerent, deficiente Altari, vel Tabula tantæ rei congrua, opus eſſet conſecrare panem & vinum ſuper ipſa Martyrum ſepulchra, quos in ſubterraneis locis iſtis humabant. Qua de re nunquam deſtiterunt offerre Sacrificium ſuper eadem Sanctorum Martyrum corpora: immo neque Altare, vel ipſam quoque Altaris petram conſecrarunt, quin in ipſis Martyrum Reliquias collocarent. Quod hactenus invaluit, ut locus Altaris, qui Reliquias iſtas complectitur, nunc quoque retineat in *Pontificali*, ſive *Ceremoniali* Epiſcoporum, nomen *Sepulchri*, alias *Memoriæ*, vel *Confeſſionis*, & ſub terra erutus ſit, ad quem ex anteriori Altaris parte deſcendunt. Temporibus vero inſequentibus Confeſſorum quoque Reliquiæ ſub Altaribus poſitæ ſunt, uti Mediolani Reliquiæ S. Ambroſii; Porcii, Vico Comitatus Pontivenſis Reliquiæ S. Honorati, Epiſcopi Ambianenſis; atque alibi.

Nicolaus de Plout Tract. de Miſſa Gall.

Propterea liquido apparet, morem hunc conſecrandi Altaria, atque ſub ipſis Reliquias collocandi, ſæpe coegiſſe, ut Sanctorum Corpora ſe-

caren-

ſarentur, & Reliquias ipſas quamplurimum multiplicaſſe. Mos item erigendi Mauſolæa, ſive magnificos Tumulos in honorem Sanctorum in cauſſa fuit, quare augerentur ipſorum Reliquiæ. Quorum Mauſolæorum non unum genus erat: alia nanque inſtituta ſunt, ut in ipſis vel Reliquias omnes Sancti alicujus, vel ipſarum partem concluderent; alia vocari poſſunt Monumenta honoris cauſſa conſtructa.

Aliquando etiam, licet nulla Sanctorum Corporum pars in illis reperiretur, idem tamen ipſis honor habebatur, ac ſi corpus integrum ibi fuiſſet. Extabat Anconæ Tumulus quidam honorarius, D. Stephano dicatus, teſte Auguſtino, & tamen ejus Reliquiis carebat: *Memoria ejus antiqua ibi erat.* August. Serm. 32. de Div.

Immo Deus ipſe Oſtentis bene multis muneratus eſt pietatem illorum, qui confidenter ad hæc vacua monumenta accedebant. Cujus rei illuſtre nobis exemplum ſuppeditat vir quidam, qui cum perjeraſſet, ad ſe manum, bracchiumque, elatum ad jurandum, revocare non potuit; ſed fidenter admodum ad S. Benedicti Sepulchrum, corpore vacuum, perductus, ſanitatem extemplo recepit. *Poſtremo proſternitur ante Sacratiſſimam tumbam, vacuam quidem Sacro corpore, ſed virtute divina, & ſocietate quondam piorum oſſium refertam.* Adrev. l. 1. de Mir. S. Bened. c. 35.

§. IV.

Quæ incommoda conſecuta ſint morem iſtum, quod attinet ad authenticam Reliquiarum veritatem.

VEtuſti mores iſti nunquam Eccleſias dedicandi, Altaria conſecrandi, Mauſolæa, vel Tumulos Sanctis hominibus erigendi ſine ipſorum Reliquiis, non modo contulere ad multiplicandas pretioſas exuvias iſtas, atque Sanctorum corpora in membra dividenda: ſed laudabilis hæc diſciplina innocens occaſio fuit innumerarum hallucinationum ſuper negotio Reliquiarum. Quod perſuaſum cuique fiet, ſi modo hæc animadvertat.

Primo, quando integra corpora non habebant, vel particulas aliquas Reliquiarum Sancti illius, in cujus honorem Eccleſias dicabant, Altaria erigebant, Tumuloſque conſtruebant; ſatis erat ipſis ibi collocare terram, eorum ſanguine tinctam; ex pulvere ſepulchrorum; ex terra poſita circa Mauſolæa, in quibus corpora ſervabantur; vel demum Sanctuarium aliquod, quod deinceps *Brandeum* appellabimus, videlicet linteum, velum, vel quidpiam tale, quod Sanctorum illorum Reliquias attigerit. Quædam exempla id in aperto ponent.

S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis Eccleſiam in honorem quadraginta Martyrum dedicavit, poſito in ea Sanctorum illorum pulvere; & contentus fuit Sanguine Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii, quem gypſo congeſtum collegerant, ut ipſis Baſilicam conſecraret. *Horum ſanguinem tenemus gypſo collectum, nihil amplius requirentes.*

Gaudent. Brix. Orat. in Dedic. Baſil. 40. MM.

Reſponſum etiam a D. Gregorio Papa datum Conſtantiæ Imperatrici hac in re ſummopere animadvertendum eſt. Princeps iſta petierat ab hoc Sancto Pontifice Reliquias Sanctorum Petri, & Pauli, ut eas in Eccleſiam, ab ſe ipſorum nominibus dicandam, inferret; cui D. Gregorius his verbis reſpondit: *Mos Romanorum non eſt tangendi ipſum ſancti Martyris corpus, ſed tantummodo in pixide Brandeum mittitur, atque ad Sacratiſſima corpora ponitur. Quod levatum in Eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum devotione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur.*

Greg. Pap. l. 3. Epiſt. 30. ad Conſt. Aug.

S. Gregorius Turonenſis affert exempla multa Eccleſiarum, Altarium, & Tumulorum, quæ conſecrabantur, vel erigebantur ſine aliis Reliquiis præter iſtas, vel tantum cum modico pulvere, & terra collectis e Sepulchro Sanctorum, vel ipſarum Eccleſiarum; atque non pauca mira facta, per Reliquias iſtas perpetrata recenſet. Et ſane fit ſimile veri, Eccleſias pleraſque, extructas in locis ab Urbibus diſtantibus, non habuiſſe Reliquias alias præter hujuſmodi, cum primum ædificatæ fuerunt.

Greg. Tur. l. 1. de Glor. Mart. c. 28. 38. 72. Item de Gloria Conf cap. 26. 28. 37. Item de Vitis SS. PP. c. 7. & alibi.

Secunda animadverſio mea vim facit in conſuetudine ſatis vetere & pervagata, imponendi ſcilicet Sanctorum nomen tenuiſſimis Reliquiarum particulis, atque ipſi pulveri ipſorum ſepulchri, guttis aliquibus ſanguinis, linteis, vel *Brandeis* admotis tumulo Sanctorum, quibus Eccleſiæ, vel Altaria, vel Mauſolæa dedicabantur.

Certum eſt, S. Gaudentium Brixienſem non habuiſſe Reliquias ullas quadraginta Martyrum præter paucos cineres. Nihilominus haud dubitat, Eccleſiam appellare a Quadraginta Martyribus, quod nimirum in ea modicam cinerum illorum partem collocaſſet: *Hanc ipſam Baſilicam eorum meritis dedicatam Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus.*

Gaud. Brix. Serm. in Dedic. Baſil. 40. Martyrum.

Tametſi idem Vir ſanctus non haberet in Eccleſia ſua partes alias Reliquiarum Sanctorum Gervaſii, Protaſii, & Nazarii præter modicam ſanguinis ipſorum partem gypſo commixtam, aſſerit tamen, ſe illos Martyres habere: *Habemus Gervaſium, Protaſium, atque Nazarium beatiſſimos Martyres.* Eodem loco jactat, extare Brixiæ corpora Sanctorum Joannis Baptiſtæ, Andreæ, Thomæ, & Lucæ Evangeliſtæ, cum exiguas illorum Reliquas penes ſe duntaxat eſſent: *Horum quatuor habemus in præſenti Reliquias.*

Cum

Cum Fideles Colonienſes S. Severini Reliquias receperunt, eo anno ſingulari annonæ affluentia redundante, ſibi videbantur ipſi, rediiſſe Patronum ſuum, atque antiquam ſedem ſuam rurſus occupaſſe, itaut: *Factum eſſet quaſi in Proverbium, domi eſſe S. Severinum Epiſcopum.* Evodius Epiſcopus Uzalenſis in Africa cum S. Stephani Reliquias adeptus eſſet, eas populo oſtendens, dixit: *Ecce habetis Martyrem.*

Surius 23. Oct. in Vita S. Severini. Evodius l. 1. de Mir. S. Steph. c. 2.

Ex Martyrologii Romani teſtimonio ſub die nona Maii Reliquiæ D. Lucæ ex Achaja Bizantium tranſlatæ ſunt, deinde Patavium, ut notat idem Martyrologium decimo quinto Kalendas Novembris. Nihilominus contendit D. Paulinus, corpus hujus Evangeliſtæ eſſe Antiochiæ, atque Oſtiæ; quoniam ſecundum conſuetudinem a nobis memoratam cuicumque Reliquiæ fragmento illius Sancti nomen imponebatur. Idem Poeta Chriſtianus ad Severum Sulpicium ſcribens, annumerat ipſi Reliquias, quæ jacebant ſub Altari Baſilicæ a ſe conditæ: & quamvis minimæ partes eſſent Oſſium Sanctorum, de quibus meminit, nihilo ſecius de iis loquitur, perinde ac integra corpora eſſent. Ita namque habet:

Paul. in Nat. XI. S. Fel.

Paul. Ep. 12. ad Severum.

Hic & apoſtolicas præſentat gratia vires,
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic Pater Andræas, & magno nomine Lucas,
Martyr, & illuſtris ſanguine Nazarius:
Quoſque ſuo Deus Ambroſio poſt longa revelat
Sæcula, Protaſium cum Patre Gervaſio.
Hic ſimul una pium complectitur arcula cœtum;
Et capit exiguo nomina tanta ſinu.

Sed non tantum nomina Sanctorum cuilibet Oſſium ipſorum particulæ tribuebantur; verum etiam jactabant, Sanctum Virum ipſum apud ſe habere, qui modicum duntaxat ejus Sepulchri pulverem poſſidebant. Hæc animadvertit S. Gregorius Turonenſis, verba faciens de Funeribus B. Hoſpitii. Quo tempore terræ mandabatur, Chriſtianus quidam ſuſtulit modicam partem pulveris ex ejus Sepulchro, atque in linteo abditam alio tranſtulit. Interrogantibus vero quid gereret, reſpondebat: *Reliquias B. Hoſpitii mecum habeo.* Demum Sanctus Gregorius Papa *Reliquias* appellat *S. Petri* partem lintei, ſive panni, qui tetigerat Corpus S. Petri, & Pontifex hic ad Brunechildem Galliarum Reginam miſerat.

Greg. Turon. de Glor. MM. c. 97. Item l. 2. de Glor. Conf. cap. 33. & 34.

Greg. Papa l. 5. Ep. 51.

His quidem exemplis paullo immoratus ſum, quibus alia multa addere poſſem; quoniam mos hic mihi videtur eſſe conſtans argumentum, quaſdam Reliquias, ab hodiernis Criticis in ſuſpicionem adductas, germanas eſſe, ut deinceps oſtendemus.

Poſtrema animadverſio eſt, Deum patraſſe eadem præclara Miracula; ubi venerabantur populi minutiores Sanctorum Reliquias; guttam Sanguinis ipſorum; aliquam terræ partem, ab eorum Sepulchris effoſſam; vel fragmenta telæ, ſive panni, quem admoverant ſacris illorum oſſibus, vel Tumulis: quæ patrabat, ubi integra ipſorum corpora colebant. Hæc nanque eſt communis Patrum Eccleſiaſticorum opinio; & Divis Gregorio Papæ, nec non Gregorio Turonenſi, a nobis memoratis, addere poſſumus Divum Gregorium Nazianzenum, qui ait: *Eaſdemque præſtare virtutes quaslibet Martyris ſanguinis guttas, & exigua paſſionis ſigna, quas corpora integra*. Silentio prætereo Patres alios, qui ſuper hac re nihil minus aperte loquuntur, videlicet S. Ambroſium *ſerm. 93.* Eliam Cretenſem *in Orat.* 35. S. Gregor. Naz. *contra Julianum*, S. Auguſt. *ſerm.* 32. *de Diverſis;* Gregorium Nyſſenum *Orat. de S. Theodoro Mart.* S. Paulinum *Epiſt. XI. ad Severum*, & *Epiſt. XII. Natal.* 8. *S. Felicis*; Sanctos Gregorium Papam, & Turonenſem locis ſupra citatis; S. Gaudentium Brixienſem, alioſque multos.

Greg. Naz. Jamb. 18. de Virt.
Elias Cretenſis Orat. 3. ejuſd. Greg.

Poſt conſiderationes iſtas, difficile non eſt ſibi perſuadere; diviſionem Corporum Sanctorum peperiſſe miram inter Reliquias confuſionem, atque ab ea veluti ex fonte manaſſe pleroſque errores innocentes, qui in ipſorum cultum irrepſerunt. Cum etenim raro admodum accideret, integrum eſſe Sancti hominis corpus in ea Eccleſia, Altari, vel Mauſolæo, quod in ejus monumentum erigebant; neceſſe ſæpius erat ipſis, in eo collocare fragmenta oſſium Sacrorum, aliquod Martyrii inſtrumentum, guttam ſanguinis terræ commixtam, pulverem ex ejus ſepulchro detractum, vel *Sanctuarium*, ſive partem telæ, aut panni ejus Reliquiis, vel Tumulo admoti.

Et tamen, ut ferebat communis uſus, noſque ſuperius oſtendimus; nomen Sancti Viri ambiguis Reliquiis iſtis imponebatur; & ſine ulla dubitatione affirmabant: Habemus in hac Eccleſia, in hoc Altari, in hoc Sepulchro Sanctum Petrum, Sanctum Joannem Baptiſtam, S. Stephanum, Quadraginta Martyres, vel quempiam alium; licet nihil ibi eſſet præter id, quod modo adnotavimus. Quæ cogitata paullatim acquirebant vim, & late ſerpentia, fultaque pietate Fidelium, qui commovebantur ſummis portentis, a Deo patratis in locis iſtis, quæ in Sanctorum honorem conſecraverant; ſenſim id perfecerunt, ut facile homines crederent, revera ibi eſſe corpora ipſorum, atque hoc pacto ea venerarentur.

Cum etiam ſæpe ejuſdem Sancti oſſa dividerent, ut ea variis in locis collocare poſſent, contigit, ædificatas fuiſſe Eccleſias multas, Altaria multa, multoſque Tumulos in Sancti Viri ejuſdem honorem, cumque, ut ita

ita dicam, multiplicatum fuiſſe ſecundum numerum Baſilicarum, Altarium, & Mauſolæorum iſtorum; nec non Eccleſias haud paucas credidiſſe, ſe ejuſdem Sancti Reliquias poſſidere, propterea quod Altare aliquod, vel monumentum in ejus honorem erectum haberent.

Quod ſi liceret huc afferre exempla quoque ab Hiſtoria profana petita, perſuaſum cuique eſſet, quid tale Ethnicis ipſis contigiſſe. Athenienſes, & Syri jactabant invicem, ſe habere corpus Œdipi filii Laii Regis Thebanorum. Lacedemones, atque Arcades putabant Oreſtis Micænarum Regis corpus poſſidere. Dionyſius Halycarnaſſeus in Hiſtoria Romana nos docet, pluribus in locis Æneæ ſepulchrum oſtendi, quamvis in uno duntaxat ſepultus fuiſſet. Sed addit Hiſtoricus hic: *Apud multos tamen monumenta eis facta ſunt in gratiam acceptæ cujuſpiam utilitatis.*

Habes igitur cauſſam, cur decepti toties ſint, qui putaverunt poſſidere integrum corpus Sancti hominis alicujus, vel ſaltem inſignem eorum partem: licet nihil haberent præter modicum pulverem, vel aliam ſimilem Reliquiam, aut aliquando etiam nihil prorſus; ut tradit Auguſtinus de Altari S. Stephani, quod erat Anconæ, & Divus Gregorius Turonenſis de alio ejuſdem Sancti, erecto Cæſaroduni: quamquam vulgata ſententia eſſet, in utroque Altari jacere primi illius Martyris exuvias.

Quod tamen non officit, quominus æquus eſſet in eos Chriſtianorum cultus: *Non enim eſt indecens*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *ut unius Martyris plura erecta appareant monumenta; cum alioqui nec indecens videri poſſet, etiam ſine ipſorum Reliquiis eidem excitari memorias, utpote teſtes eorum virtutis egregiæ, & beneficiorum eorundem ope conſecutorum.*

Greg. Naz. Jamb. 28. de Virt. Elias Cret. in Orat. 3. ejuſd. S. Greg.

A R

ARTICULUS VI.

Uſus transferendi corpora Sanctorum in Reliquiis confuſionem peperit.

TRanslatio hæc plerumque biſariam fiebat, ſive publice, ſive ſecreto. Tum publica eſt Reliquiarum Translatio, cum fit autoritate legitima, & ſolemni, & Cleri populique conventu. Sed cum tranſlatæ fuerunt Sancti alicujus Reliquiæ ex privata pietate, inconſultis ſuperioribus Eccleſiaſticis, ſine apparatu, & ceremoniis, tum vocari poteſt Translatio ſecreta. Quocumque tamen modo de loco in locum tranſlatæ ſint Sanctorum Reliquiæ, id non parum contulit, ut pleræque ipſarum incertæ eſſent.

Conſuetudinis hujus illuſtre exemplum aperit nobis Vetus Teſtamentum, in quo legimus, Moſen detuliſſe ex Ægypto in Paleſtinam oſſa Patriarchæ Jacobi, ejuſque Filii Joſeph. Verum Translationes iſtæ frequentiores in Lege Nova fuerunt. Licet S. Joannis Baptiſtæ corpus in cineres reſolutum fuerit, vix Provinciam, ſive Urbem reperies, quæ non jactet, Sancti hujus Præcurſoris aliquid ad ſe translatum fuiſſe. Idem dicito de S. Maria Magdalena, de S. Stephano, deque aliis *Sanctis* bene multis; immo ne unum quidem erit Sancti Viri corpus, quod vel totum, vel ſecundum partem extra ſepulturæ *ſuæ* locum traductum non ſit.

Hæ autem Translationes non modo a Summis Pontificibus, atque Epiſcopis conſtitutæ ſunt, ſed Principes utriuſque ſexus, & Magnates ſuper eadem re pietatem ſuam illuſtrarunt.*. Liquet, Conſtantium, & pleroſque ſucceſſores ejus transferre feciſſe pretioſiora Sanctorum monumenta, quæ per Orientem univerſum diſperſa erant, ut novæ Romæ Eccleſias locupletarent.

Sed inter omnes Principes Chriſtianos, Galliarum Reges ſpectabiles pietate fuerunt erga Sanctorum Reliquias, & diligentiam omnem adhibuerunt, ut eas ex omnibus terræ partibus in Gallias importarent. Childebertus, Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Hugo Capetus, Henricus I., Ludovicus Craſſus, Ludovicus VII., S. Ludovicus demum, aliique multi, ex tribus Gallicanorum Regum Familiis huic Regno ac-

Greg. Tur. l. 2. Hiſt c. 37. Aimonius l. 2. de Geſt. Franc. c. 20. 21. 29., & l. 4. c. 86. 89. Sigebertus ad annum 508. Baron. ad ann. 562. Nicolaus Gilles in Pipino ad annum 761. Item ad ann. 802. Sugerius Abbas, in Ludovico.

* S. Helenes, Pulcheria Auguſta, Sancta Radegundes Regina Galliarum, Silvia, & Buſſula ejus ſoror, cujus meminit S. Paulinus *Ep. 11. ad Severum*, aliæque multæ fœminæ Sanctæ, cum ex eodem Regno, tum ex aliis mundi partibus.

qui-

quiſiverunt pleraſque Reliquias, quas ab exteris Regionibus accepimus; ut videre eſt apud Scriptores, qui de Regibus noſtris mentionem faciunt.

Craſſo, Kiſerlus in Annalibus Azorius Tomo 1. Inſtit. Mor. l. 9. c. 8. q. 11. Duplex, & alii.

Quis vero enumeret Reliquias, quæ poſt bella tranſmarina ab Oriente in Occidentem translatæ ſunt? Vix unum aut alterum ex his Cruce ſignatis invenies, qui nobilitate, vel bellica virtute claruerit, & ab Oriente redierit, ſine magno Reliquiarum pretioſarum cenſu, vel eas ad nos non miſerit. At certe illud exploratum eſt, pleraque Sancta monumenta, quæ nunc poſſidemus, ab aliis fontibus non deſcendiſſe. Eccleſiæ ipſæ, ubi aſſervantur, plerumque ad eos confugiunt, ut authenticam ipſorum veritatem tueantur. Inde ajunt, accepimus tot Sancta Præputia, Sindones, Veſtes inconſutiles Jeſu Chriſti, ejuſque Paſſionis Inſtrumenta. Expende Reliquias, quæ tribui ſolent Mariæ Virgini, magnumque aliarum numerum, quæ Sanctorum multorum eſſe dicuntur; perſuaſum ſane tibi erit, eas in Occidentem tranſmigraſſe tempore Sacri Fœderis; ſi fides eſt iis, qui pretioſarum Reliquiarum iſtarum Hiſtoriam texuerunt.

Quoquo tamen modo factæ ſint Translationes iſtæ; ſive Eccleſiaſtici, ſive profani homines eas curaverint; ſive translata ſint integra Corpora, ſive eorum partes, id ſane non levem de Reliquiarum negotio confuſionem peperit, atque ambiguitatem. Præſertim cum tanta vetuſtate laborant, ut omnis ipſarum memoria perierit, & Chartæ, in quibus de illis mentio fit, interciderint ob varios caſus, qui monumenta ſua ab Eccleſiis abſtulerunt.

Quod quidem Romæ etiam contigit: Cardinalis Baronius, fatetur ſe allucinatum fuiſſe de loco ubi corpora Sanctorum Martyrum Marii, & Marthæ requieſcunt. In notationibus nanque ſuis ad Martyrologium Romanum dixerat, Sacra ipſorum Oſſa ſepulta fuiſſe apud Inſulam Tyberinam in Eccleſia S. Joannis Calybithæ ſecundum Inſcriptionem quandam, quæ ipſorum Sepulchro appoſita erat, in qua deſignabatur, Corpora eorum requieſcere cum aliis Sanctorum Audifacis, & Abacuc filiorum ſuorum. Nihilo tamen ſecius Reliquiæ Sanctorum iſtorum Martyrum repertæ ſunt, cum quibuſdam aliis in Diaconia S. Adriani: *quorum omnium plumbeæ, & lapideæ tabulæ ſcriptæ indices erant*. Quod propterea contigit, quia translatæ fuerunt partes aliquæ Reliquiarum SS. Marii, & Marthæ ab Eccleſia Sancti Joannis Calybithæ ad Eccleſiam Sancti Adriani.

Baron. ad ann. 270. num. 9. & 10.

Idem etiam Cardinalis deceptus fuit, cum credidit, Corpora Sanctorum Papiæ, & Mauri Militum Romanorum eſſe in Eccleſia: *In titulo Æquitii*: & tamen inventa ſunt in Sepulchro Eccleſiæ D. Adriani, ubi

erat

erat Tabula marmorea his verbis ſculpta: *In hoc loco requieſcunt Corpora Sanctorum Martyrum Papiæ, & Mauri.* Errores autem iſti, nec non piæ concertationes multæ inter Eccleſias ſuper quorundam Sanctorum poſſeſſione, ab ipſis Translationibus tantum profectæ ſunt.

Nemo unus ignorat, quid geſtum olim ſit inter Venetos, atque Alexandrinos de Reliquiis S. Marci: inter incolas Vezeliaci, & Provinciæ de Corpore S. Mariæ Magdalenæ: inter hos, atque Auguſtodunenſes pro Reliquiis S. Lazari: inter Monachos S. Dionyſii, & Ratisbonenſes de corpore S. Dionyſii Areopagitæ. Denique ne plura hic congeram exempla, neminem latent diuturnæ concertationes de loco, in quo ſitum ſit Corpus S. Benedicti.

Qui errores innocentes tam crebrò non ſubrepſiſſent, ſi Fideles minus attendiſſent affectum pietatis ſuæ, quantumvis eſſet laude dignus, quam Leges a Principibus conditas, prudenteſque de re hac Eccleſiæ Conſtitutiones. Imperatores Valentinianus, Theodoſius, atque Arcadius cautum Lege voluerunt eſſe, ne quiſpiam humatum corpus de loco in locum traduceret; præſertim ſi Martyris eſſet: *Nemo humatum corpus ad alium locum ſine Auguſti affatibus transferat. L. nemo Cod. de Rel. & ſumt. fun.*

Decretum hoc confirmatum fuit in Conciliis Mediolanenſi, Bononienſi, Burgenſi, & Moguntino ad annum 813. his verbis: *Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præſumat ſine Conſilio Principis vel Epiſcoporum, ſanctæque Synodi licentia.* Pontifices ipſi anathemate confixerunt eos, qui ſine facultate Summi Pontificis Reliquias Roma exportarent. Verum Leges iſtæ ſervatæ non ſunt. Non ſolum etenim ante tempora Imperatorum iſtorum, ſed etiam poſt Reliquiæ Sanctorum translatæ ſunt; unde factum eſt, Eccleſias multas exiſtimaſſe, apud ſe habere ipſorum corpora integra, omnibuſque ſuis partibus contexta; cum tamen partem duntaxat, atque aliquando nihil penitus haberent.

Concil. Mog. c. 5. & Diſt. c. de Conſecr. corporal

Bulla Clem. VIII ann. 1603. & 1604. Paul. V 1611. 1614. Urbanus VIII. 1624. & alii.

ARTICULUS VII.

Imagines germanarum Reliquiarum in cauſſa fuerunt, ut multæ ſuppoſitæ fierent, vel ſuſpicioſæ.

Pietas Fidelium erga Reliquias novum cogitatum ipſis ingeſſit, quo ardorem ſuum ſtudioſe explerent. Venit in mentem ipſis, ut efficerent imagines Reliquiarum, quæ tribuuntur Mariæ Virgini, aliiſque San-

Sanctis, eaſque veris Reliquiis admoverent, ut ex hoc contactu operaretur Deus prodigia eadem, quæ pro Reliquiis, quas referebant, operabatur. Chriſtifideles conficiebant imagines iſtas eo majori fide, quo Deus illis ad prodigia perpetranda uteretur; atque inde factum eſt, ut eadem animi affectione ſervarent, & venerarentur imagines iſtas, quam Reliquias ipſas, quas attigerant.

Habes igitur, niſi fallor, fœcundiorem originem tot Reliquiarum, quæ pene fidem ſuperant, atque in Provinciis, atque Eccleſiis diſſitis coluntur. Et ſane nulla eſt congruentior ratio, quare tam multiplicentur, niſi imagines germanarum Reliquiarum: atque anceps ſum, num pia hæc Fidelium ars mirum hunc numerum pepererit Sindonum, Veſtium inconſutilium Jeſu Chriſti, Clavorum, Spinarum, aliorumque Inſtrumentorum Paſſionis ejus. Porro fit veriſimile, tot Mariæ Virginis tabulas a S. Luca depictas, tot veſtes, aliamque ſuppellectilem, quæ Matris Dei uſui fuiſſe dicuntur, ad pium hoc Chriſtianorum inventum referri poſſe.

Hi quoque pietatem ſuam contulerunt, ut ipſarum Reliquiarum Sanctorum imagines facerent, cujus rei affero exempla duo. Ludovicus ab *Ludov. ab Ang. l. 6. de Vita S. Auguſt. c. 5.* Angelis, præclarus inter Auguſtinianos Theologus, teſtatur, ſe vidiſſe, eos, qui Eccleſiam inviſebant, in qua erat cor S. Auguſtini, ſibi elaborari curaſſe imagines ferreas hujus cordis, quas poſtea vero S. Auguſtini cordi admovebant. Qua de re Auguſtinus a Jeſu, Viſitator Generalis Heremitarum S. Auguſtini, & exinde Archiepiſcopus Bracarenſis, dum Germaniam viſitaret, reperit Monachii inter ceteras Reliquias Cor ferreum, aureo circulo cinctum, inſcriptumque: *Cor Auguſtini*. Sed prudens Antiſtes, ut ambiguitatem tolleret, Inſcriptionem mutavit: *Cor contactum vero cordi S. Auguſtini, quod ferreum propter nimiam ejus conſtantiam, aureum propter inflammatam charitatem*.

Abulæ in Hiſpania conficiuntur pietatis ergo Corda ſerica, quæ verō Cordi hactenus incorrupto S. Tereſiæ admoventur, atque imagines Cordis S. Tereſiæ appellantur, nec non haud rara propter illa patrari Miracula videmus. Audi unum, quod Romæ contigit die 7. Februarii anni 1699.

In Monaſterio, vulgo dicto, *Duciſſæ de Latere*, Religioſam vitam agebat filia quædam Jacobi Comitis Aliberti, quæ viginti ſeptem annos vixerat, & non paucos illorum hydropiſi *Anaſarcha* laboraverat. Morbum hunc plures affectiones aliæ conſequebantur, quæ juvenem Sanctimonialem omni ferme ſpe dejecerant, atque ad extremum vitæ perduxerant. Eodem vero tempore, quo tres Medici colloquium habebant de ratione curandi ægram iſtam fœminam, repente ipſa convaluit, cum ejus pectori admoviſſent imaginem Cordis S. Tereſiæ; atque integra

valetudine de lectulo ſurrexit. Apud me teſtimonium extat trium Medicorum iſtorum, qui ſanitatem hanc miro modo accidiſſe declarant; quod videlicet inquiunt, artem nulla ratione poſſe ictu oculi ſanare. Medici autem ſunt Joannes Maria Lanciſius, Emmanuel Lopez, Ægidius Raſpinus. Datum fuit pridie Idus Februarias 1699. Quo autem major prodigio huic fides accedat, arbitratus ſum intereſſe rei, hic collocare Medicorum teſtimonium eo prorſus pacto, quo ad me Roma miſſum fuit; & latine vertere, ut communi Libri hujus Linguæ reſpondeat.

Primi itaque inventorum iſtorum autores Reliquias hujuſmodi non ſuſpiciebant, niſi ut imagines germanarum, quamvis plerumque eas ipſis afficerent nominibus Reliquiarum, quas referebant; atque illas venerabantur propter memoriam, quam excitabant aliarum, vel propter miracula, quæ ipſarum obtentu Deus patrabat. Conſequentibus vero temporibus hominum, ſive inſcitia, ſive ſimplicitate, ſive errore factum eſt, ut Reliquiarum iſtarum imagines pro illis genuinis acciperent, quas imitabantur: eundemque cultum ipſis tribuerent. Quod non modo olim, ſed impræſentiarum quoque contingit.

Quælibet Eccleſia ſuſpicit, & colit imagines iſtas, perinde ac eſſent veræ Reliquiæ, quandoquidem jacturam fecerunt priſcorum monumentorum, e quibus haurire potuiſſent, eas non eſſe veras Reliquias. Quare cum nulla extet tabula, vel memoria, quæ Fideles ab opinione removeat, niſi Traditio ab uno ad alium propagata, docenſque, ſervari ex. gr. ea in Eccleſia Sacram Syndonem; cumque Deus magna prodigia patraverit, ut Chriſtianorum erga imagines iſtas pietatem muneraretur; hæcque prodigia publice nota ſint, quippe in Commentariis publicis deſcripta, vel in marmore ſculpta: mirandum ne erit, imagines haſce, licet quamplurimas, habitas fuiſſe pro veris Reliquiis, Eccleſiaſque bona fide exiſtimaſſe, ſe germanas Reliquias poſſidere, licet eſſent duntaxat imagines.

Hunc porro errorem non voluntarium alius item conſecutus eſt. Nunc etenim ignoramus, ubinam ſit ex. gr. vera Jeſu Chriſti veſtis inconſutilis, quam milites ſcindere noluerunt. Atqui etſi una tantum fuerit veſtis inconſutilis, multæ tamen Eccleſiæ jactant, illam apud ſe habere; quod tamen fieri nullo modo poteſt. Ut apparet, hæ ſunt tantummodo imagines; verum quonam pacto divinare poſſumus, utra earum germana ſit, interim dum unaquæque Eccleſia probare nititur, apud ſe eſſe illam, quam Jeſus Chriſtus in monte Calvario exutus fuit?

Fidem ne ſuperat, ſi in thecis collocatum fuiſſet ferreum Cor S. Auguſtini, & ſericum S. Thereſiæ, de quibus locuti ſumus, & multis in

lo-

locis hujuſmodi corda reperta fuiſſent, Deuſque edidiſſet oſtenta, ut Chriſtifidelium erga imagines illas pietatem remuneraretur; uti edidit per imagines cordis S. Auguſtini, & S. Tereſiæ; fidem ne inquam, ſuperat, futurum fuiſſe proceſſu temporis, ut Eccleſiæ omnes, in quibus fuerint corda hæc, crederent ingenua fide, ſe vera Auguſtini, & Tereſiæ corda poſſidere; præſertim vero ſi bella, incendia, temporumque injuriæ diruiſſent Eccleſias, & Provincias, in quibus cuſtoditur verum cor Sanctorum iſtorum? Quo jacto principio in ſpem inducor, me probaturum, cultum redditum imaginibus iſtis germanarum Reliquiarum æquiſſimum eſſe, ſi modo perſpicuis argumentis certiores fieri poſſumus, Deum imaginum iſtarum obtentu mira facta patraſſe.

Mira Sanatio, quæ Romæ accidit die ſeptima Februarii anni 1699. ob merita S. Thereſiæ Virginis Seraphicæ, & Matris noſtræ.

TESTIMONIUM MEDICORUM.

Nos infraſcripti ad majorem Dei gloriam, atque de veritate interrogati, teſtamur, cum vocati fuerimus a Jacobo Comite Aliberti, ut conſilium haberemus ſuper morbo filiæ ejus, Sanctimonialis in Monaſterio Septem Dolorum, vulgo *Duciſſæ* de Latere, quæ viginti ſeptem annos nata, laborabat jampridem hydropiſi, *Anaſarcha* dicta, reperiſſe nos Feria ſexta, eademque ſexta die menſis hujus, præter tumorem utriuſque cruris, partiumque ſuperiorum, obnoxiam fuiſſe illam reſpirationi tam difficili, admodumque ſuffocanti, ut cenſeremus ægrotam indigere magis remediis cœleſtibus, quam humanis; quippe non poterat ob perpetuas convulſiones Eſophagi, atque aſperæ arteriæ vel unum juris cochlear exſorbere. Interea tamen, dum ſuper hac re deliberationem haberemus modica cum ſpe vitæ illius, dimidia hora ante occaſum ſolis, extemplo nunciarunt nobis Sanctimoniales lætantes, ac ſollicitæ, ægram repente convaluiſſe meritis S. Thereſiæ, cujus reliquia ejus pectori admota fuerat. Nos itaque ſtatim ad ægram properavimus, reperimuſque omni morbo ſanatam, ut poſſet e lecto ſurgere: immo ſuis quoque manibus juris partem hauſit coram nobis, & teſtata eſt, optime ſe valetudini jam reſtitutam eſſe. Quod fieri nullo modo poterat ſine remediis, nullaque prævia vel minima Criſi, niſi miræ gratiæ cœleſtis virtute: multo vero magis, cum decimaquinta diei poſteræ hora nobis ad eam inviſendam accedentibus, obviam ipſa venit in janua Monaſterii præclara facie, omnibuſque bonæ valetudinis ſignis; narravitque,

ſe præcedenti nocte recumbentem in lecto octo continenter horas quieviſſe; quod multos ante annos nullo modo potuerat.

Quare non dubitamus aſſerere ſanationem hanc miris modis accidiſſe: judicium tamen noſtrum ſacro huic Tribunali ſubjicimus, ad quod attinet miracula confirmare.

In quorum fidem &c. Datum pridie Idus Februarias.

Joannes Maria Lanciſius, Med. Fiſ.

Emmanuel Lopez &c.

Teſtor ego quoque ſuper his, quæ dicta ſunt, atque ægram a fintomate convulſionis, & ſuffocationis, quod nobiles vitæ partes vexabat non artis ope, quæ ictu oculi ſanare nequit, ſed gratiæ divinæ miſeratione liberatam fuiſſe.

Ægidius Raſpinus. Med.

Exſcriptum Epiſtolæ, quam dedit Definitor Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Roma ad Carmelitam Diſcalceatum Toloſanum, qui eum de Miraculi hujus veritate interrogaverat.

Reverende Pater.

Miraculum, quod contigit in Monaſterio *de Latère*; omni veritatē majus eſt. Sanctimoniales ſcripſerunt mihi, ægram vix ſpiritum ducere, quibus reſpondi, atque ad eas miſi imaginem cordis, quæ S. M. N. Tereſiæ Cor tetigerat. Imago hæc ægræ admota fuit, cujus virtute repente ſanata eſt. Sanctimoniales miſerunt me quæſitum: accurri, eoque detuli Reliquiam S. M. noſtræ Tereſiæ, nimirum pedem illius, quo ægrotæ benedixi: ſed inanteceſſum Sancta Virgo miraculum operata fuerat. Qua de re ad te mitto trium celeberrimorum Medicorum teſtimonium, e quibus totius prodigii ſummam percipies.

ARTICULUS VIII.

Haud raro Sanctuaria habita ſunt loco germanarum Reliquiarum.

OLim nomine *Sanctuarii* veniebat totum id, quod tetigerat corpora Sanctorum, dum viverent, vel appoſitum fuerat eorum Reliquiis, Sepulchris, vel Capſis; immo aliquando id quoque, quod ſive ad Sanctos, ſive ad pretioſas eorum Reliquias admodum remote referri poterat.

Qua-

Quare cum Fideles obtinere non poſſent fragmenta Oſſium Sanctorum, in animum induxerunt, ut collocarent in eorum Monumentis, vel ſuper capſis lintea, veſtes, vela, ſudaria, & id genus alia, quæ antiquitas *Brandea* nuncupabat: ſperantes, Deum operaturum eſſe prodigia ope iſtarum rerum, quæ veras Sanctorum Reliquias tetigerant.

Modica itaque terra, vel pulvis Sepulchri Sanctorum Martyrum; fragmentum fimbriæ tapetis, qui Sepulchrum operiebat; linteolum ſericum vel pannus, qui pependerit tantiſper ab eorum Sepulchro, a Fidelibus pretioſarum Reliquiarum loco habebantur. Cum ſub Altaribus conſecrandis Sanctorum Reliquias ponebant, *foramen ſeu feneſtellam* relinquebant, unde immittere poſſent linteola, vela, atque alia hujuſcemodi, ut Sanctorum capſas, vel monumenta contingerent. Vigilias pariter agebant, jejunia tolerabant, preces fundebant, antequam *Brandea* hæc, vel Sanctuaria removerent; immo etiam manus inſerebant in parvam *feneſtellam* illam, ut hinc cineris, vel pulveris modicum auferrent. Scriptores bene multi de Sanctuariis, vel *Brandeis* iſtis locuti ſunt; Gregorius Turonenſis *l.* 2. *de Gloria Conf. c.* 7. Item *de Gloria MM. l.* 2. *c.* 46. Sozom. *l.* 9. *Hiſt. c.* 2. Beda *l.* 1. *Hiſt.* Anglorum. Evodius *l.* 2. *de Mir. S. Stephani c.* 12. Baronius *ad annum* 416. 460. 766.

Mos hic vetuſtiſſimus eſt; quandoquidem Divus Ambroſius, diſputans de Reliquiis Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, ait: *Quanta oraria jactitant, quanta indumenta ſuper Reliquias Sacratiſſimas, ut tactu ipſo medicabilia repoſcantur?* *Ambr. l.* 10. *Ep.* 87.

Comes Juſtinianus nuncios ad Hormiſdam Pontificem miſit hac Oratione: *Si Beatitudini veſtræ videtur, Sanctuarium Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſecundum morem eis largire præcipite.* *Hormiſd. Pont. T.* 1. *Epiſt. Rom. Pontif. apud Baron. tom.* 7. *ad annum* 519.

Tempore S. Gregorii Papæ, Orientales quidam Legatos ad eum miſerunt, petitum Sanctorum Reliquias; qui in eorum capſulis *brandeum* incluſit, quod tetigerat Martyrum corpora, quorum ipſi Reliquias flagitabant; deinde capſulas annulo ſignavit. Legati in itinere capſas aderuerunt, ut cognoſcerent, quæ ſibi tradita fuerant. Sed cum nihil reperiſſent, præter particulam panni loco Reliquiarum Sanctorum, quas popoſcerant, Romam remigrarunt, vehementer irati; & de re cum Pontificis Archidiacono conqueſti ſunt. Summus vero Pontifex Sacrum fecit coram Legatis; deinde juſſit, poni *Brandeum* ſuper Altare, oravit, & cum adſtantibus a Deo poſtulavit, ut oſtenderet, num Reliquiæ, quæ Roma mittebantur, honore dignæ eſſent. *Ab oratione ſurgens, incredulos Legatos propius adſtare fecit; cultellum petiit, Brandeum pupugit, de cujus punctionibus ſanguis protinus emanavit.* Porro hæc omnia diſcimus e vita S. Gregorii Papæ, quam Joannes Diaconus conſcripſit. *Joann. Diac. l.* 2. *Vita D. Greg. Pap. c.* 42.

Oſten-

Jacob. de Breul. Theat. Ant. q. Pariſ. l. 2. pag. 243.

Oſtendunt Pariſiis apud S. Germanum Pratenſem *Brandeum* quoddam, ex iis, quæ appellant *Corporalia S. Petri*, quod S. Gregorius Papa ad Brunechildem Gallorum Reginam dono dederat. Nos alibi diximus, magnum hunc Doctorem miſiſſe ad Conſtantiam Imperatricem linteum, vel laneum fragmentum, quod admotum fuerat corporibus Sanctorum Petri, & Pauli, loco Reliquiarum Apoſtolorum, quas Princeps iſta ab eo poſtulaverat. Sanctus Gregorius Turonenſis rem narrat admodum eximiam, quæ apud S. Petri ſepulchrum accidere ſolebat. *Mirum dictu, ſi fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius penſaverat, ponderaret; & tunc ſcit, qui ſervaverit, cum ejus gratia ſumpſiſſe, quod petiit.*

Greg. Turon. l. 1. de Glor. Mm. c. 28. & 38.

Idem obvenit apud Sepulchrum S. Martini. Rex Galeciæ Arianus, nomine Characicus, qui promiſerat ſe ad bonam frugem reverſurum, quoſdam miſit cum ditiſſimis muneribus, ut S. Martini Reliquias impetraret. De more Legati poſuerunt pannos ſericos ſuper tumulo viri Sancti, qui poſtridie reperti ſunt librali pondere graviores eſſe, quam fuerint cum ſancti hominis feretro appoſiti fuerant.

Greg. Tur. l. Mir. S. Martini c. 1.

Sed alterius etiam generis erant Sanctuaria. Quoties petebant a S. Leone Pontifice Reliquias Apoſtolorum, vel Martyrum, in more habebat Sacra Myſteria recolere ad Altare, in quo corpora, e quibus Reliquiæ cupiebantur, quieſcerent. Deinde in partes dividebat velum, ſive Corporale, in quo Jeſu Chriſti corpus conſecraverat, & linteorum particulas iſtas Reliquiarum loco diſtribuebat. *Brandeum altaris*, inquit Sigebertus, *quo conſecratum corpus Domini involverat, particulatim dividebat, & pro Reliquiis Apoſtolorum, vel Martyrum dabat. Unde ſi dubitabatur, cultello pannos illos pungens, ſanguinem eliciebat. Quo prodigio certi omnes fiebant, quomodo in conſecratione myſteriorum Sanguis Chriſti, Apoſtolorum, vel Martyrum, qui pro illo effuſus eſt, intret per divinam virtutem in pannos illos.*

Sigeb. Chron. l. 9. ad ann. 441. S. Greg. l. 3. Ep. 30.

Neminem fugit, Fideles ſervaſſe inſtar Reliquiarum pretioſarum flores, qui Sanctorum tumulos tetigerant; particulas Cereorum, qui ante ipſorum ſepulchra ardebant; parum olei Lampadum, quæ ſuper eorum Altaribus accenſæ erant; Epiſtolam, chirographum, vel quid tale, quod cognationem aliquam cum Sanctis habere poſſet: veluti lintea, quæ Martyrum vulneribus alligata fuerant; pulverem Sepulchrorum, vel murorum Eccleſiæ, in quibus erant ipſorum Reliquiæ; partem ceræ admotæ catenis, quibus in carcere vincti erant. Tandem Chriſtianorum fides plures alios modos excogitavit, quibus ſuam erga Sanctorum Reliquias pietatem teſtarentur. Quo factum ſæpius eſt, ut Deus pro Sanctuariorum iſtorum occaſione præclara miracula patraret, quibus hominum pietatem muneraretur.

Non

Non eſt quem lateat prodigium relatum a D. Auguſtino de muliere, quæ deferentibus Reliquias S. Stephani *Flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit*. S. Gregorius Turonenſis alia refert miracula a Deo perpetrata per hæc Sanctuaria, vel *Brandea*, de quibus locuti ſumus, ut Fidelium pietatem, & fidem præmiis afficeret.

Auguſt. de Civ. Dei l. 22. c. 8. Greg. Tur. l. de Vita S. Nicetii Item l. 2. de Glor. Mm. cap. 46. & 74. Item de Glor. Conf cap. 26. & 28. Item l. 2. de Mir. S. Martini 1. 2. 3. 4. Item l. de Vitis SS. PP. c. 7. & alibi.

Apud Veteres alius quoque erat Sanctuarii uſus celeberrimus. Pontifices olim pro Reliquiis aureas claves ſæpe mittebant, quas *S. Petri claves* vocabant. Non unius generis erant claves iſtæ, atque aliquando in illis ramentum catenarum S. Petri injiciebant. S. Gregorius Papa miſit ad Recaredum Viſigothorum Regem clavem auream, *in qua inerat ferrum de catenis Principis Apoſtolorum incluſum*. Idem ſummus Pontifex aliam huic ſimilem miſit Childeberto Francorum Regi. Gregorius II. dono dedit hujuſmodi Clavem Carolo Martello, ut animadvertit Baronius.

Greg l. 5. Ep. 6.

Apud Baron. Ann. 726. nu. 44. & 740. nu. 22.

Alias etiam ſatis habebant mittere claves iſtas ſuper corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli: *Præterea tranſmiſimus clavim aliam a ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore, quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vos invenerit benedicendo multiplicet*. Leo Papa III. miſit ad Carolum Magnum cum Vexillo Urbis Romæ claves aureas, quæ poſitæ fuerant ſuper Confeſſione S. Petri: *Mittens itaque ad eum Legatos, eiſdem ad ipſum munera dedit, Claves ſcilicet aureas, ex Sancti Petri Confeſſione ex more acceptas*. Quæ inſtitutiones ab aliis impoſterum ſummis Pontificibus ſervatæ fuerunt. Fideles item collo ſuſpenſas gerebant id genus claves; vel, ut ait Gregorius Turonenſis: *Multi claves aureas ad reſerandos cancellos beati Sepulcri, ſcilicet S. Petri, faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitates tribulantium medeantur: Omnia enim fides integra præſtat*.

Greg. Turon. l. 1. de Glor. Mm. c. 28.

Ex quibus omnibus colligere commode poſſumus, quam fides Chriſtianorum illius ætatis eſſet laude digna; quoniam pietatem erga pretioſas Sanctorum Reliquias tam præclaram oſtendebant; eodemque animi ardore ſervabant, cultuque proſequebantur Sanctuaria hæc, & cetera, quæ ad Sanctorum exuvias aliqua ratione pertinebant, ac ipſorum corpora venerarentur. Sæpe etiam Sanctuariis iſtis Sanctorum nomina commodabant, cujus rei non pauca in anteceſſum exempla dedi, quibus illud duntaxat addam de nonnullis carcere incluſis, quod narrat S. Gregorius Turonenſis.

Cum deferretur ſolemni ritu fragmentum ſericum, quod poſitum fuerat ſuper ſepulchro S. Martini, hi carcere detenti audientes vocem eorum, qui canebant, quid rei eſſet percontati ſunt. *Dixerunt autem*:

Greg. Turon. l. 1. de Mir. S. Martini c. 11. & 12.

Re-

Reliquiæ Domini Martini in Galliciam transferuntur, & ideo ſic pſallitur: Vix autem illi carcere incluſi profuſis lacrymis S. Martini patrocinium popoſcerunt, ſtatim e manibus, & pedibus catenæ ceciderunt, & carceris januæ patuerunt, quo factum eſt, ut accederent reddituri gratias D. Martino, *oſculantes flendo beatas Reliquias*. Hic porro animadverte, fragmentum illud ſericum, quod Martini tumulum tetigerat, vocari *Reliquias, & pignora Beati Martini*. Itaque mirum ne videbitur, Fideles audientes, tot miracula Sanctuariorum iſtorum ope perpetrari, credidiſſe temporibus inſequentibus, Reliquias Sanctorum in illis Eccleſiis eſſe, in quibus nihil aliud ſæpius erat, quam modicus pulvis, vel fragmentum aliquod lineum, vel ſericum, quod ſive Reliquias tetigerat, vel in Sanctorum Sepulchro repoſitum fuerat? Id quidem non parum contulit ad multiplicandas Reliquias, atque ad perſuadendum, eaſdem in diverſis Eccleſiis eſſe, aut tandem ibi ſervari veras Sancti alicujus Reliquias, ubi tantum erat Sanctuarium aliquod, vel hujuſmodi *Brandeum*.

Non ſecus veriſimile ſit, pleraſque Eccleſias campeſtres, eo tempore, quo erectæ fuerunt, nullas alias præter iſtas habuiſſe Reliquias. Plerumque in eis pariter eſſe ſolebat theca quædam, in qua cuſtodiebantur particulæ linteorum iſtorum, quas Parochus circumquaque in ſupplicationibus publicis deferebat. Propterea cum Epiſcopi, vel alii, qui id genus Reliquiarum ex officio inviſunt, loco germanarum Reliquiarum pulverem tantum, vel tale aliquod Sanctuarium reperiunt, non ſuſpicentur, Reliquias inde ablatas fuiſſe: quandoquidem temporibus priſcis nullas alias Reliquias plerumque Fideles habebant; Eccleſiaſque ipſas, atque Altaria his tantummodo *Brandeis* conſecrabant.

ARTICULUS IX.

Similitudo rerum & nominum Reliquias multas incertas reddidit.

CUM Eccleſiæ jacturam fecerint tabularum ſuarum, non pauci cogitarunt, ſe poſſidere veras alicujus Sancti Reliquias, qui alias ipſis ſimiles duntaxat habebant. Immo anceps ſum, an error hic tot pepererit guttas ſanguinis & lacrymas Jeſu Chriſti, quæ in multis Chriſtiani orbis partibus coluntur. Nunquid ab hoc fonte manarunt tot capilli Jeſu Chriſti, & Mariæ Virginis, quos multis in locis fideles venerantur? Nun-

Nunquid ab eadem origine repetere poſſemus tot partes lactis Mariæ Matris Dei, aliorumque Sanctorum Reliquias, quæ Chriſtianorum cultui objiciuntur? Præſtat itaque huc afferre nonnulla exempla, quæ probent, ſimilitudinem Reliquiarum in cauſſa fuiſſe, ut quamplures earum dubiæ fierent.

Extat Veſuntione vetuſtiſſimum, & celeberrimum monumentum Calidonii Epiſcopi, ex quo percipimus, Antiſtite hoc ſtringente *os brachii Sancti Stephani*, (quod Theodoſius II. Imperator ad eum miſerat) *defluxiſſe ex eo ſanguinem recentiſſimum tam large, ut diceres, ibi adeſſe B. Stephanum viventem in carne*. Chiffletius hiſtoriæ hujus recitator, cujus fide eam narro, animadvertit, *ex eo ſanguine plenas hodieque phialas plures in Eccleſia Biſuntina ſupereſſe*.

Chifflet. I. parte Veſont. cap. 15.

Quo fit, veritatis ſpeciem præſeferre ſecundum eundem ſcriptorem; Sanguinem S. Stephani, qui aſſervatur Burgis, Coloniæ, Metis, atque in aliis Eccleſiis, non eſſe quidem naturalem primi hujus Martyris Sanguinem, ſed partem ejus, qui Veſuntione ex illius brachii oſſe profluxit. Quanquam Cardinalis Baronius propugnet, Eccleſiam S. Gaudentii Neapoli poſſidere verum Sanguinem Sancti Stephani; nihilominus Chiffletius non ſine ratione credit, illum quoque partem eſſe Sanguinis Veſuntini; Conjecturamque ex eo capit, *quod magno miraculo liqueſcere, atque ebullire conſpiciatur inter Miſſæ Officia die tertia Auguſti, quo die Sanguis a Stephani brachio apud Biſuntium manavit*. Baronius convenit de hujus prodigii die.

Surius 23. Oct. de S. Severino Epiſc. Colon.

Baronius in notis ad Mart. die 3. Auguſti.

Cum S. Martinus Agaunum petiiſſet, Monachi, quibus erat ignotus, denegarunt ipſi Reliquias S. Mauricii, & ſociorum ejus, quas ab illis Sanctus Epiſcopus flagitaverat. At Martinus fuſis ad Deum precibus in loco, ubi martyrio affecti fuerant Sancti, herbam altera manu tenuit, altera cultrum, quo ceſpitem reſcidit in orbem, unde manavit tam copioſus ſanguis, ut ex eo S. Martinus plures phialas impleverit: *Denſus ab ipſo cæſpite copioſi Sanguinis imber diſtillare cœpit*. Sanctus hic Epiſcopus partem hujus Sanguinis Agauni reliquit, quod ſupererat Turonum detulit, in ſua Eccleſia collocavit, aliiſque, præſertim Andegavenſi, largitus eſt.

Surius 22. Sept. pag. 361.

Quæ cum ita ſint, non eſt difficile ſibi perſuadere, temporibus inſequentibus Fideles credere potuiſſe, ſe honore proſequi verum ſanguinem S. Stephani, S. Mauricii, & ſociorum; deceptos ſimilitudine miri hujus ſanguinis, & quadam relatione ad naturalem Sanctorum MM. ſanguinem; quippe alius fluxerat ex oſſe S. Stephani; alter vero exierat ex humo loci illius, in quo S. Mauritius, ejuſque ſocii Martyrio coronati fuerant.

Neque vero minores deceptiones induxit nominum ſimilitudo, quod attinet ad Reliquias, ac induxerit rerum ipſarum imitatio. *Plena eſt conſuetudo generis humani*, inquit, Auguſtinus, *ut non ſolum duos, ſed etiam plures uno nomine vocitemus*. Unde fit, quoties colimus Sanctos multos eodem nomine, incertæque veritatis, ei nos Reliquias præbere, qui celebrior eſt; adeoque eundem Sanctum multis in locis jactare. Conjicias tantum oculos in Martyrologia Latinorum, Menologia Græcorum, atque in Faſtos Eccleſiarum particularium, & Monaſteriorum; ibique reperies magnum Martyrum, & Confeſſorum numerum, qui nomina gerunt Petri, Pauli, Joannis, aliorumque. Hæc autem nomina tot diverſis Sanctis tributa miram in Reliquiis perturbationem intulerunt.

Auguſt. contra Donatiſt. poſt collat. pag. 13.

Cotton. tom. 1. Juſtit. Chriſti l. 1. c. 23.

Procopius gravem plane animadverſionem nobis reliquit, quare ſæpius Sancto alicui loco alterius cultum Religionis præbeamus. Cum Gentiles ſævientibus Chriſtianorum vexationibus ad Fidem repente convertebantur, ſibi nomen imponebant primi Sancti, qui ante alios menti ſuccurriſſet. Quare, inquit hiſtoricus hic, *Sæviente perſecutionis tempore Ethnicos multos Sanctorum appellationes ſibi accipere vidimus*, atque his nominibus aſſumptis, fortiter ad Martyrium procedere. Qui vero Martyrum iſtorum corpora tollebant, vel qui e Carnificum manibus redimebant, hi nomen ipſis imponebant, quo ſemetipſos vocaverant, atque illos hoc titulo humabant. Nec non Chriſtiani ſuccedentes, errore capti ſine fraude coluerunt ipſorum Reliquias, ac ſi eſſent illuſtrium, & præſtantium Martyrum illorum, qui eodem nomine nuncupati fuerant.

Procop. in Iſaiam c. 44.

Jactabant olim Conſtantinopolis Cives, ſe habere in ea Urbe corpus S. Pauli Apoſtoli, in hunc errorem inducti, ait Sozomenus, quod in eadem Civitate venerarentur Reliquias S. Pauli Epiſcopi, quem Theodoſius Imperator Ancira Bizantium transferre juſſerat. *Plurimi neſcientes veritatem, Paulum Apoſtolum jacere credunt.*

Sozom. Hiſt. l. 7. c. 10.

Incolæ Arelatenſes gloriantur de Reliquiis Magni Antonii Abbatis; quas tamen Religioſi viri ejus Ordinis, qui prope Viennam degunt, habere profitentur. Sed veriſimile dixerim, Eccleſiarum iſtarum alteram pro S. Antonio Ægyptio poſſidere alium S. Antonium Inſulæ Lerinenſis, cujus Ennodius cum laude meminit, vel alium S. Antonium: Idemque pronunciare poſſumus de aliis Eccleſiis, quæ ſibi gloriam vendicant, perinde ac illuſtris hujus Abbatis Reliquias ſervent.

Ennodius in Vita S. Antonii Lirinenſis.

Secundum opinionem pervagatam corpus S. Lazari, quem Jeſus Chriſtus e mortuis excitavit, quieſcit Maſſiliæ. Alius tamen autor dictitat, eum in Germania reperiri: *Sanctus Lazarus, quem Chriſtus a mortuis reſuſcitavit, requieſcit in Collegio Andelavenſi, Canoniſſarum, ad Montana Voſagi ſito*. Græci, ut ſcribit Baronius, contendunt in ſuo Menologio,

Cratepol. in Catal. Sanctorum Germ. verbo Lazarus.

Re-

Reliquias ſancti hujus Viri traductas Conſtantinopolim fuiſſe tempore Leonis VI. Imperatoris, qui magnificum Templum in ejus honorem conſtruendum curavit. In Martyrologio Gallicano mentio fit cujuſdam S. Lazari, qui mortem pro Chriſto paſſus eſt cum S. Priſco. Denique Zonaras loquitur de Reliquiis alterius S. Lazari Monachi, & Martyris, in Oriente quieſcentis.

Baron. in notis ad Mart. 17. Decembr

Cedrenus in Leone Imp.

Martyr Gall. 1. Septemb.

Zonaras 3. parte Annal.

Quotnam in Eccleſiis non reperies corpus S. Magdalenæ ſororis Lazari: videlicet Vezeliaci, atque in Provincia; cum tamen Cedrenus, Zonaras, Photius, aliique Autores Græci teſtentur, eam Epheſi tumulatam eſſe? Præter Eccleſiam S. Victoris, quæ eſt in Diœceſi Mediolanenſi, ubi integrum S. Ceciliæ Virg., & Mart. corpus poſſidere credunt; ſeptem aliæ Eccleſiæ ſunt, quæ eundem Theſaurum, vel partem ipſius apud ſe habere ferunt: nimirum Romæ, Lucæ, Papiæ, Pariſiis, atque alibi. Cum autem fieri non poſſit, eaſdem Reliquias pluribus in locis eſſe, neceſſario dicendum erit, pro corpore integro, vel ibi reperiri partem ejus, vel Sanctam aliam virginem Ceciliæ Romanæ nomine coli.

Revera ex animadverſione Domini de Sauſſay non longe a veritate diſtat, Reliquias Eccleſiarum iſtarum ſpectare ad aliam S. Ceciliam Sanctimonialem, & ſecundam Abbatiſſam Monaſterii Miremontani in Diœceſi Tulenſi in Lotaringia, erecti a Sancto Romariaco. Quæ Sancta Cecilia, præclariſſimæ ſanctitatis fœmina, plurimis nominibus vocabatur, ſcilicet Gegobargæ, Claræ, & tandem Ceciliæ. Cum autem ſepulta fuerit in quodam ſacello ex duodecim, quæ ædificata ſunt in illo Monte, dicitur in hanc quoque diem *Sacellum S. Ceciliæ*. Error itaque omnium iſtarum Eccleſiarum petendus eſt a nominum ſimilitudine. Certum namque fit, ut in ſequentibus dicemus, Corpus S. Ceciliæ Virginis, & Martyris repertum fuiſſe Romæ, conſtans omnibus partibus ſuis, tempore Clementis Papæ VIII. At ceterarum Eccleſiarum perſuaſio ſenſim incrementum habens pro temporum ſpaciis de poſſeſſione Oſſium Sacrorum alicujus Sancti, in cauſſa fuit, ut jactent tot in locis, ſe eorundem Sanctorum Reliquias poſſidere.

Sauſſ. in App. ad Mart. Gallic. Litt. C.

ARTICULUS X.

Scriptores poſtremorum ſæculorum, qui pleraſque veteres Reliquias defendendas ſuſceperunt, in cauſſa ſunt ipſarum ambiguitatis.

QUis unquam credidiſſet! Plerique ex Scriptoribus recentioribus, qui ſtudium ſuum in eo poſuerunt, ut quorundam Reliquiarum authenticam veritatem tuerentur; non modo eas Criticæ ferulæ commiſerunt, ſed ad commovendam ipſarum ſuſpicionem non parum contulerunt. Aut certe non poſſumus, quin fateamur, hos Reliquiarum propugnatores originem fœcundam eſſe ambiguitatis, quæ oritur in quamplurimis objectis iſtis venerationis Fidelium.

Nonnulli etenim eruditi Critici poſterioris Ævi propter veritatis ſtudium ſuſcipientes provinciam refragandi pietati Chriſtianorum erga quaſdam Reliquias, niſi ſunt omni ope, ut probarent, Reliquias iſtas dubias eſſe, immo ſuppoſititias.

Alii contra ſapientes viri earum defenſionem adorſi ſunt, nihilque obliti, ut Reliquiarum iſtarum veritatem authenticam, cultumque legitimum aſſererent. Quo autem Apologiis ſuis majorem acquirerent exiſtimationem, prolixas Reliquiarum iſtarum hiſtorias texuerunt, ad conjecturas nulla ratione fultas confugerunt, ſive narrationes ſuas in Autorum, vel Apocryphorum, vel nullius nominis fide ſtatuerunt.

Quæ hiſtoriæ non bene conſutæ, ſemperque parum firmæ, occaſionem præbuerunt pleriſque hominibus Proteſtantibus, ut in omnes Reliquias inſurgerent. Expende nanque rationem, quam injerunt propugnatores Reliquiarum, ut dictitant, Jeſu Chriſti, & Mariæ Virginis; audies ſtatim eos affirmare, traditas fuiſſe primo Reliquias iſtas Apoſtolis, & Diſcipulis Redemptoris; deinde partem illarum migraſſe in Gallias in Nave S. Mariæ Magdalenæ, ceteras vero e Paleſtina translatas in Græciam fuiſſe a S. Helena, Conſtantino Magno, vel alio Orientis Imperatore.

Quædam Gallicanæ Eccleſiæ, quæ non levem Theſaurorum Sacrorum iſtorum partem poſſidere exiſtimant, illorum originem plerumque repetunt a S. Radegunde, a Carolo Magno, vel alio Gallorum Rege, vel Magnate, ad quem miſſi fuerint, vel ipſi per ſe ſe quæſierint. Sed Reliquiæ, quarum initium tam vetuſtum non eſt, fructus tamen habendæ

ſunt

ſunt ſacri Fœderis, atque itineris in Orientem, unde in omnes Occidentis Eccleſias propagatæ ſunt. Vix reperies Comitem, Baronem, vel Æquitem, aliumve ſtrenuum militem, qui e Terra Sancta non redierit ſacris hiſce ſpoliis onuſtus, aut alicujus Eccleſiaſtici Viri, ſeu alterius opera huc illa non miſerit.

Ceterum quamvis Translationes iſtæ in rei ſumma veræ eſſent, ii nihilominus, qui ad illarum hiſtoriam recitandam ſe dediderunt, temporum, locorum, hominumque adjuncta minime aſſecuti ſunt, in Anacroniſmos non raro inciderunt, eventiſque fabuloſis, parumque credibilibus eas ſive ignorantiæ, ſive ſimplicitatis, ſive delectus vitio onerarunt. Accidit quoque, narrationes iſtas invicem diſſimillimas eſſe, quoties a variis Scriptoribus exarantur. Mihi vident itaque, aptius laborare non potuiſſe Autores iſti, ut in ſuſpicionem inducerent pleraſque Reliquias, ut putant, antiquas, quam eas falſis monumentis, vulgaribus ſermonibus, levibuſque, aut aliquando commentitiis conjecturis confirmare. Sed ut hac de re accommodatius judicium ferre poſſis, ſubjiciam exempla quædam.

Carolus Rapinus, Guardianus Recollectorum Pariſienſium, cum aggreſſus ſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Diœceſis Cabillonenſis probare, Cabillone extare in Eccleſia Mariæ Virginis *Envaulx* partem Umbilici Jeſu Chriſti; initio ipſo ponit, Deiparam ſervaſſe umbilicum, qui Filio Dei præciſus fuerat: poſt mortem Deiparæ, delatum fuiſſe Conſtantinopolim: deinde Carolo Magno muneri datum. Per ſe patet, hæc omnia nulla præeunte ratione confirmari. Non diffiteor, Rapinum attuliſſe in medium Vincentii Bellovacenſis, S. Antonini, & Petri Natalis teſtimonia, ut oſtenderet, Imperatorem Byzanthinum largitum fuiſſe Reliquiam hanc Carolo Magno; ſed neſcio quo fato, prterquamquod Autores iſti non præſtant apud omnes accuratione ſingulari, neque tantum autoritatis habent, ut Facta hiſtorica tam vetuſta confirment; nullus etiam eorum aſſerit, Umbilicum Jeſu Chriſti fuiſſe inter Reliquias, quas hic Galliarum Rex ab hoc Græco Imperatore recepit. *Obtinuit*, hæc ſolum habet poſtremus Autor, *Rex partem Coronæ, & Clavum Dominicum. Obtinuit etiam fruſtum magnum Dominicæ Crucis; Sudarium Domini; Camiſiam Virginis, & faſciam pueri Jeſu, ac brachium Symeonis Prophetæ.*

Rapinus in Carolo de Poetic. 74. Epiſc. Cabillonenſ. pag. 372. & ſeq. Gall.

Petrus de Natal. Catal. l. 7. c. 45. & l. 11. c. 94.

Noſter hiſtoricus ut nectere pergat falſam ſuam Traditionem, ponit rurſus, neque enim quidquam probat, Carolum Magnum profectum Romam, ut Imperialem coronam acciperet, donaſſe hac Reliquia Leonem III. Pontificem, qui eam in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis collocavit. Narrat tandem, ſæculo decimoquarto, ſub Clemente V. Pontifice Umbilicum Domini Noſtri in tres partes diviſum fuiſſe, quarum una delata fuit in Eccleſiam S. Mariæ Cabillonenſis. Quæ Facta omnia tam male con-

ſuta ſunt, & tam levibus teſtimoniis munita, ut ſatis ſit ea legere, ut liqueat, ea nullo modo apta eſſe ad hiſtoriam hanc ſtatuendam. Vides ergo quo pacto Rapinus Reliquiam hanc Cabillonem veniſſe narrat viis omnino ignotis quatuordecim ſæculorum ſpatio. Quod nihil momenti habet, ut eam magis authenticam faciat.

Non crediderim pariter, Hiſtoriam Lacrymæ Vindocinenſis * ulli imponere poſſe, qui eam accurate legat; neque ulli perſuadere, eandem ſuppoſititiam nequaquam eſſe, niſi aliæ probationes ſupereſſent, quibus eam fulciremus. Ajunt itaque, Lacrymam hanc ex iis eſſe, quas Jeſus Chriſtus fudit in morte Lazari; Angelum eam collegiſſe, in vaſculo poſuiſſe, quod in majori incluſit, ut nunc eſt, & Magdalenæ donavit. Sanctam fœminam illam ſecum in Gallias attuliſſe, & morti proximam tradidiſſe S. Maximino Epiſcopo Aquiſextano, ubi perſeveravit uſque ad exitum Inſectationis Eccleſiæ, quæ Diocletiani, & Maximiani interitu ſævire deſiit. Exinde delata fuit Conſtantinopolim, ubi ſervata eſt ad annum uſque 1040. Denique Gotifredus Martellus Comes Andegavenſis, & Vindocinenſis, cum magnopere gratiam injiſſet Michaelis Paphlagonici Imperatoris Byzantii, ab hoc invitatus eſt, ut iter Conſtantinopolis aggrederetur, quo cum perveniſſet ſub exitum anni 1042. Imperator illi impertitus fuit Lacrymam Sanctam, quam ab uno ex Aulicis ſuis in Gallias deferri imperavit, & Monaſterio Trinitatis Vindocinenſi dono dedit, quod idem Gotifredus anno 1040. a fundamentis ædificaverat.

Narratio hæc conſtans tantummodo rebus, quæ fieri nullo modo potuerunt; nihil enim horum, quæ tradita ſunt, accidere ulla ratione potuit, complectens quoque hiſtorica Facta, quæ ſaltem maxime dubia ſunt, parum adeo credibilis viſa eſt Mabillonio, ut coactus fuerit eam ſecundum partem deſerere, aliamque viam probabiliorem inire. Apparet itaque laborem ſcriptoris hiſtoriæ hujus contuliſſe magis ad injiciendam ſuſpicionem in Lacrymam Vindocinenſem, quam ad eam aſſerendam; latiſſimumque Criticæ Thierii campum aperuiſſe. Ego tamen conatus ſum Diſſertatione antecedenti legitimum oſtendere Reliquiæ hujus pretioſæ cultum, aperire ejus originem, quæ magis ad veritatem accedat, atque obviam ire argumentis Criticorum Sapientum, qui eam oppugnârunt.

Ii vero, qui contenderunt propugnare Sacram Sindonem, Veſtes inconſutiles Jeſu Chriſti, Induſia, aliamque ſupellectilem Mariæ Virginis,

* Liber hic titulum habet, *Vera Hiſtoria Lacrymæ Sanctæ, quam effudit Jeſus Chriſtus in funere Lazari; quo pacto, & a quibus delata fuerit ad Monaſterium S. Trinitatis Vindocinenſis: ſimul atque præclara multa prodigia, quæ acciderunt, ante annos 630. ex quo mire in eo loco aſſervatur. Vindocini, apud Sebaſtianum Hyp.*

& Re-

& Reliquias aliquorum Sanctorum, cum eandem agendi rationem perſecuti ſint, in eadem pariter incommoda inciderunt. Et quidem hiſtorici iſti minorem injuriam Reliquiarum cultui, & Fidelium pietati feciſſent, ſi narrationes ſuas de medio tuliſſent.

Nonne oportet, inquient, curare, ut quarundam Reliquiarum primos fontes inveſtigemus; conſilium Eccleſiæ defendamus, quæ illas Fidelium venerationi proponit; atque in tuto ponamus a Criticorum vi, qui eaſdem quamplurimis argumentis negantibus petierunt? Conſilium hoc rectum eſſet, atque illud opere implere poſſemus, quod attinet ad Reliquias multas: Quot autem ſunt inter illas, quæ carent probationibus, niſi recentiorum ſæculorum? Nefas itaque erit, tempus hoc præterire, quin cogamur fabellas texere, citius quam Hiſtorias, & quin implicemur nonnullis Factis hiſtoricis, quæ nutant, quacumque ex parte illa expendas.

At quamvis hiſtoriæ iſtæ, reponent, ſapientibus ſatis non ſint, hujuſmodi tamen erunt, quæ Fidelium pietatem foveant, & aliqua ſaltem ratione ſervent Traditionem, quam ſuper Reliquiis iſtis a majoribus ſuis acceperunt: idque eo magis, quo hæc erat unica ratio illas tuendi, qua ſubla ta opus fuiſſet deſerere tot vetuſta monumenta, quæ ab omni antiquitate coli cœperunt. Hæc tamen methodus non modo vitioſa eſt propter allatas rationes, ſed objicit quoque Reliquias iſtas contemptui eorum, qui haſce hiſtorias legunt, & putant ſe recte agere, ſi dubitent de veritate Reliquiarum iſtarum, quæ fabuloſis, aut parum certis narrationibus innituntur.

Deſenſores itaque Reliquiarum iſtarum, quæ dubiæ videntur eſſe, ſequentes Regulas ſectari potuiſſent. Prima eſt, aſſequi originem certiorem, magiſque inconcuſſam cultus Reliquiæ alicujus.

Secunda, hac Epocha firmiter conſtituta, expendere quinam primi Reliquiam hanc receperint, & Fidelium venerationi expoſuerint.

Tertia Regula ſpectat ad prodigia, quæ operatus eſt Deus obtentu Reliquiarum iſtarum, quorum præſtat habere optima teſtimonia, quibus ab omni ſuſpicione liberari poſſint; neque negligere monumenta in earum honorem erecta.

Demum animadvertendum fuiſſet, quæ in illas fuerit pietas populorum, quæque in Reliquiarum iſtarum honorem Feſta, & Solemnia inſtituta ſint.

Quod ſi regulæ iſtæ admodum certæ non ſunt, quibus concluſe veritatem horum fragmentorum Sacrorum evincamus, ſufficere tamen mihi videntur, ut cum obſequio amplectamur id, quod tot Epiſcopi, & Chriſtifideles a ſæculis multis cultus, atque honoris dignum cenſuerunt. Hæc

ratio

ratio mihi videtur æquiſſima, quam ineuntes, neceſſe non eſt, confugere ad Hiſtorias apocryphas; immo præceptorum iſtorum ope poterunt, niſi fallor, tueri pleraſque veteres Reliquias, quæ dubitationem commovere ſolent. Et ſane paucæ eſſent Sanctorum Reliquiæ, quæ venerationem promererentur, ſi alii modi requirerentur, quibus probandum eſſet, eas minime ſuppoſititias eſſe, & niſi Traditioni humanæ inniteremur, quamvis hujus prima origo lateret.

ARTICULUS XI.

Tribuenda eſt Criticis recentioribus perturbatio, quæ nunc in quampluribus Reliquiis emergit.

OBtutu primo operum Criticorum recentiorum cognoſcemus, eos attuliſſe rationes firmas, ut quaſdam antiquas Reliquias labefactarent, atque aliquarum falſitatem, aliarumque incertam veritatem oſtenderent. Conſilium hoc per ſe ſe digniſſimum laudis eſt, atque Eccleſiæ percommodum; quandoquidem propoſitum ipſi eſt, Fidelium cultum emendare, quibus bene multa objecta ſunt obſequio, & honore digna, abſque eo quod ad alia, quæ ſæpe ſunt maxime dubia, ſeſe convertant. Ego vero mihi videor videre, Criticos iſtos eruditos injeciſſe Operibus ſuis dubitationes multas, & confuſionem haud levem inter Reliquias peperiſſe, quas hactenus Fideles bona fide venerati ſunt.

Thierius Tract. de Superſt. t. 2. l. 4. cap. 5 pag. 421. & ſeq.

Thierius, ut ambigamus de Tunica inconſutili Jeſu Chriſti, quæ colitur Argentorati, initio ait, nullum Autorem fide dignum ſcriptis mandaſſe, quid rei fuerit de hac Tunica, poſtquam milites ſortitionem fecerunt, cujus futura eſſet. 2. affirmare Divum Gregorium Turonenſem, ætate ſua eam fuiſſe in capſa lignea in Eccleſia Archangelorum Urbis Galatiæ; at id affirmare ex quodam ſermone vulgari, *ferunt*. Deinde laudat alios Autores, qui vixerunt multo poſt S. Gregorium Turonenſem, & narrant, eam Japhati inventam fuiſſe, atque Hieroſolymam delatam. Sed reſpondere quis poſſet Thierio, utramque narrationem hanc invicem non pugnare, & promptum eſſe eas conciliare.

Ajunt, ſubdit Criticus hic, Tunicam hanc repertam fuiſſe Argentorati ex revelatione cujuſdam Monachi anno 1156. quod Factum vim habet in Diplomate Hugonis Ambianenſis Archiepiſcopi Rothomagenſis, eique Scriptores haud pauci teſtimonium faciunt. Nihilominus Thierius inſur-

ſurgit in veterem membranam iſtam quatuor de cauſſis. 1. Quoniam deprompta eſt e Tabulario Monachorum, qui jamdiu ſuſpicione laborant de Tabularum iſtarum copia. 2. Quia Chenus in Hiſtoria ſua Archiepiſcoporum, atque Epiſcoporum Galliæ, neque Domini de S. Martha in ſuis Galliis Chriſtianis verbum faciunt de itinere Hugonis Argentoratum, ut Jeſu Chriſti veſtem inconſutilem viſeret. 3. Quia Hugo Ambianenſis, qui ſemetipſum vocat tantummodo humillimum Preſbyterum Eccleſiæ Rothomagenſis, congregat Argentorati Archiepiſcopos, Epiſcopos, atque Abbates, quibus nuncupat membranam illam: *Univerſis Catholicæ Eccleſiæ fratribus Reverendiſſimis*; atque Indulgentias largitur. Sed Thierius hæc non objeciſſet, ſi modo noviſſet, Archiepiſcopum hunc, quippe Sanctæ Sedis Legatum, ea, quæ ipſi vitio vertit, præſtare potuiſſe.

Idem peritus Criticus legem condit, qua recepta, pauciſſimæ ſupererunt Reliquiæ, de quibus certiores eſſe poſſimus. Cum etenim ſibi propoſuiſſet evertere fidem S. Lacrymæ Vindocinenſis, ſtatuit principium hoc, quo germanarum Reliquiarum a falſis diſcrimen habeamus; *nimirum opus eſſe, eas fulciri, vel Traditione Divina, vel Traditione Apoſtolica, vel Traditione Eccleſiaſtica*. At ſi oporteret, legem hanc accomodare cuilibet Reliquiæ, ut vera eſſet, aut nulla eſſet, aut quampaucæ, forent quæ veritatem poſſent præſeferre. Quamvis etenim principium hoc egregium ſit ad ſtatuendum caput aliquod Dogmatis, vel Morum, vel Diſciplinæ; velle tamen ad illud exigere Reliquiarum veritatem, nihil minus eſſet, quam Eccleſias omnes ita afficere, ut ne unam quidem germanam oſtendere poſſint.

Thierius Diſſ. de Lacryma Vindocin. 1699. cap. 13.

Licet autem verum eſſet, eruditum Criticum hunc ſolum contendere, eas recipiendas non eſſe Reliquias, quæ Traditioni Eccleſiaſticæ non innituntur, adhuc principium hoc tenderet ad permiſcendas veras Reliquias cum eis, quæ falſæ ſunt; quandoquidem ille pro certo ponit, Traditio Eccleſiaſtica, ut admittenda ſit, „ opus eſſe, ut multo ante fuerit con„ ſtituta; deinde per aliorum manus veluti tradita, & ex ordine confir„ mata a gravibus omnium ferme ſæculorum Scriptoribus. „

Citra quam aggrediamur expendendum principium Autoris hujus: certum omnino eſt, illud ſuſtineri nullo modo poſſe, quatenus ad Reliquias refertur. Sunt nanque Eccleſiæ multæ, in quibus aſſervantur veræ partes genuinæ Crucis Jeſu Chriſti; ſed nulla fortaſſe erit, quæ particulam ſuam Ligni Sacri teſtatam habeat ab Autoribus omnium, vel ferme omnium ſæculorum. In rem itaque erit, ex ſententia Thierii haſce omnes Crucis partes ſupprimere, eaſque miſcere cum iis, quæ ſuſpicioſæ, vel falſæ ſunt.

Uſus quoque præclari principii hujus evertit funditus bonam fidem omnium fere Eccleſiarum, quæ multas veras Reliquias exiſtimant poſſidere; quandoquidem affirmare licet, pretioſas iſtas Sanctorum Reliquias non habere teſtimonium ab Scriptoribus omnium, aut fere omnium ſæculorum, quorum verba in medium afferre poſſis.

Denique affer rationem, qua præceptionem iſtam celebrioribus Reliquiis accommodes? Eccleſiæ multæ cenſent poſſidere caput S. Joannis Baptiſtæ, ſive non mediocrem ejus partem; corpus S. Mariæ Magdalenæ, & ſic de ſingulis. Et tamen unum duntaxat eſſe poteſt caput S. Joannis Baptiſtæ, atque unum S. Mariæ Magdalenæ corpus; at ubi nam reperies teſtes omnium, aut fere omnium ſæculorum, ut hæc internoſcas? Om nia igitur ſupprimenda erunt.

Idem dicito de Clavis Domini noſtri, de ejus veſte Inconſutili, de ſupellectili Mariæ Virginis, deque Reliquiis omnium pene Sanctorum. Ubi nam ſunt teſtes Scriptorum cujuſque Ævi, quæ iſtis fidem faciant?

Sacræ Sindones Jeſu Chriſti, quæ oſtenduntur Veſuntione, Taurinii, atque alibi, videntur Bailleto Reliquiæ ſuſpicioſæ; quod ut probet, in hunc modum argumentatur: „ Sacræ Litteræ non indicant, Sanctas „ mulieres, quæ ad Sepulchrum ſe contulerunt, neque alium quempiam „ curaſſe, ut lintea illa colligeret, atque poſteritati commendaret; nec „ deinde proditum eſt, quid illis factum ſit. Hinc fortaſſe manavit li„ bertas, qua oſtenduntur Lintea non unius generis, neque uno in loco „ ſpeciem illorum imitantia, vel ementita: nihil verentes ſimulatores, ſe „ fraudis convincendos eſſe. „

Baill. in Feſt. Mobil. Fer. Sext Maj. Hebd. de Inſtrum. Paſſ. Art. 12.

Addit inſuper, vulgatas Hiſtorias Sindonum iſtarum tanti habitas minime fuiſſe, ut *tanquam vera, & certa* crederentur ea, quæ in vulgus emittebant. Quæ quidem verba animadvertenda ſunt, *tanquam vera, & certa*. Deinde nititur oſtendere repugnantiam inter Scriptores de origine, & ratione, qua Eccleſiæ ſancta iſta monumenta receperunt. Non prætermittit Facta ab Autoribus narrata, quæ Sindones iſtas reddere poſſunt ſuſpicioſas, vel falſas: quaſi vero deceptiones, exiguum ingenium, depravatum judicium, & credulitas quorundam Hiſtoricorum erimini danda ſint, vel Factis omnibus, quæ recitant, vel Eccleſiis, quæ Sanctas Sindones iſtas cuſtodiunt. Non obliviſcitur aperire errores, atque Anacroniſmos, in quos inciderunt ii, qui ſcripſerunt, ut id Reliquiarum genus tuerentur; neque ob oculos ponere, eos haud raro vaticinatos eſſe, & Facta multa fabuloſa, deſperatæque defenſionis in medium protuliſſe.

Nos vero haud inficiabimur Bailleto vitia hæc, quibus obnoxii fuerunt cum Sacrarum Sindonum, tum etiam Reliquiarum aliarum Apologiſtæ; cum nos ipſi affirmaverimus, eos magis contuliſſe ad imminuendam illa-

rum

rum autoritatem, quam ad augendam probabilitatem. Sed ad Bailletum ſpectabat admonere Lectorem, Eccleſiam non accepiſſe quidem Sindones, neque Populum fidelem Religionis honores ipſis exhibuiſſe propter narrationes iſtas fabuloſas, & Scriptorum iſtorum errores. Nunquid in pleriſque Sanctorum Vitis, ab hoc erudito Critico vulgatis, non reperiuntur aliquando geſta, quæ judicanda eſſent fabuloſa, & quædam Facta hiſtorica, quæ inepte conſuta fuiſſe videntur? Interea tamen Vitas iſtas authenticas recognoſcimus: rati eum alia plane via, quam deceptionum iſtarum illas admiſiſſe. Quare igitur eundem non geſſit morem tot doctiſſimis Epiſcopis, qui Sacras Sindones Populorum honoribus expoſitas reliquerunt?

Sed hic non ſiſtit Critice Bailletiana. Exequitur etiam repugnantias Scriptorum, quæ magni momenti ſunt ad ſtatuendam ſimilitudinem Reliquiarum iſtarum, quas nos genuinas eſſe exiſtimamus, & ſæpe tacitus præterit ea, quæ Reliquiis præſidium afferre poſſent. Denique illud ſubjiciam, quod omittere nullo modo poſſum, eum videlicet texere narrationem, excerptam e diverſis Scriptoribus, perinde ac una tantum eſſet hiſtoria; atque adeo dictis ſuis eam nobis immittere animo notionem Sanctæ Sindonis Taurinenſis, ac ſi eſſet penitus fabuloſa; niſi alia argumenta nobis præſto eſſent. His autem exemplis plura ſubtexere poſſem.

Illud ſolum adjungam, antequam Articulo huic finem impono, eruditos Criticos, qui aliquarum Reliquiarum authenticam veritatem oppugnarunt, navaturos fuiſſe operam ſuam Eccleſiæ utiliorem, ſi inſtitiſſent in probando concluſe, Reliquias iſtas, quas loco pretioſorum, veterumque monumentorum habemus, nullam omnino probabilitatem præſeferre. Quandiu enim æqua ratione probabiles erunt, tandiu licebit, cultum Religioſum ipſis adhibere. Porro vis qualibet Critices ſeverioris hactenus non potuit omnem illis probabilitatem auferre. Cumque Eccleſiæ privatæ ſint in poſſeſſione Reliquiarum iſtarum ante ſæcula multa, eaſque Fidelium venerationi proponant, nemo poterit, ut mihi videtur, ſecundum accuratæ Critices præcepta, niſi certis, perſpicuis, atque demonſtrationi proximis argumentis Eccleſias iſtas de poſſeſſione deturbare.

SECUNDA PARS.

Regulæ ad diſcrimen habendum inter veras, & falſas Reliquias.

In prima Diſſertatione Tomi præcedentis indicavimus modos, quibus uſa eſt Eccleſia, ut pias Traditiones a popularibus opinionibus ſecerneret. Tametſi vero Regulæ illæ ad Reliquias etiam accomodari poſſint; nihi-

lominus propter rei ſingularem gravitatem contendam, magis ſingillatim oſtendere vias omnes, quas inire poſſumus, ut cognoſcamus eas, quæ Chriſtianorum venerationem merentur, atque ab illis internoſcamus, quæ falſitatem redolent, aut ſuppoſitionem.

Regula Prima.

Oportet attendere ad Dyptica Eccleſiaſtica, ad Membranas, tituloſque inſculptos capſis, vel Altaribus Sanctorum.

S. Carolus Borromæus Conc. 4. Mediol.

Regula iſta tradita fuit a S. Carolo Borromæo, tanquam indicium primum, quod attendere debeamus. *Primo*, inquit S. hic Cardinalis, *ut Scripta, Tabulæ, Litteræ, certi Annalium Codices, aliave cujuſvis generis monimenta, quæ ipſis Eccleſiis, earumve atriis, atque ædibus, aut aliis locis extant, ſchedulæque vaſculis, arciſque Sacrarum Reliquiarum affixæ incluſæve recognoſcantur accurate, & diligenter, unde illarum vel Tranſlatio, vel collocatio ibi facta cognoſci, aut alia ejuſmodi notitia earumdem haberi queat.*

Cujus Regulæ monito diremptæ ſunt controverſiæ, quibus tandiu digladiatæ ſunt Eccleſiæ Galliarum, atque Italiæ inter ſe de corpore S. Ceciliæ Virginis, & Martyris. Cum etenim Clemens Papa VIII. juſſerit Cardinali Sphondrato, ut Sanctæ Virginis hujus Sepulchrum aperiret, reperit corpus ejus, conſtans omnibus partibus ſuis, ſimplici panno ſerico coopertum, appoſitaque pedibus ejus tela aurea, & ſerica, in qua illud Paſchalis Papa ante octo ſæcula involverat. Corpus Sanctæ hujus erat in feretro ligni Cytrini, incluſo in tumulo marmoreo, cui ſculpta erat inſcriptio monens, illud eſſe corpus S. Ceciliæ Virginis, & Martyris. Cardinalis Baronius totius rei teſtis, narrationem poſteris tradidit, quæ nulla ſuſpicione laborare poteſt.

Baron. ad ann. 821. num. 3. & ſeq.

Hæc inventio integri corporis illuſtris hujus Martyris conſequenter probare potuit, illud neque Mediolani eſſe; neque Patavii, ut opinio erat; ipſiuſque caput non quieſcere Pariſiis in Eccleſia S. Nicolai *des Champs* Denique opus fuit errorem deponere ſuper altera ex ejus manibus, quæ Bononiæ colitur, & dente, qui Aneti aſſervatur. Patet enim per ſe, nullam ex Reliquiis S. Ceciliæ Virginis, & Martyris, quam habere exiſtimabant in omnibus Eccleſiis iſtis, eſſe poſſe illius S. Ceciliæ, quam Romæ venerantur ex narratione Baronii; quandoquidem tumuli inſcriptio perſuaſit, corpus integrum S. Ceciliæ Virginis, & Martyris Romæ fuiſſe ante ſeptingentos annos.

Leo Oſtienſis l. 2. c. 24.

Nemo unquam credidiſſet, Corpus S. Bartholomæi Apoſtoli requieſcere

in

in Eccleſia Inſulæ Tyberinæ, ædificata ab Othone Imperatore in honorem S. Adalberti Martyris; quoniam Leo Oſtienſis contendit, incolas Beneventi dediſſe corpus S. Paulini Epiſcopi Nolæ pro corpore S. Bartholomæi, ne ditiſſimo illo theſauro carerent. Sed Paſchalis II. cum poſt centum triginta circiter annos Eccleſiam illam inſtauraſſet, collocandam curavit Inſcriptionem, quæ ferebat, in eadem Eccleſia utriuſque Sancti corpora jacere. *Baron. ad ann. 1000.*

Germania ignoraret adhuc, ſe poſſidere corpus S. Aurelii Epiſcopi; niſi tempore Leonis IX. apertum fuiſſet Sepulchrum, in quo poſitæ erant S. hujus Epiſcopi Reliquiæ cum lamina plumbea, in qua ſculpta erant hæc verba: *Corpus S. Aurelii Epiſcopi, tempore Arnulphi Regis repoſitum, Herderado Abbate VIII. Kal. Septembris.*

Quamvis illuſtris Virgo, & Martyr S. Thecla, diſcipula S. Pauli Apoſtoli, per ignem tranſierit, beſtiis objecta fuerit, aliaque tormenta multa ſuſtinuerit, nihilominus haud liquet, eam in ſuppliciis ex hac vita migraſſe; ſed potius Seleuciæ, urbe Provinciæ Iſauricæ, deceſſiſſe, atque humatam fuiſſe prope Urbem, ubi ſuper ejus tumulo Eccleſiam conſtruxerunt.

In ſcripto quodam, quod meminit Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis Claromontii in Alvernia, & Reliquiarum, quæ ibi cuſtodiuntur, mentio fit cujuſdam Monaſterii *de Chamalieres*, quod eſt Eccleſia *Collegialis* Urbeculæ cujuſdam prope Claromontium, *ubi requieſcit S. Tecla*. Traditio regionis, atque Eccleſiæ hujus, Ligna, Picturæ veteres, atque Officium ſolemne in honorem hujus Sanctæ Virginis celebratum, fide inducebant, Reliquias iſtas eſſe S. Teclæ, diſcipulæ S. Pauli.

Sed cum difficile eſſet cogitare, qua ratione pretioſus hic theſaurus delatus fuerit Seleucia in hanc Eccleſiam, plerique Sapientum putabant, eas eſſe alterius S. Teclæ oriundæ *de Camalieres*, vel ſaltem ex Alvernia. Ceterum non ita pridem inſtaurantes Eccleſiam hanc, coacti ſunt reducere prope murum Altare marmoreum, quod erat in Sacello; atque illi, qui Aram demoliebantur, repererunt capſulam, confectam ex quodam ligno, quod non erat regionis illius, in qua erant oſſa, & lamina plumbea, ſculpta his Litteris majoris magnitudinis: *Hæ ſunt Reliquiæ Beatæ Teclæ Virginis, & Martyris, quæ Iconiæ oriunda fuit, dehinc vero a Paulo Apoſtolo converſa Seleuciam requievit.* Hæc lamina, quæ nongentorum annorum ætatem fert liquido oſtendit, Reliquias illas ad magnam Sanctam Teclam pertinere. Corpus tamen integrum non eſt, ſed ſecundum partem, videlicet a zona deorſum.

Quod diximus de Inſcriptionibus, intelligendum pariter eſt de teſtimoniis, & Schedulis, quæ reperiuntur in capſis, & in Reliquiariis, de Elogiis,

giis, de Epithaphiis, omnibuſque aliis Sepulchrorum Sanctorum monumentis. Ut autem probe expendantur indicia hæc, diligenter ſcrutari oportet illorum antiquitatem, ſigilla, ſubſcriptiones, Notarios, & teſtimonia. Quo autem ex ordine hæc omnia probabuntur, eo Reliquia certior erit.

Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus, atque in Martyrologio, nullam plerumque probationem affert veritatis Reliquiarum, niſi tabulas, quæ in Eccleſiis multis omnium oculis objectæ ſunt. Eccleſia revera Papienſis, nullum aliud Reliquiarum ſuarum argumentum habet præter membranam vetuſtiſſimam, quæ illarum meminit, atque in Sanctuario publice patet.

Apud Bochellum l. 4. Decret. Eccleſiæ Gall. tit. 5. c. 17.

Propterea Concilium Toloſanum, celebratum anno 1590. ſanxit prudenter: *ut appenſæ vel affixæ ſingulis Eccleſiis tabellæ Reliquiarum omnium nomina publice deſcripta proponantur*. Porro veriſimile videtur eſſe, quod Epiſcopi aliique Superiores Eccleſiaſtici non conceſſiſſent, ut conficerentur Indices iſti, atque in publicum affigerentur, niſi certiores fuiſſet de Reliquiarum veritate, atque illas examinaſſent.

Pro re nata Inſcriptionum, Tabularum, & Schedularum ad ſervandam memoriam Reliquiarum, afferam hic difficultatem, quam objecit mihi quidam Parochus campeſtris. Oſtendit mihi thecam vetuſtiſſimam ex metallo, cujuſmodi in multis aliis Eccleſiis reperiuntur, in qua erant fragmenta ſerica, linea, & fragmenta etiam Reliquiarum. In eadem theca apparebant ſchædulæ pervetuſtæ ex membranis, ut vix apparerent levia quædam veſtigia Scripturæ, cujus litteræ penitus deletæ eſſent.

Parochus quidam ejus deceſſor ante centum annos, veritus ne caracteres omnino delerentur, & legi nullo modo poſſent, neque cognoſci, cujus Sancti eſſent Reliquiæ; ut ipſarum extaret memoria, Actum fecit, manu propria ſignatibus, in qua meminit eorum omnium, quæ in hac theca incluſa erant; teſtaturque Schedulas continere ea, quæ ipſe indicavit in Scripto illo, quo ex ratione ſcribendi, Parochum eruditum hominem fuiſſe declarat.

Ante annos vero aliquot Epiſcopus Diœceſis cum Parœciam hanc, Reliquiaſque ſingillatim inviſeret; cavit, ne Fidelium venerationi impoſterum exhiberentur, ſed in apto aliquo, & mundo loco, vel in Sacrario ſervarentur. Antiſtiti autem huic viſa eſt res poſtulare, ut hoc pacto ſe gereret, quod videlicet propter deletam pene Scripturam omnem Schedularum, non conſtaret, quorum Sanctorum eſſent Reliquiæ illæ, immo num eſſent Reliquiæ veræ. Crediderim quoque, ipſi perſuaſum minime fuiſſe, teſtimonium Parochi ſatis eſſe, ut Reliquiis iſtis pretioſis autoritas accederet; cum Reliquiarum viſitatio ad Epiſcopum præcipue ſpectet.

Ut

Ut autem argumentum hoc de medio tollam, antea omnibus palam facio, me nullo modo ad judicium revocare velle agendi rationem eximii hujus Antiſtitis, cujus ſcientia, & prudentia omnibus patent, quique nihil tum præſtitit, quod abhorreret a Regulis, quas exiſtimavit ab ſe ſervandas eſſe. Deinde animadverto, veriſimile eſſe, fragmenta ſerica, & linea, quæ in Theca illa clauſa erant, ex hujuſmodi Reliquiis fuiſſe, de quibus locuti ſumus nomine *Brandeorum*: liquet enim, eas habitas fuiſſe inter veras Reliquias; immo ſæpe nihil aliud in more fuiſſe collocare in Eccleſiis, quæ ædificabantur, vel Altaribus, quæ erigebantur; eaſdemque Reliquiarum thecas, quæ in publicis ſupplicationibus deferebantur, nihil aliud, niſi Reliquias hujuſcemodi concluſiſſe.

Quibus præhabitis animadverſionibus, opinio mea fert, teſtimonium ſcriptum vetuſti Parochi ſatis fuiſſe, ut Reliquiæ illæ inter legitimas admitterentur. Quamvis etenim jus probandi Reliquias ſpectet præſertim ad Epiſcopos: nihilo ſecius magnum diſcrimen intereſt inter eum, qui declarat, Reliquiam aliquam hujuſcemodi eſſe, ut Fidelium venerationi publice exhiberi poſſit, poſtquam illam, quavis adhibita formula juris, expendit; atque inter illum, qui teſtatur ſolummodo, talem Inſcriptionem in ea Reliquia fuiſſe: quod non eſt illam approbare, ſed tantum prohibere, ne pereat memoria illius, vel cum aliis permiſceatur, aut loco alterius ſumatur.

Veterum Reliquiarum Traditio ad nos uſque pervenit opera tantummodo Ædituorum, vel Cuſtodum, qui ſervarunt cum eas, tum ſchedulas, titulos, vel inſcriptiones, quæ illas ab aliis Reliquiis ſecernere poterant: & fide duntaxat iſtorum eas accepimus, atque ad Poſteros propagatæ ſunt. Pie credimus, eos minime mutaſſe notas iſtas, & Sacra hæc depoſita ita cuſtodiſſe, ac illa receperunt. Hæc eſt, ut mihi videtur, communis ratio ſervandi Reliquias, cultuſque ipſis exhibitus momentum habet in eorum tantum probitate, ad quos pervenerunt.

Quod ſi modus hic ſatis eſt, ut de Reliquiarum authentica veritate certi eſſe poſſimus, quare admittendum non erit teſtimonium Parochi ſapientis, & pii, qui declarat, illius Sancti Viri eſſe Reliquiam hanc? Si ſchedulæ Reliquiis iſtis affixæ ſubſtitiſſent, nemo unus dubitaſſet, quin, ut germanæ, colerentur; neque Epiſcopus ipſe illas inviſens. Cenſeo itaque, Acta vetuſti Parochi ſatis eſſe potuiſſe, ut Reliquiarum iſtarum cultus perſeveraret. Antequam finem facio Regulæ hujus explicandæ, illud animadverto, nefas eſſe opinari, Reliquias ſublatas fuiſſe, cum in Thecis reperitur modicum duntaxat terræ, vel pulveris Sepulchri Sanctorum, fragmentum Tapetis, quo operiebantur, fragmentum panni ſerici, vel linei, quod tantiſper ſuper illorum Sepulchrum ſuſpendiſſent; quando-

doquidem pleræque Eccleſiæ nullas alias Reliquias habebant; iiſque Reliquiarum imaginibus eundem cultum exhibebant, atque oſſibus Sanctorum, Deuſque illarum obtentu non ſemel miracula perpetrabat.

Regula Secunda.

Teſtimonium virorum fide dignorum; nec non vetuſta & conſtans Eccleſiarum Traditio.

Conc.4. Med. Regulam hanc ſectandam eſſe jubet S. Carolus Borromæus, cum Sanctorum Reliquiæ examinantur: *Teſtes præterea conquirantur, ſi qui ſunt, qui teſtimonium dent antiquæ conſtantiſque Traditionis, ex qua certa eorum cognitio conſtet.* S. Martinus vero hanc agendi rationem ſervaverat ante multa ſæcula. Cum etenim contigiſſet expendere Reliquias cujuſdam Sancti ignoti, ad Veterum teſtimonium, atque ad Traditionem confugit.

Sulpit Sev.l.de Vita S.Martini c.8. *Non temere adhibens*, inquit S. Sulpicius Severus, *incertis fidem, ab his, qui majores natu, Presbyteris, vel Clericis flagitabat ſibi nomen Martyris, quem prona magis, quam certa, & tuta fide imperitum colebat vulgus, vel tempora paſſionis oſtendi: grandi ſe ſcrupulo permoveri dictitans, quod nihil certi conſtans majorum memoria tradidiſſet.*

Ambr.l.10. Ep.85. S. Ambroſius quoque a Veterum teſtimonio firmum duxit argumentum veritatis Reliquiarum SS. Gervaſii, & Protaſii: *Nunc enim*, inquit Sanctus iſte Doctor in Epiſtola ad Sororem ſuper hac re ſcripta, *Senes repetunt audiſſe, ſe aliquando horum Martyrum nomina, titulumque legiſſe.* Sanctus item Auguſtinus nolens hærere fidei populi de Sanctitate cujuſdam Sixti, qui Martyr in Anglia paſſim dicebatur, D. Gregorium conſuluit, a quo reſponſum habuit: *omnibus modis eſſe obſtruendum, ne permitteretur populus certum deſerere, atque incertum venerari.* Quem Sanctum Gregorius appellat Sanctum incertum; quia jactatus hic Martyr populari tantum fama colebatur, non Veterum teſtimonio. *Neque aliqui de antiquioribus exiſterent, qui ſe a parentibus paſſionem ejus audiſſe faterentur.*

Vix reperies Eccleſiam aliquam, quæ Reliquiarum ſuarum veritatem authenticam Traditione non confirmet, potius quam argumentis aliis; quoniam temporum injuriæ pleraque monumenta ſuſtulerunt. Sed ut ratio deducta a Traditione vim habeat, & vulgi ſermones evitemus, oportet primo.

Traditionem hanc longo annorum curſu, & temporis ſpatio haud memorabili firmari.

2. Conſtantem eſſe, perpetuam, & nullatenus intermiſſam.

3. Non

3. Non debet Traditio hæc oppugnari argumentis majoris autoritatis, quæque fidem graviorem mereantur.

Oportet, demum Traditioni huic accedat conſenſus Epiſcoporum, qui ſuccedentibus temporibus vixere.

Neque etenim ſit ſimile vero, inter tot Sanctos Viros, eruditoſque Antiſtites, qui Eccleſiis, in quibus extant Reliquiæ, præfuerunt, neminem fuiſſe, qui eas penſitaverit diligenter, & ſecundum Regulas, quæ in iſtis recognitionibus ſervari ſolent. Vel etenim Traditio Reliquiarum iſtarum obtinuerat, antequam Eccleſiæ illius ſedem occuparet, vel Traditio hæc ejus tempore incœpit. Si Traditio communis erat, & ſatis invaluerat de Reliquia illius, vel alterius Sancti hominis, videtur prudentiæ regulis conſentaneum, ſi Epiſcopus illam admiſerit. Poteſt nanque præſumere, Deceſſorum ſuorum primum, qui Reliquiam illam accepit, atque autoritate donavit, ſatis ſtudioſum fuiſſe, ne illam Fidelium venerationi proponeret; niſi eatenus expendiſſet, quatenus rei gravitas poſtulabat.

Quod ſi Reliquiæ alicujus Traditio poſtremis hiſce ſæculis propagata eſt, cui perſuadeam, Antiſtitem aliquem tam ſegnem fuiſſe, ut conceſſerit, publicum, & religioſum illi cultum exhiberi, cauſſa minime conſiderata, & deficientibus illis veritatis notis, quæ tunc flagitare prudentia ſolet, aliiſque cautionibus neceſſariis, ab Eccleſia præſcriptis. Neque etenim diffitemur, fieri poſſe, ut ſubrepat error aliquis facti in hujuſcemodi Traditionibus, & perſpicatiores ipſi aliquando in fraudem inducantur. Interim tamen pauciſſima ſunt exempla in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ex quibus habeamus, Epiſcopum loco germanarum falſas Reliquias admiſiſſe. Multo vero magis neſcio, an quempiam reperies, cujus error diu invaluerit, & cito non emerſerit.

Glaberius narrat, deceptorem quendam ætate ſua mendaces Reliquias vendere conſueviſſe. Poſtquam autem multos de plebe in Galliis ſefellit, ad Alpes ſeceſſit, ubi venditabat, ſe deferre corpus S. Juſtini. Sed unde nam factum eſt, ſceleſtum illum hominem tam turpiter populis impoſuiſſe? Quod videlicet, ut ait autor hic, *nec Moriannæ, nec Ulzeticæ, ſeu Grotinovæ Urbium Præſules, in quorum Diœceſibus talia profabantur, diligentiam hujus inquirendæ rei adhibuere*. Quæ eadem negligentia Epiſcopos in aliud graviſſimum vitium impulit. Adſtiterunt etenim conſecrationi cujuſdam Eccleſiæ, quam Marchio Manfredus ædificavit in honorem Mariæ Virginis, & in qua profanas deceptoris illius Reliquias collocarunt.

Glaber. Rodulph. Hiſt. l. 4. c. 3

Habes unum duntaxat exemplum, quod legerim in Hiſtoria Eccleſiaſtica de Antiſtitum cœtu, qui falſas Reliquias pro veris receperint. Sed tamen

men hæc advertas velim. Primum eſt, Glaberium affirmare, Epiſcopos neglexiſſe neceſſarium ex Eccleſiaſtica lege de Reliquiis illis judicium. Secundum ſit, Lucri cupiditate obcæcatos fuiſſe. *Quin potius conciliabula ſtatuentes, in aliquibus nihil aliud, niſi inepti lucri quæſitum a plebe ſimul, & favorem exigebant*. Tandem Epiſcoporum iſtorum error diu non obtinuit; cum Deus fallaciam Monachis quibuſdam revelaverit, qui populum ab errore revocarunt; inter quos erat Hiſtoriæ hujus ſcriptor.

Regula Tertia.

Revelationes, & Miracula ſunt certa argumenta veritatis authenticæ Reliquiarum.

Fundamentum in eo habet Regula hæc; quod Veritas prima mentiri non poſſit, ſive per ſe, ſive per fideles ſervos ſuos. *Nam forte*, ait Auguſtinus, *tunc mentitur Deus, quando præcipit, ut illi credamus. Si autem Deus talem haberet voluntatem, non eſſet Deus*. Quare ubi certum ſit, Deum revelaſſe homini, Reliquias illas alicujus Sancti eſſe, non eſt illis deneganda fides: ſi tamen perſpecta manifeſte ſit hæc Dei revelatio.

S. Aug. l. de Mend. c. 8.

Hoc pacto aperuit Deus quamplurimas Sanctorum exuvias. Ex admonitione divina cognovit D. Ambroſius corpora Sanctorum Gervaſii, & Protaſii. Pulcheria Imperatrix reperit cineres Quadraginta Martyrum, quod ſcilicet Deus ipſi, ut narrat Sozomenus, locum, ubi quieſcebant, oſtenderit. Nunquid non eadem ratione Deus Sanctæ cuidam mulieri Reliquias S. Cypriani detexit, ut didicimus a S. Gregorio Nazianzeno? *Revelationem in apertum protulit*.

S. Ambr. l. 10. Ep. 85.

Sozom. l. 9. Hiſt. c. 2.

Greg. Naz. Or. in Cypr.

Non ſemel voluit Deus, Angelos indicare loca, ubi Sanctorum Reliquiæ conditæ eſſent; atque hac ratione repertæ ſunt exuviæ S. Quintini Martyris, uti memorat Surius in Sancti hujus Vita. Iidem etiam beati homines aliquando monuerunt, ubi nam Sacra eorum oſſa cubarent. Nemo unus ignorat, Gamalielem revelaſſe Presbytero Luciano locum, in quo jacebat corpus ejus cum corporibus S. Stephani, Nicodemi, atque Abibonis tempore Honorii Imperatoris. Hiſtoria ſane hujuſmodi exemplis redundat.

Surius 31. Oct.

Quot mira facta patravit Deus, ut oſtenderet loca, in quibus erant Sanctorum Reliquiæ; ut eas ſervaret, vel teſtimonium diceret de illarum veritate? Quidam Scriptor nomine Leo hæc narrat: *Monachi Caſſinenſes olim ſperantes in particula lintei, quo pedes Diſcipulorum ſuorum Chriſtus exterſerat. Cum plurimi fidem derogarent, illi fide præditi particulam ipſam arden-*

Leo Chronograph. Caſſin. l. 2. c. 34.

dentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis verſa eſt; amotis tamen carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter rediit. Deus etiam aliquando uſus eſt miniſterio avium, piſcium, atque animalium terræ, Energumenorum, ipſorumque Dæmonum, ut Sanctorum gloriam oſtenderet, & Reliquiarum ſuarum veritati teſtimonium compararet. Non eſt itaque dubitandum, eas certas eſſe, quoties conſtat, Deum miris modis eas patefeciſſe.

Regula Quarta.

Approbatio Epiſcoporum, Actaque Viſitationum, Reliquiarum veritati certum ſpecimen afferunt.

Inter præcipua Epiſcoporum munera illud eſt, ut diligenter expendant Reliquias, quæ populis venerandæ objiciuntur, eas approbent, & concedant, ut illis debitus cultus exhibeatur. Id decernit Concilium Tridentinum. *Novæ Reliquiæ non recipiantur, niſi Epiſcopo recognoſcente, atque approbante.* Quæ Epiſcoporum facultas confirmata eſt in Concilio Turonenſi anno 1583. in quo dicitur, admittendas non eſſe Reliquias: *Donec Epiſcopus illas vere eſſe Sanctorum judicaverit.* Concilium Toloſanum, aliaque multa idem declararunt.

Idem jus Epiſcoporum alia vetuſtiora Concilia cognoverunt, adeo ut Barboſa non dubitet affirmare, *Epiſcopum quemlibet, inconſulta Sede Apoſtolica, approbare poſſe, & illo approbante, tanquam veras, & ad illum Sanctum pertinentes* (Reliquias) *poſſe abſolute venerari.* Quare Reliquiæ ab Epiſcopis examinatæ, atque approbatæ reverenter ſuſcipiendæ ſunt; præſertim quoties eliquata fuit veritas hæc, reperiturque in Actis Viſitationis. *

Quo autem viſitatio hæc magis eſſet authentica, ſervari poſſent ſequentes Regulæ, quæ petitæ ſunt a Conciliis, & conſtitutæ in more Sanctorum, atque Antiſtitum multorum.

Prima indicitur a Concilio Tridentino: *Qui ſimul atque de his Reliquiis aliquid Epiſcopus compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit.* Concilia Toloſanum, & Mediolanenſe paullo ante a nobis laudata iiſdem ferme verbis utuntur. *Concil. Trid. Seſſ. 25. Decreto de SS. Reliq.*

* Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *Decr. de SS. Reliq.* Concil. Turonenſe *Tit. de venerat. Reliq.* Concil. Toloſ. anno 1590. *c.* 1. *de SS. Reliq.* Concil. Mediolanenſe 4. *cap. de SS. Reliq.* Concil. Bonon. 4. *part. de SS. Reliq. Transl.* Concil. Pictavienſe 1587. *Apud Bochell. l.* 4. *de Decret. Eccl. Gall. Tit.* 5. Concil. Cartaginenſe 5. *c.* 15. Concil. Afric. *c.* 30. *Can. placuit. de Conſecr. diſt.* 1. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 97. *n.* 13.

Concil. Trid. ibid. Concil. Mediol. ubi ſupra.

Loco ſecundæ Regulæ eſſe poterit: *Si aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat: Epiſcopus antequam controverſiam dirimat Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet.*

Abuſus, quorum mentio fit in hoc Decreto Concilii Tridentini, ſunt ex. gr. Si colerentur in aliqua Eccleſia Reliquiæ ſancti alicujus ſine ulla ratione; ut accidit Turonis tempore S. Martini, in Anglia, Gregorio Magno Summo Pontifice, & Mediolani, quo tempore S. Carolus Borromeus Eccleſiam illam moderabatur; ut ſuperius adnotavimus.

Quibus abuſibus accenſere merito poſſumus alium: nimirum ſi plebs univerſa novum aliquod Miraculum promulgat, vel inter Sacras Reliquias collocet eam, quæ revera non eſt. Tum ex Concilio Mediolanenſi ſuperius allato: *Studeant Epiſcopi hoc ſummopere, ubi ejuſmodi occaſio ſe obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus pie obſiſtant, donec veritas legitime comprobata conſtet.*

Conc. Med. Reſt. Decr. Viſit. p. 1. c. 18.

Tertia & Quarta Regulæ digeſtæ ſunt in eodem Concilio Mediolanenſi. Pro illa nanque jubet, ut expendantur teſtes fide digni; & pro hac ſcrutentur Tabulæ Eccleſiaſticæ, vel Inſtructiones, vel alia hujuſmodi monumenta, quibus inniti poſſunt non contemnenda argumenta ad cognoſcendas Reliquias, quæ inviſuntur. Nos vero ſuperius utramque Regulam expoſuimus.

Quintæ etiam Regulæ loco obſervandum eſt, ut tradit idem Concilium, Reliquias omnes, quæ pro veris habentur, ita diſpoſitas eſſe debere, ut aſpici poſſint. Quod attinet vero ad illas, quæ ſunt ſub Altari, vel locis ſubterraneis, non concedant, ut fiant feneſtræ, vel foramina, unde videri poſſint. Sancitum quoque eſt, ne citra inſignem neceſſitatem ex humo eruantur, idque fiat Epiſcopo annuente. *Ita tamen ut ubi ſub Altaribus, aliiſve ſubterraneis ejuſmodi locis corpora Sanctorum collocata, reconditave ſunt, nec oſtium, neque feneſtra ſit, unde inſpici queant; non aperiantur neque effodiantur, niſi ob cauſam aliter Epiſcopus aliquando faciendum cenſuerit.*

Prudentiſſima eſt Regula iſta: *Ut ſingulæ Sacræ Reliquiæ, quas extare compertum eſt, reipſa cernantur.* Quandoquidem non habemus teſtes fideliores oculis ipſis; neque poſſumus de illarum veritate magis certiores fieri, quam ipſo obtutu. Cujus Regulæ monito, cum Cardinalis Paleotus inviſere vellet Oſſa Sacra Sanctorum Vitalis, atque Agricolæ Martyrum Bononienſium, vocavit peritiſſimos Anatomiſtas, ut obſervarent omnia Sanctorum iſtorum oſſa, antequam in capſis includerentur. Attendant pariter ad magnitudinem partium corporum Sanctorum, ad odorem, colorem, figuram, aliaſque qualitates tum naturales tum et-

Concil. Bonon. 4. p. de Tranſl. SS. Reliq.

iam

iam ſupernaturales, quæ explorari poſſunt; quoniam hæc omnia confe-runt ad rectum diſcrimen habendum inter veras, falſaſque Reliquias: Porro hæc prudens cautio obſtruere poteſt os Calvino, & ſectatoribus, qui Catholicos accuſant; perinde ac oſſa canum, atque Aſinorum inter Sanctorum Martyrum Reliquias enumerent: *Quæcumque oſſa Aſini vel Canis vice Oſſium Martyrum ſufficere conſueviſſe*. *Calvinus adm. de Reliq.*

Sexta Regula. Poſtquam Epiſcopus diligentiam omnem adhibuerit; niſi veritas dignoſci poſſit, vel ſuppoſitio Reliquiarum expenſarum; neque ſint Sancti Viri, ab Eccleſia Beatorum Faſtis adſcripti, vel Traditione noti; ſive aliquo Pontificis Diplomate donati, non ſunt in publicum exponendæ, ut animadvertit D. Thomas. Non tamen deſpicienda ſunt oſſa hæc dubia; ſed ſervanda in loco apto, donec veritas ſe prodat. *S. Thomas 3. p. q. 25. art. 6.*

Hic autem inſurgit difficultas, quæ non levem afferet, ſi ſolvatur, utilitatem. Si veræ Sancti alicujus Reliquiæ ita permixtæ, & confuſæ eſſent, ut dividi non poſſent ab aliis incertis, & ſuppoſititiis; tum Epiſcopus poſſet ne omnes probare, atque honoribus Chriſtianorum proponere? Quidam Teologi cenſuerunt id licere; cum per ipſos *magis dignum attrahat ad ſe minus dignum*; ut oleum haud conſecratum fit ſacrum, ſi cum oleo Sacro permiſceatur. Sed magis eſt ſimile vero, Epiſcopum haſce Reliquias ſupprimere debere; neque enim oſſa hæc inter ſe connectuntur. Si certo pateret, eas eſſe veras Reliquias cultus ipſis debitus redderetur, ſi alias liquido compertum eſſe poſſet, eas falſas eſſe, nullo illas honore deberent afficere. Quare Epiſcopus periculum ſubiret aliquid faciendi contra Religionem: atque adeo tutius eſſet neutras Fidelium venerationi proponere. Nihil autem prodeſt comparatio Rei. Cum etenim Canones tribuunt facultatem miſcendi liquorem dubium cum oleo Sacro; pro rato habent, quantitatem hujus illius quantitatem excedere debere.

Septima Regula propoſita fuit in Concilio Bononienſi, celebrato a Paleoto Cardinali, ejuſdemque Urbis Archiepiſcopo. *Singulis Reliquiis ſingulæ ſchedulæ cum Sanctorum nominibus adjiciantur. Fiat Reliquiarum omnium, quæ probatæ, certæque fuerint, Catalogus cum Oratione, atque Indulgentiis, quæ in Sacello, vel loco, ubi illæ repoſitæ fuerint, affigatur; ut accedentes quaſi moneat, quam pie, quamque Sancte pro obtinendis Sanctorum ſuffragiis, & interceſſione ad illorum Reliquias venerandas accedere debeant*. Divus Carolus Borromeus idem imperaverat. *Conc. Prov. Bonon. 1. p. 4. de Invoc. & vener. Reliq. Conc. Med. 4. p. 3. de S. Reliq.*

Denique ubi Epiſcopus hæc omnia præſtiterit accuratiſſime; curam adhibeat, ut paretur liber, in quo ex ordine deſcribat Reliquias omnes Eccleſiarum Diœceſis ſuæ; nec ſatis habebit, eas collocare in Tabulis

bulis Eccleſiarum , in quibus ſitæ ſunt , ſed etiam digerat in Annalibus, publiciſque monumentis. Hic vero liber cuſtodiatur in Tabulario Epiſcopatus, atque in eo apponant nomina Reliquiarum, quæ impoſterum detegentur; poſtquam tamen probatæ fuerint. *Libro in Epiſcopali Archivio diligenter aſſervando deſcribi curent*: Ut decernitur in Conciliis Toloſano; Mediolanenſi, & Bononienſi proxime adductis.

Concil. Toloſ. anno 1590. de Reliq. SS. c. 11.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De quibuſdam Monumentis profanis, in quibus de Jeſu Chriſto mentio fit.

NON eſt animus huc afferre quidquid Ethnici Scriptores Svetonius, Tacitus, Plinius junior, Porphirius, Celſus, aliique multi pro Chriſto, & Religione tradiderunt. Huetius in ſua Demonſtratione Evangelica diligenter elegantiora loca collegit, quæ ſuper hac re conſulere poſſimus. Ego itaque operam meam pono duntaxat in expendenda Hiſtoria mortis magni Panos; Epiſtola, atque Actis Pilati, & celebri loco Joſephi, in quo videtur Jeſum, ut Meſſiam, recognoſcere.

Plutarc. de defectu Orac. Tom. I.

ARTICULUS PRIMUS.

De Morte Magni Panos.

§. I.

Sententiæ Scriptorum de hac Hiſtoria.

INter Prodigia, quæ in Redemptoris noſtri morte contigerunt, collocare ſolent Hiſtoriam, quæ apud Plutarcum in Opuſculo quodam ſuo recitatur a Cleombroto, qui eam ab Æmiliano Eloquentiæ Profeſſore, & Æmiliano Epitherſo, Lacedemonibus didicerat. Pater ejus Epitherſus narrabat igitur, ſe navim conſcendiſſe in Italia, cumque eſſet prope Inſulam Paxim, unam Echinadum, percepiſſe vocem, quæ navis Gubernatorem nomine Thamum appellabat. Thamo autem reſpondenti, vox ſubjunxit: *Cum ad Pelodes veneris, ibi annuntia, quod Magnus Pan mortuus eſt.*

Thamus voci obtemperans, de Navi clamavit, Magnum Pana eſſe mortuum. *Et vix conticuiſſe illum, & gemitum ingentem auditum fuiſſe, non unius, ſed multorum cum admiratione mixtum.* Poſtquam autem Na-

vis

vis Romam appulit, ſtatim res promulgata eſt. Tiberius quoque, qui tum imperabat, ab ipſo Thamo certior eſſe voluit, & de re ſibi perſuaſum eſſe teſtatus fuit.

Euſeb. de præp. Evang. l. 5. c. 17.

Baronius ann. 34. n. 126.
Huet. de Demonſ. Evang. prop. IX. pag. 537. §. IV.
Gretſ. de Cruce l. 1. c. 31.
Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. 1. in Syn. c. 1. art 5. n. 6.
Richard. Montac. Originem Eccl. Tomo 1. p. 2. pag. 422.
Tillem. art. 21. 8. c. Item notat. 37. 8. c.

Habes ſummatim celeberrimam hanc Hiſtoriam, quam Plutarcus narrat de Morte Magni Panos. Euſebius item eam fuſis verbis perſecutus eſt in quodam ex præcipuis Operibus ſuis. Recentiores autem ſuper hoc facto diviſi ſunt. Multi crediderunt, Pana hunc, quem Ethnici, ut naturæ autorem venerati ſunt, eſſe eundem Jeſum Chriſtum, cujus mors omnibus Dæmonibus dolorem, & conſternationem maximam ingeneravit, qui ſuam in homines tyrannidem amplius exercere non poſſunt. Hæc ſententia videtur eſſe Baronii, quem ſecutus eſt Huetius, qui ait: *Id convenit in tempus Mortis Jeſu Chriſti, qui verus Pan eſt, rerum omnium parens, & naturæ totius autor, quam Panos ſymbolo mithologici ſignatam voluerunt.* Gretſerus, Alexander, aliique multi opinionem hanc adoptarunt. Inter heterodoxos Montacutius declarat: *Non negaverim hic intelligi poſſe per magnum Pana Dominum Crucifixum, & lamenta Dæmonum exaudita, ideo quod deſtructum Diaboli imperium in ejus morte.*

Tillemontius haud exiſtimans probabile eſſe, verum Deum ab hoſtibus ſuis nomen mutuare voluiſſe, credidit, quod magis foret Deo glorioſum, ſi diceretur, ipſe coegiſſe Dæmones, ut ipſi ſuum pudorem confiterentur, & vulnus lethale divulgarent, quod a Cruce ſuſceperant. Quare per ipſum magnus Pan, qui mortuus eſt ſub Tiberio, Princeps Dæmonum fuit, cujus Imperium per Dei mortem, tam hominibus ſalutarem ſus deque verſum eſt.

Godav. Hiſt. Eccl. l. 1. p. 158. Gall.
Fontan. Hiſt. de Orac. Diſſ. 1. c. & 4. Gall.
Anton. Dale De Orac. Ethn. & alii.
Animad. in Reg. & Uſum Crit. T. 2. Diſ. 3.

Ii vero, quibus placuit, Hiſtoriam hanc maxime ſuſpicioſam eſſe, fabulæque non parum redolere, majus quidem aliis momentum habent. Ego ſane eo libentius amplector ſententiam hanc, quo factum hoc conſtat adjunctis multis, quæ non reſpondent legibus a me conditis ad delectum habendum inter Traditiones veras, & fabuloſas. Quod enitar oſtendere, poſtquam animadvertero id, quod ſequitur.

Meminiſſe oportet, Paganos adoraſſe nomine Panis duplicem Deum! Alter vocabatur Magnus Pan, alter minor Pan. Primus eſt ille, quem Arcades venerabantur, cuique Feſta Lupercalia dicaverant. Verum eſt, docere Pauſaniam, Lycaonem conſecraſſe Ludos iſtos Jovi Lycæo; & contendere Dionyſium Halicarnaſſeum, illos Pani dedicatos fuiſſe: quod argumento eſt, Arcades Jovem cum Pane confudiſſe. Hic idem autor rei hujus concluſum ſuppeditat argumentum, cum dicit, Deorum Arcadiæ maximum, & vetuſtiſſimum Pana eſſe. Alius Pan Deus Paſtorum erat Ἀγροτέρων θεὸς, *Ruſticorum Deus*, qui inter Semideos duntaxat locum habebat, & filius Mercurii, & Penelopes ferebatur.

Dempſ. Antiq. Rom. l. 3. c. 2.

§. II,

§. II.

Hiſtoria hæc fabuloſa eſt.

PRimum argumentum falſitatis hiſtoriæ hujus ab eo petimus, quod in Plutarcho ipſam conſequatur ſtatim narratio alia non parum ridenda, quæque ſatis eſſet, ut illam penitus everteret. Inquit enim Demetrius eo loci, pleraſque Inſulas, quæ ſunt circa Angliam, deſertas eſſe, & conſecratas Dæmonibus, atque Heroibus, ſeque miſſum ab Imperatore, ut illas perluſtraret, appuliſſe in illarum unam, quæ habitabatur: paullo poſt adventum ejus exortam fuiſſe tempeſtatem, & tonitrua formidanda, quæ regionis incolis perſuaſerunt, aliquem ex præcipuis Dæmonibus tum mortem oppetiiſſe; quoniam ipſorum mortem funeſtum ſemper aliquid comitabatur. His adjungit Demetrius, aliam ex his inſulis carcerem eſſe Saturni, qui in Briarei cuſtodia aſſervatur, & perpetuo ſomno ſepultus eſt, (quod, ut mihi videtur, Gigantem illum redderet Dei hujus cuſtodiæ ſatis inutilem) atque undique innumeris Dæmonibus, veluti ſervis, circumdatus. Audis portenta, quibus Plutarcus Lectores ſuos ſolet detinere. Hiſtoria quidem Thami refutata pene eſſet omnino, ſi nullo alio vitio afficeretur, quam ſedem habere prope aliam Dæmonum Demetrii.

Secundo loco, Hiſtoria hæc ſenſum rectum, & probabilem reddere non poteſt, quonam pacto mors hæc intelligenda ſit. Magnus hic Pan, cujus Thamus mortem nunciavit, ille eſſe non poteſt, quem Ethnici adorabant. Si nanque Pan homo erat, ut ferebant; multo ante diem ſupremum obiiſſe compertum eſt. Magnus autem Pan apud Ethnicos vetuſtiſſimus erat inter Deos Arcadiæ; & propterea tum ante multa ſæcula interiiſſe dicebatur. Quod ſi rem de Pane minori intelligamus, repugnat ſtatim vox, quæ magnum Pana mortuum eſſe Thamo perhibuit. Si velis etiam, magnum hunc Pana unum ex Dæmonibus fuiſſe ſecundum notionem Chriſtianam; liquet, creaturas intelligentes morti obnoxias non eſſe. Si demum accipias Dæmonem in ſenſu, quo illum Gentiles accipiebant, quid rei erat, hoc hominibus nunciare? Unquam ne fando auditum eſt de hujuſmodi mortibus! Et tamen hæc ipſa mors multo ante accidere debebat.

Sed ponamus, hunc verum Dæmonem fuiſſe, qui in mundo tyrannidem ſuam ad uſque paſſionem Chriſti exercuerit. Nullius frugis eſſet contendere, vocem Thamo locutam, non ſignificaſſe quidem mortem Dæmonis naturalem, ſed metaphoricam nomine magni Panos;

quandoquidem verba ſententiam hanc reddere nullo modo poſſunt: Alias fruſtra myſterium hoc Thamo revelatum fuiſſet. Quo etenim ſigno percepiſſet, mortem hanc non eſſe ſecundum naturam, cum id aperte verba moneant, & Pagani crederent, Dæmones mortem ſubire, atque aliud mortis genus ignorarent?

Mens ne erat illi, mortem hanc Dæmonibus, vel hominibus patefacere? Si vox procedebat ab aliquo ſpiritu; nunquid ſpiritus indigebant opera hominum, ut mortis hujus nuncium aliis Dæmonibus afferrent? Quod ſi propoſitum fuiſſet, illam hominibus referre, num Dæmones tam ſibi male conſulebant, ut incommoda, levitatemque naturæ ſuæ hominibus aperirent? Quid inſuper opus erat, homines de hac morte certiores facere? Si autem opus fuiſſet, quare vox illa magni Panos mortem non in Urbibus, ſed navis Rectori evulgavit?

Si contra magnus hic Pan erat Jeſus Chriſtus, Dæmones certe ſalutarem hanc mortem non enunciarunt, niſi imperante Deo. Sed quid factum eſt? Ecquis hominum Panos nomen ſenſu genuino intellexit? Plutarchus certe altero Eccleſiæ ſæculo vivebat; & tamen ne unus quidem adhuc ſuſpicatus fuerat, Pana eſſe Jeſum Chriſtum in Judæa neci traditum.

Deinde ſi Pan hic magnus Dæmon erat, cur hominibus mortem ejus annunciare! Deus, inquies, illum coegit, ut proderet. Dei igitur conſilium erat; ſed quo res evaſit? Nemo unus ethnicos errores depoſuit, quod magni Panos mortem audierit. Statuerunt Romæ, hunc fuiſſe filium Mercurii, & Penelopis non autem alterum, quem in Arcadia, ut rerum omnium Deum venerabantur ſecundum nominis ſignificationem; tandem licet vox enunciaverit magnum Pana, id tamen de minori intellectum eſt. *Cui rei tantam fidem Tiberius præbuit, ut Philoſophis, qui tum Romæ erant, accitis, diligenter quiſnam eſſet ille Pan, ac curioſe ſcrutaretur. Omnes autem illos quibuſdam in idem conveniſſe conjecturis, ac dixiſſe, de illo ſibi videri nunciatum fuiſſe, qui a Mercurio & Penelope natus fuit*. Quamobrem ſive Pana, cujus mortem Thamus nunciavit, accipiamus pro magno Pane, Arcadum Deo, vel pro minori Pane, Deo Paſtorum; aut dicamus eſſe Dæmonem, ſeu tandem Jeſum Chriſtum, locus non eſt probabili interpretationi hujus portenti.

Euſeb. l. 5. de Præp. Evang. c. 9.

Sed fabuloſa inſuper videtur cum in ſe, tum in effectibus ſuis. Nonne narratio eſt, de induſtria confiſta, affirmare, vocem Dæmonis perferri ad hominem; ut certiores faciat alios Dæmones de morte Sociorum ſuorum, qui nunquam intereunt, nec interire poſſunt? Id ſane eſt, cum Dæmones, tum etiam homines irridere. Hiſtoria pariter iſta commentum dixeris, ſi effectus ejus attendas. Unde fit, auditos fuiſſe quamplures,

res, qui clamores emitterent, dolore atque admiratione permixtos. Sed quare, cum vox Thamum interpellavit, clamores illi non ſunt auditi in loco, ubi Tamus erat, ſed tantummodo cum gubernator ille Navis verſus Pelodem navigaret inclamavit.

Oportebat ne, hominem declarare Dæmonibus mortem Dei, quam unviverſa natura nunciaverat. Eclypſis Solis, Terræ motus, ſaxa confracta, totque alia prodigia nonne Dæmones certiores facere poterant de morte Redemptoris?

Non judicavit Tillemontius, ſibi licere, huic hiſtoriæ fidem derogare; quoniam Euſebius narrator ipſi ſubſcripſerit. Id tantummodo favere poteſt facto huic. Nihilo ſecius miror, Tillemontium duo non animadvertiſſe. Primum eſt, Euſebium, ut apparet ex titulo capitis, in quo recenſetur Hiſtoria, illam non adhibere, niſi ut Gentilibus oſtendat, eos ipſos cognoviſſe, pleraque Oracula poſt Jeſu Chriſti nativitatem penitus ceſſaſſe; & cum non cognoſcerent veram hujus eventi cauſſam, rem interpretatos fuiſſe de morte Dæmonum, vel Geniorum, qui Oraculis præerant. Ceterum an hiſtoria hæc vera ſit, vel falſa Euſebius non diſquirit. Probabile ſane eſt, eum in fabulis illam habuiſſe, non ſecus atque reliqua a Plutarcho recitata. *Tillem. art. 21. de Jeſu Chriſto notat. 37.*

Secundum eſt, iſtud, quod ex hac Hiſtoria ſive ſuppoſititia, ſive germana colligere Euſebius volebat, verum fuiſſe; nimirum Ethnicos cognoviſſe Oraculorum ſilentium ſive univerſe, ſive ſecundum partem. Euſebius itaque uſus eſt hiſtoria hac, ut Gentiles ſuorum Scriptorum teſtimoniis coargueret. Num autem affirmabis, Euſebium eundem, Tertullianum, Auguſtinum, alioſque Patres aſſenſionem dediſſe iis, quæ ad convincendos principiis ſuis Ethnicos attulerunt?

ARTICULUS II.

De Actis Pilati, atque de ejus Epiſtola, ad Tiberium Imperatorem miſſa, pro Chriſto Jeſu.

INter omnia monumenta, quæ afferri poſſunt pro Chriſto Jeſu, nullum ferme eſt, quod majorem autoritatem habeat, & Chriſtianæ Religioni gloriam præclariorem acquirat, quam Acta, atque Epiſtola Pilati. In more nanque erat Magiſtratuum Romanorum, ut exararent præſcripta rei geſtæ Acta, & judicia, nec non alia, quæ animadverſione digna in Provinciis eveniebant; atque ad Imperatores mitterent.

Euſeb. Hiſt. l. 2. c. 2. *Vetus erat conſuetudo Provinciarum Rectoribus, ut quidquid novi apud ipſos contigiſſet, Imperatori nunciarent.*

Qua de re Plinius Trajano Scripſit ea, quæ gerebantur in Bythinia; ipſumque conſuluit ſuper Chriſtianis, qui mirum in modum ſuccreſcebant. Apparet quoque, inter moniti præcipua, quæ Præfectis tradebantur, illud fuiſſe, ut omnia ſcitu digna deſcriberent. Nunc etiam id extat in Codice Theodoſiano, & Juſtinianæo *de Relationibus*. Quæ ubi animadvertimus, non erit multi operis oſtendere, Acta, atque Epiſtolam Pilati non eſſe falſitatis inſimulanda. Deinde ſtudium omne in eo collocabo, ut difficultates, quæ ſuper hac re moveri poſſunt, de medio tollam.

§. I.

Hæc duo monumenta ſuppoſititia non ſunt.

Pilatus ex conſuetudine nunc memorata haud præteriit, quin Tiberium certiorem faceret de iis, quæ acciderant Hieroſolymis, quod ſpectaret ad Chriſtum. In hac Relatione recitabat miracula a Jeſu Chriſto perpetrata, veſtes ejus militibus diviſas, Reſurrectionem, atque Aſcenſionem ejus. Quæ cum tam eſſent in Judæa pervagata, ut in ore omnium verſarentur, neceſſe Pilato fuit, id Imperatori nunciare, ipſique notum facere, multos illum in Deorum numero habere, poſtquam e mortuis ſurrexit. *Pilatus igitur de Reſurrectione Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univerſam Palæſtinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit. Multa quoque alia ejuſdem miracula ſe auditu accepiſſe ſignificans: Et qualiter ad vitam denuo revocatus a pleriſque jam Deus ha-*Euſeb. ubi ſupra. *beretur*. Ecce paucis quidquid continent Acta, atque Epiſtola Pilati.

Quamquam Autores nonnulli de narrationis hujus veritate dubitaverint, nihilominus teſtatiſſima eſt. Tertullianus poſtquam Vitam, mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionemque Jeſu Chriſti compendio retulit, Tertull. in Apol. c. 5. n. 21. Pilatum, ſubjungit, hæc omnia Tiberio nunciaſſe. *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit, nunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui.*

Verum quidem eſt, Senatum reſpuiſſe Propoſitionem: *Cæſar autem*, ſequitur Tertullianus, *in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum*. Ex quibus Tertulliani locis liquido patet, cum loqui de hac Pilati narratione, tamquam de re omnino comperta.

Sed non modo ex Epiſtola Pilati vulgata fuerunt, quæ acciderant in Judæa,

Judæa, verum etiam ex Actis publicis, quæ digeſta ſunt, & diu extarunt. Ad hæc Acta S. Juſtinus revocat Romanos de rebus, quæ de Jeſu Chriſto dicebantur: *Hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt ſcripta, poteſtis*. Atque in eadem Apologia, quam Imperatori Antonino Pio miſit: *Quod iſta fecerit*, ait, *ex eis, qui ſub Pilato ſcripti ſunt, commentariis, cognoſcere poteſtis*. Dicendum ergo eſt, S. Juſtinum vidiſſe Acta, quæ de Jeſu Chriſti morte citabat, cum firmitate tanta Imperatorem, Senatum, eoſque omnes ad illa rejiciat, quibus Apologiam ſuam nuncupaverat. *S. Juſtinus Apolog. 2.*

Euſebius fuſe diſputat de Actis Pilati ſuper morte, aliiſque factis admirandis, quæ multos eo deduxerant, ut Jeſum Chriſtum, tanquam Deum, venerarentur. Oroſius addit, nefas eſſe cuiquam dubitare, quin Præſes hic, præter ea, quæ ſcripſit de Jeſu Chriſto, de prodigiis etiam meminerit, quæ ipſius Diſcipuli in ejus nomine perpetrabant. Nihilominus neque Euſebius, neque Oroſius, neque Scriptores alii poſteriores videntur vidiſſe opuſcula iſta; ut demum ii, qui contenderunt ea apud ſe extare, nihil habuerint, niſi ſcripta ſuppoſititia, ut in ſequentibus oſtendam. *Oroſ. l. 7. c. 4.*

Præter teſtimonium Patrum, quos attulimus, veritas narrationum iſtarum conjecturis etiam firmari poteſt. Prima eſt, non eſſe cur miremur, Pilatum, licet Paganum Tiberio ſcripſiſſe pro Jeſu Chriſto, & rem multa cum dignitate nominis ejus ad eum detuliſſe. Neminem etenim latet, Præſidem hunc non dubitaſſe de innocentia Jeſu Chriſti, cujus miracula viderat, & teſtis fuerat multorum geſtorum ejus præclariſſimorum; cujus morti invitus conſenſerat, & propterea manus laverat; ut tandem rerum evidentia coactus: *Ea omnia*, teſte Tertulliano, *ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus Ceſari tunc Tiberio nunciaverit*. *Tertull. in Apol. c. 21.*

Secunda conjectura vim facit in odio; quo inter ſe Judæi, & Pilatus conflagrabant. Ii nanque anſam omnem captabant, ut iſtum perderent, ut revera impoſterum præſtiterunt. Politica igitur Præſidis hujus ratio ferebat, ut Tiberii benevolentiam foveret, qua ſibi præſidium adverſus mala Judæorum conſilia pararet: quod aptius præſtare non poterat, quam narrando Imperatori quidquid accideret in Judæa, & præſertim ſeditiones, quæ in Romanos movebantur. Porro nihil erat, quod accommodatius in rem hanc caderet, atque Imperatorem permoveret, quam modus, & ratio habita a Judæis in Jeſum Chriſtum, licet, ut Deus, haberetur.

§. II.

§. II.

Enervantur objecta argumenta adverſus authenticam Monumentorum iſtorum veritatem.

TAnàquillus Faber Miniſter Salmurienſis contendit, nullo modo fieri poſſe, ut S. Juſtinus, & Tertullianus laudaverint ea, quæ Pilatus Tiberio narravit; cum Acta iſta confecta fuerint duntaxat tempore Maximini Imperatoris, qui poſt Patres iſtos hanc lucem hauſit.

Hoc argumentum per ſe ruit, ſi attendas tatummodo Acta, atque Epiſtolam Pilati ab Autoribus Catholicis, ab Hæreticis, atque Paganis laudata fuiſſe; hæc autem Scripta omnia poſt Euſebium citata manifeſte ſuppoſititia ſunt. In quorum numero collocare poſſumus Epiſtolam Pilati ad Tiberium, quæ reperitur in Epitome falſi Hegeſippi, atque a Baronio recitatur. Satis enim eſſet eam legere, ut falſitatis redargueretur. Eadem Epiſtola apparet in Scripto, quod tribuitur Marcello cuidam Diſcipulo S. Petri; eam autem Sixtus Senenſis exſcribendam curavit, veluti alicujus autoritatis monumentum. S. Gregorius Turonenſis ait, Pilatum miſiſſe ad Tiberium narrationem de Paſſione, & Reſurrectione Salvatoris: *Quæ acta* ſubjungit, *hodie apud nos retinentur ſcripta*. Sed hiſtoria, quam citat de Joſepho ab Arimathea, argumento eſſe poteſt, opus hoc pluris faciendum non eſſe, quam Hiſtoria Jeſu Chriſti, ad Tiberium a Pilato miſſa, atque inventa Hieroſolymis in Commentariis Publicis temporum Imperatoris Teodoſii.

Greg. Turon. Hiſt. l. c. 24.

Epiph. Hær. 50. Extabant quoque Acta Pilati, quibus utebantur Hæretici Quartodecimani, & quorum Epiphanius autoritatem aperte reſpuit, diemque in ipſis adſcriptam non attendit.

Tempore autem Diocletiani Gentiles excogitarunt nova Paſſionis Jeſu Chriſti Acta, ut germanis opponerent, deque illorum autoritate detraherent. Quæ Maximinus in odium Chriſtianæ Religionis, utpote impietate plena, atque oppleta blaſphemiis, juſſit propagari, & publice legi in Urbibus, & Vicis; immo a Ludi Magiſtris tradi pueris, & memoriæ mandari. Ita habet Euſebius. *Pilati præterea, & Salvatoris noſtri rerum geſtarum tanquam Commentarios quoſdam omni blaſphemia, & convicio contra Chriſtum refertos confixerunt, quos de ſententia Imperatoris per totum Regnum, quod ejus ditioni parebat, mittunt ..... Et Ludi Magiſtri præ aliis diſciplinis pueros in hiſce ſedulo exercerent, hoſque illis memoriæ mandandos traderent*. Hæc porro Acta Paſſionis Chriſti ab Ethnicis vulgata appoſitum habebant annum Jeſu Chriſti 21., & Tiberii ſeptimum,

Euſeb. Hiſt. l. 9. n. 4.

& octa-

& octavum . Quæ nota ſatis eſt , ut Actorum illorum falſitatem oſtendat; cum Joſephus nos reddat certiores , Pilatum non præfuiſſe Judeæ, niſi multos poſt annos.

Joſephus Antiq. l. 18. c. 3. Euſeb. Hiſt. l. 1. c. 9.

Eſt itaque in confeſſo, Acta iſta, ſive corrupta fuiſſe , ſive conficta ex Actis germanis allatis a Tertulliano, & Juſtino , qui legitima viderant. Et propterea neque duo Patres iſti, neque Euſebius ex operibus iſtis adulterinis excerpſerunt, quæ tribuunt Pilato, ſed ex veris Actis, atque Epiſtola Præſidis hujus, quæ deinceps interpolarunt , vel de integro conſcripſerunt.

Dupinus licet narrationem hanc in falſis manifeſto non habeat , contendit tamen dubiis eſſe annumerandam. Præſtolaberis fortaſſe, quænam firma afferat argumenta, . ut ſententiam ſuam roboret ; ſed nihil habet præter ea, quæ ſequuntur. ,, Non deſunt Eruditi multi , qui ambigant ,, de veritate hiſtoriæ hujus, quæ reipſa non magnam veritatis ſpeciem ,, præſefert. Qui etenim veriſimile ſit, Pilatum ea ad Tiberium ſcripſiſ- ,, ſe de homine, quem capitis damnaverat? Ac ſi ſcripſiſſet, probabile ne ,, erit, Tiberium detuliſſe in Senatum , ut hominem hunc Diis accenſe- ,, ret ex narratione duntaxat Præſidis ſui ? Quod ſi detuliſſet , cui du- ,, bium eſſe poterit , Senatum in ſententiam ejus deſcenſurum fuiſ- ,, ſe.

Dupinus Bibl. T. 1. pag. 65. Edit. 1686.

Ego vero anceps ſum , an tot ſapientes iſti , de quibus loquitur Dupinus, quique de hiſtoria hac dubitationem habuerunt , deſinant nec ne in uno Tanaquilo Fabro . Illud certe perſpicuum eſt, Doctorem iſtum hauſiſſe quæcumque dixit ſuper hac re ex Epiſtolis Miniſtri hujus Salmurienſis, qui tamen a Proteſtantibus celeberrimis refutatus fuit. Cavius, & Caſaubonus teſtantur, audiendos non eſſe eos, qui explodunt hiſtoriam hanc, ab antiquiſſimis Patribus confirmatam. *Audiendi*, inquit poſterior, *meo judicio non ſunt, qui huic Hiſtoriæ fidem abrogant*. Pearſonius Epiſcopus Ciceſtrienſis refellit objecta Tanaquili Fabri, atque oſtendit, rationes omnes, quibus inniti ſtudet, vel falſas, vel leviſſimas eſſe.

Cavius Hiſt. Litt. Sæc. 1. pag. 25 Caſaub. Exerc in Baron. art 16. Ann. 34 num. 221. Pearſon Lect. 4. in Acta Apoſt. §. 14.

Nihilo ſecius Dupinus non dubitavit , Hæretici hujus conjecturas adoptare . *Qui veriſimile ſit*, inquit, *Pilatum ea ad Tiberium ſcripſiſſe?* At rationes, quas attulimus , de neceſſitate , quæ Præſides urgebat, ut Imperatoribus nunciarent, quidquid alicujus momenti accideret, ſatis declarant, caviſſe Pilatum, ne huic muneri deeſſet. Denique teſtimonium perſpicuum Tertulliani , Juſtini , atque Euſebii nonne factum iſtud extra omnem dubitationis aleam ponit ? Quam narrationem reperias magis teſtatam ? Si nanque hæc veri ſpecie caret , neſcio cui impoſterum ſtandum erit.

Sed neque Dupinus concedit, veriſimile eſſe, Tiberium detuliſſe ad Senatum,

natum, ut Jeſus Chriſtus in Deorum numerum referret. Cur autem veriſimile non eſt? Quia, ait Criticus hic, ſi Tiberius illud propoſuiſſet, Senatus in ejus ſententiam conceſſiſſet. Atqui Senatus aſſenſionem non dedit, primo, ut aſſentaretur Tiberio, & negaret honores illos alteri deferre, quos Princeps ipſe in ſe non probaverat, ut animadvertit Tertullianus: *Senatus, quia in ſe non probaverat, reſpuit.*

Tertull. ubi ſupra.

Secunda ratio repulſæ hujus fuit, ut autoritatem ſuam tueretur. Multi nanque Salvatorem adoraverant, quin ſummi Magiſtratus Romani permiſſum poſtularent, quippe qui exiſtimabat, Deum quemlibet a ſua poteſtate pendere, & Deum non eſſe, præterquam ex illorum permiſſu. Id nanque ferebant vetuſta Decreta. *Vetus erat Decretum*, ait Tertullianus, *nequis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probatus.* S. Joannes Chryſoſtomus eandem rationem affert. *Id vero illi Chriſto facere recuſaverunt: quod iniquo, atque infenſo animo ferrent, ante Decretum ſuum, atque ſententiam Crucifixi potentiam effulgentem univerſum Orbem ad ſui cultum, & venerationem attraxiſſe.*

Tertull. in Apol. c. 5.

Chryſ. hom. 26. in Ep. 2. ad Cor.

ARTICULUS III.

De teſtimonio, quod Chriſto dedit Joſephus.

Joſeph. Antiq. l. 18. c. 4.

RECito ante omnia celeberrimum locum Judæi hujus, qui tot inter eruditos homines peperit concertationes. *Eodem tempore*, inquit hiſtoricus hic, *fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt. Plurimos quoque tum de Judæis, tum de gentibus ſui habuit ſectatores. Chriſtus hic erat; cumque invidia noſtrorum Principum Cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus qui eum primum dilexerant, perſeveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens: multa & hæc, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & uſque hodie gens Chriſtianorum ab hoc ſortita vocabulum non defecit.* In §. autem ſequenti examinaturi ſumus quid de hoc Joſephi loco pronunciandum ſit.

AR-

§. I.

Sapientes apprime diviſi ſunt ſuper loci hujus autoritate.

AB initio Eccleſiæ ad medium uſque præteritum ſæculum Scriptores omnes Eccleſiaſtici hoc Joſephi teſtimonium, tanquam legitimum receperant, & nemini in mentem venerat, ut de eo dubitaret. Blondellus porro primus fuit, qui propugnaret, verba illa ab audaci manu illata in contextum fuiſſe. Tanaquillus Faber Miniſter Salmurienſis Diſſertationem conſcripſit, ut ſententiam hanc fulciret, cui Autores alii bene multi adhæſerunt: videlicet Ludovicus Cappellus, Oſiander, Montacutius, Giffanius, & alii apud Ottium *in Examine Baronii ad ann. 95.* & apud Fridericum Spanhemium *Tom. 1. Chronol. pag.* 151.

David Blondellus Tract. de Sibyllis c. 7. pag. 28. Edit. 1649. Gall.

Faber Tomo 1. Epiſt. 34. Gall.

Opinionem Fabri diluit Franciſcus Roya, Juriſconſultus Andegavenſis; Huetius Propoſitione tertia Demonſtrationis ſuæ Evangelicæ. Vvitſius in Miſcellaneis ſacris non modo propugnat locum iſtum, ſed etiam affert, quidquid utrinque diſputatum fuit. Tillemontius autem, Pagius, Alexander, Valeſius in notat. ad cap. XI. libri primi Hiſtoriæ Euſebianæ, aliique non pauci vindicant locum iſtum a ſuſpicione falſitatis.

Uſſerius in Annal. pag. 641. Hornejus, Reineſius, Voſſius, Cavius, & alii.

Ceterum non deſunt, qui medium veluti locum teneant inter eos, qui ſunt a veritate loci hujus, quique illam impugnant. In quorum numero recenſere poſſumus Spanhemium, Ottium in locis citatis, atque his addere Ligtitfoortium, & Dupinum. Quæ ſapientum diviſio probare commode poteſt, argumenta cum pro authentica loci hujus veritate, tum pro illius ſuppoſitione hujuſmodi non eſſe, ut lancem faciant in alteram partem deſcendere, ut altera falſa ſit: quamvis Autor Bibliothecæ Criticæ mordicus tueatur, non modo probabile haberi, locum hunc ſuppoſititium eſſe, ſed veritatem hanc in illis habendam, de quibus nefas ſit dubitare.

Bibl. Crit. Tomo 2. cap. 2. pag. 26.

Noſtra itaque in præſens eſt expendere, utra ex his opinionibus ſit ſimilior vero, & mereatur, ut illam, alia contempta, amplectamur. Quo autem majorem, quam poſſim, argumento huic afferam claritatem, poſtquam conſtituero Traditione conſtanti, locum hunc ſuppoſititium non eſſe, atque Joſephum cognoviſſe Chriſtum Dominum, tanquam Meſſiam; opera omni enitar, ut oſtendam, Litteratos homines, qui præclari hujus loci autenticam veritatem propugnant, eam penitus tollere; atque illos, a quibus impetitur, ſi rite argumentari velint, opus eſſe, ut eam tueantur. Deinde occurram Objectis Autoris, laudati in Bibliotheca Critica.

§. II.

Si Traditionem audiamus, locus hic Joſephi aſſutus non eſt, & Judæus ille cognovit, Chriſtum Jeſum Meſſiam fuiſſe.

VEritas authentica loci hujus confirmari poteſt, primo, Exemplariorum omnium, quotquot ad nos pervenerunt, ſive editorum, ſive non editorum unanimi conſenſione. Si locus hic additus fuiſſet, ut ſupponunt, ſæculis primis, difficile admodum fuiſſet, Euſebium, Hieronymum, alioſque Autores Eccleſiaſticos, qui deinceps vixerunt, in aliquod ex his corruptis exemplaribus haud incidiſſe. S. Iſidorus locum hunc recitat, atque authenticum eſſe fatetur. Cedrenus, Nicephorus, Suidas de teſtimonio iſto in hiſtoriis ſuis mentionem fecerunt.

Iſidor. l. 4. Ep. 225. Sozom. l. 1. c. 1. Cedren. Hiſt. comp. Niceph. l. 1. c. 39. Suidas in Lex. verbo Joſeph.

Secundo, ſi verba hæc non extaſſent ſemper in Libris Judæi hujus, & rei perfectæ adjecta fuiſſent, Euſebius illa minime adhibuiſſet confidentia tanta contra Judæos, & Gentiles, perinde ac eſſent verba teſtatiſſima, & tanquam Joſephi ab omnibus recepta. Dixiſſet ne de hiſtorico iſto? *Cum Scriptor ille Hebræis oriundus de Joanne Baptiſta, & Servatore noſtro in ſuis Libris commemoravit, quod jam refugium relinquitur his, qui adverſus eos Acta illa confinxerunt, quominus impudentiſſimi eſſe convincantur?* Nonne Judæorum irriſioni obnoxius fuiſſet, & calumniatoris notam ſubjiſſet, qui locum ſuppoſititium citabat? Nihil enim aliud neceſſum fuiſſet Euſebio reſpondere, niſi locum illum in ſuis exemplaribus deſiderari.

Euſeb. l. 1. Hiſt. c. 12.

Tertio quis ſibi perſuadeat, S. Hieronymum non cognoviſſe Mſs. varietatem, aut ſaltem de ea ſuſpicionem non habuiſſe? At ſi duo Patres iſti, aliique omnes Scriptores Eccleſiaſtici falſitatem hanc minime animadverterunt, id tribuendum eſſet tantummodo exiguæ ipſorum intelligentiæ; quandoquidem acies recentioris Criticæ evidenter deprehendit, teſtimonium iſtud ſpurium eſſe, ſi tamen ſapientes aliquos audire præſtat. Quod exemplum oſtendere poteſt aperte, quam nonnulli Critica facultate abutantur. Hi autores priſci Mſs. præ manibus habent, in eis hunc locum reperiunt, qui ab uno ad alterum manat tredecim, aut quatordecim ſæculorum ſpatio: & tamen nunc perſuadere nobis volunt, eum in Libros Antiquitatis clam immiſſum fuiſſe. Nunquid non opus eſſent argumenta die ipſo clariora, ut hæc poſitio ſtatueretur? Num leves conjecturæ præſtare debent comperto tot Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonio?

Denique ſi Joſephus noluiſſet loqui de Jeſu Chriſto cap. 4. libri decimi octavi Antiquitatum ſuarum, neque pariter illius debuiſſet men-

tionem facere cap. 8. libri 20. ubi loquitur de S. Jacobo Apoſtolo, quem vocat *Fratrem* Jeſu cognomine Chriſti. τὸν, ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Quæ cum ſcriberet Joſephus, verſabat ſane animo, quæ paullo ante dixerat de Jeſu Chriſto. Paucis omnia. Traditio hæc hactenus invaluit, ut Bibliothecæ Criticæ Scriptor fateatur, Hiſtoricos Eccleſiaſticos Euſebii ſectatores non dubitaſſe, quin Judæus hic revera ſcripſerit ea, quæ in ipſius opere legimus.

Biblioth. Crit. tomo 2. c. 2.

Deinde non eſt multi operis conficere, Hiſtoricum hunc Judæum certo credidiſſe, Jeſum Meſſiam eſſe. Nanque ex teſtimonio S. Hieronymi, Freculphi, & Svidæ perſpectum habuit Joſephus, S. Joannem Baptiſtam verum fuiſſe Prophetam. Cum igitur Joannes miſſus fuerit, ut Meſſiæ adventum nunciaret, ſimillimum veri ſit, Joſephum præ oculis habuiſſe hoc Præcurſoris munus, quoties eum vere prophetam appellavit: *Joannem Baptiſtam vere Prophetam eſſe.*

Hieron. de De. ſcript. in Joſepho, & in Jacobo.
Freculph. Tomo 2. Chron. l. 2. c. 5.
Svidas in Joſepho.

Sanctus item Joannes publicum teſtimonium Jeſu Chriſto reddidit, quod Meſſias eſſet, atque Agnus ſine macula, qui tolleret peccata mundi. Idem Joannes dixit Judæis, qui ad eum miſſi fuerant, ut interrogarent, anne Meſſias eſſet, eum in medio eorum eſſe. Quam quidem Legationem, utpote celeberrimam, difficile creditu eſt, hunc eruditum Hiſtoricum latuiſſe. Atqui ſi Joſephus Joannem tanquam Prophetam cognovit; ſi teſtimonio ipſius fidem præbuit, eumque *Joſephus*, ut tradit Euſebius, *juſtiſſimum virum fuiſſe .... affirmavit*, & Deus in Herodem animadvertit, ut mortis ejus lueret pœnas, conſequitur perſpicue, Joſephum mente laboraſſe, ſi hæc de Joanne ſentiens, Jeſum quoque Meſſiam eſſe non ſibi perſuaſit.

Euſeb. Hiſt. l. 1. c. 11.

Joſephus ſingularem habuit de Daniele exiſtimationem; eumque ampliſſimis verbis extollit. *Non enim*, inquit, *futura ſolum, quemadmodum alii Prophetæ, prædicebat, ſed etiam tempus, quo illa eventura eſſent, definiebat ...... Ab eventu autem prædictorum veritatis fidem, & divinitatis opinionem apud multitudinem conſequitur.*

Joſephus Antiq. l. 10. c. ult.

Quibus præhabitis difficile eſt, ratum, & conſtans non habere, Joſepho Meſſiam notum fuiſſe. Si nanque ſumas initium ſeptuaginta Hebdomadum, quæ quadringentos, & nonaginta Lunares annos Judaicos efficiunt, a viceſimo quarto anno Artaxerſis Longimani, quando Nehemias Hieroſolymam remigravit, ut animadvertit Joſephus; atque ab eo tempore incœperint hebdomades, noſque Hiſtorici hujus ſupputationem ſequamur; deprehendemus, inquit Voſſius, ſeptuaginta hebdomades completas revera fuiſſe tempore nativitatis Jeſu Chriſti, ut enumerat Joſephus ipſe. Illud ſaltem manifeſtum eſt, doctiſſimos Chronologiſtarum poſt Eccleſiæ Patres recenſere ſeptuaginta hebdomades a 20. vel 21. anno

Voſſius Opuſc. de Sibyllin. Orac. c. 21.

Regni Artaxerſis. Quæ ſi vera ſunt, Jeſus Chriſtus Baptizatus eſt ſub initium ſeptuageſimæ Hebdomadis, & in Crucem actus ſub inſequentem annum tertium. Quod ſecundum Litteram eſſe veram Prophetiam confirmavit: nimirum in dimidio poſtremæ hebdomadis hoſtiam, & ſacrificium defectura, videlicet oblatione ejus, quem illa præfigurabant.

Cum igitur hæc omnia probe noſſet Joſephus, fieri non potuit, quominus perſuaſum non habuerit, Meſſiæ tempus jam elapſum fuiſſe; idque præſertim, cum aperte videret, Danielis Prophetiam ætate ſua completam eſſe. Templi etenim ruina, Hieroſolymæ everſio, Romanorum Dominium, aliaque omnia adjuncta oſtendebant Joſepho liquido, Meſſiam adventaſſe, & propterea mirum non eſt, ejus mentionem facere cum dignitate, ipſumque cognoviſſe.

Joſephus Antiq. l. 12. c. 7.

Danielis c. 9. 24. & ſeq.

Joſephus effectu ipſo probare intendens certam Prophetiarum Danielis veritatem, ait: *Accidit vero, ut Templi deſolatio fieret ſecundum id, quod Daniel ante quadringentos, & octo annos prædixerat: Oſtendit enim ipſum a Macedonibus everſum iri*. Quod præſtitit Rex Antiochus. Sed adjuncta adventus Meſſiæ a Daniele Propheta nunciata non minus exitum habuerunt tempore Joſephi, quam evenerit violatio Templi ſub Antiocho. Igitur id evidentiæ genus quoddam parere debebat, quod Meſſias in celebri Danielis Prophetia prænunciatus jam advenerit; quandoquidem notæ omnes, ab eo Propheta indicatæ, die ipſo clariores erant.

Joann. 4. 25.

Communis erat inter Judæos opinio ætate Jeſu Chriſti, Meſſiam jam veniſſe. Mulier ipſa Samaritana id exploratum habebat, cum dixit Redemptori: *Scio, quod Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*. Apparitio nanque Syderis, adventus Magorum Hieroſolymam, confeſſio S. Senis Simeonis, atque Annæ Propheteſſæ, evidentia quoque miraculorum Jeſu Chriſti, exitus Prophetiarum, & Prodigia in ejus morte perpetrata, poterant argumentum Joſepho ſuppeditare, quod Jeſus Chriſtus Meſſias eſſet in Lege promiſſus. Cum etenim callentiſſimus eſſet Divinarum Scripturarum, quis credat illum minime id percepiſſe, quod tot ſapientes Judæorum aperte cognoverant. Eo vero magis, quo tum vivebat; cum præcipua Meſſiæ ſigna a Prophetis nunciata luce clariora prodebantur.

Hieron. de Script. Eccl.
Iſid. Peluſ. l. 4. Ep. 225.
Suidas verbo Joſephus.
Freculphus t. 2. . 2.

Quapropter Scriptores Eccleſiaſtici non modo ajunt, Joſephum cognoviſſe Meſſiam, ſed ſecus facere non potuiſſe, quin eum cognoſceret *propter multitudinem ſignorum*, ut adnotavit Hieronymus. Amor veritatis, quo flagrabat Joſephus, ſcribit Iſidorus Peluſiota, illum cogebat, ut fateretur, quod radiis Solis illuſtrius erat. *Aperte fatetur*, ſecundum Suidam, *ob ingentia miracula, Chriſtum a Judæis interfectum fuiſſe*. Tandem Freculphus contendit, Joſephum magnitudine, atque

evidentia ſignorum coactum fuiſſe, ut Meſſiam recognoſceret.

Sententia itaque eſt communis ante quindecim, vel ſexdecim ſæcula, locum a nobis expenſum ſuppoſititium non eſſe, atque Joſephum cognoviſſe Meſſiam. Quæ duplex Traditio eo eſt venerabilior, quo nunquam vocata fuit in controverſiam, neque ab ullo in dubiis habita ante medium elapſum ævum, ut fatetur ipſe Bibliothecæ Criticæ Autor. Atque adeo ut concuterentur duo Facta tam probe teſtata, & munita poſſeſſione quadam, omni memoria antiquiore, neceſſe eſſent ſecundum præcepta Critices exquiſitæ non quidem leves conjecturæ, ſed argumenta tam firma, ut quoddam genus Demonſtrationis efficerent.

§. III.

Litterati Viri, qui loci hujus legitimam veritatem agnoſcunt, ejus tamen authenticum robur deſtruunt.

NUllum fortaſſe exploratius exemplum eſt, quam neceſſe ſit in quibuſdam Factis hiſtoricis addere teſtimonium Traditionis teſtimonio Scriptorum Eccleſiaſticorum, & conjecturis; ac locus Joſephi, qui modo in quæſtionem venit. Facile enim erit ſenſibus ipſis oſtendere, Eruditos Ævi hujus, ubi contempſerunt præſidium, quod ſibi in hac re comparare poterant a perpetua Traditione, cogi ad deſerendum locum iſtum tum magis, cum vires omnes intendunt, ut illum confirment.

Cum ad probandam teſtimonii hujus falſitatem opponunt ipſis, Origenem, & Theodoretum in Codicibus ſuis illum non reperiſſe, vel ſi in illis erat, ab ipſis habitum fuiſſe adulterinum, quod videlicet dicant, Joſephum non credidiſſe, Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe, licet diſertis verbis locus affirmet, Meſſiam fuiſſe. Huetius, Tillemontius, atque alii, inter quos Cavius, ut nodum expediant, nihil aliud cauſſantur, niſi Patres illos non vidiſſe, præterquam Codices a Judæis corruptos: *Forte in Codices inciderunt, in quibus omiſſum erat, aut eraſum*. Quam conjecturam ſtatuunt Baronii teſtimonio, qui tradit, Judæos locum hunc a quodam Codice Romano deleviſſe. *Cavius Hiſt Litt. ſæc. 1. pag. 22.*

Donec Litterati Viri iſti non probabunt, Judæos duorum priorum ſæculorum textum hunc Joſephi depravaſſe, jus non habent ponendi, Origenem, & Theodoretum vitioſis Exemplaribus uſos fuiſſe. Alias Blondellus, Faber, aliique loci hujus adverſarii poterunt fraudem hanc in Chriſtianos rejicere, atque affirmare, illos in textum Joſephi verba intuliſſe. Nonne utrique in conjecturis ſuis eandem vim facerent?

Nonne

Nonne mirum videtur, Origeni tum fuiſſe exempla duntaxat corrupta Joſephi, cum parum adeo propagata erant? Nec Theodoretum meliora reperiſſe, quamvis poſterior ſit Origene ſæculo non uno, & ſcripta Joſephi vulgatiſſima eſſent medio quinto ſæculo? Nihilominus Euſebius, S. Hieronymus, & S. Iſidorus, qui poſt Origenem fuerunt, & Theodoretum præceſſeruut, integris, & minime corruptis codicibus uſi ſunt.

Hæc reſponſio nonne controverſum locum majore afficit ſuſpicione? Si nanque Origenis ætate MSS. extabant, in quibus deerant verba illa, multo magis de contextu memorato ambigere poſſumus. Immo probabilius fit, additum fuiſſe a Chriſtianis uni, vel alteri Codici, quam in aliis a Judæis ſublatum. Vel ſaltem nos doceant, quiſnam fuerit hujus calumniæ autor, quando nam exorta fuit, quo loco, & qua de cauſſa; & tandem ubinam perierint Codices omnes vitiati, qui Theodoreti ætate plurimi certe erant?

Cum etenim Doctores iſti ad corrupta exemplaria confugiunt, intendunt ne, Judæos Origenis, & Theodoreti temporibus abraſiſſe integrum Joſephi locum, vel tantum verba illa: *Hic erat Chriſtus*. Non poſſunt corruptionem hanc primo modo intelligere, quoniam locum hunc habent pro legitimo, quique ſemper in Joſephi codicibus fuerit. Quod ſi velint, Judæos nihil deleviſſe præter verba: *Hic erat Chriſtus*, quæ Origenes, & Theodoretus in Codicibus ſuis non invenerunt, ut propterea diceret primus: *Quod cum Jeſum noſtrum non agnoſceret eſſe Meſſiam*? percontabimur præclaros Criticos iſtos: Qui fieri potuit, ut Judæi verba illa ſolum detraxerint, & cetera reliquerint, quæ Chriſto ſimiliter in gloriam cedunt, & populi illius increduli objectiones diluunt?

Ratio autem Huetii, & Tillemontii, qua evincunt, rem rejiciendam eſſe in Codices a Judæis depravatos, levior videbitur attendenti, exemplar illud, de quo meminit Baronius, unde corraſerant verba Judæi, admodum vetuſtum eſſe non poſſe; & certo certius eſſe, illud Origenis tempora non anteceſſiſſe. Quare licet Judæi poſteriores locum iſtum e Codice Romano ſuppreſſiſſent, cujus rei alia quoque extant exempla *, id non probat, Origenem, & Theodoretum non legiſſe verba memorata in exemplaribus ſuis, quia corrupta fuerint a Judæis.

Audi quoque momenta alia, quibus liquido fieri poterit, eruditos Criticos iſtos, qui Joſephi locum exiſtimant eſſe legitimum, authenticam tamen ejus veritatem ab imo convellere, cum opinantur, Joſepho di-

* Gyrardus Cambrenſis libro de Inſtitutione Principis, apud Clariſs. Galeum, nondum edito, hæc refert. *Robertus Canutus dictus*, (qui claruit circa annum 1170.) *Prior S. Fridiſvuida apud Oxoniam, hebraice doctus, in duobus exemplaribus Joſephi, hebraice ſcriptis, invenit teſtimonium de Chriſto, in aliis nuper eraſum. Quod, & Judæis Oxoniæ degentibus oſtenſum fuit*. Hoc apud Cavium Sæc. I, pag. 22.

cen-

centi de Jeſu : *Hic erat Chriſtus*, ſupplendum eſſe, λεγόμενος, *dicebatur*; & verba hæc non ſignificare Jeſum fuiſſe verum Meſſiam, quem expectabant Judæi; ſed Jeſum hunc, de quo loquitur, eum eſſe, quem omnes nomine Chriſti cognoſcebant, & paſſim nuncupabant. Ita Joſephi mentem explicant Valeſius; Huetius, & Tillemontius locis laudatis, Poſſevinus, Antonius Pagius, Alexander, queis addas licet Uſſerium, Cavium, alioſque plures.

Valeſ. in not. ad cap. 12. l. 2. Euſeb. Hiſt. Poſſevinus in appar pag. 966. Pagius in Critica Annal. Baron. ad annum 32. num. 25. Alexander Tomo 2. Hiſt. Vet. Teſt. Sexta ætatis Diſſ. 20. Uſſerius in Annal. & Cav. Hiſt. Litt.

Nonne reſponſio Sapientum iſtorum funditus evertit locum Joſephi? Ipſe aperte ait: *Hic erat Chriſtus*; & nemo eſt, qui neget, eum intellexiſſe, quia *erat*. Porro urgere, ipſum ſubintellexiſſe λεγόμενος, *dicebatur*, qua ſtatuitur ratione? Si Joſephus enarrare voluiſſet, Jeſum Chriſtum habitum ubique tanquam Meſſiam, & paſſim hujuſmodi creditum, non dixiſſet abſque ulla circumſcriptione, *erat*, ſed addidiſſet, *dicebatur*. Hæc dictio Græca congruit ne ἦν λεγόμενος, *erat*, *dicebatur*? Quis concipiat, aliquem dicentem de alio conceptis verbis, quia *erat*, intelligendum eſſe, ac ſi ſcriberet, *dicebatur*?

Si Joſephus locutus fuiſſet de Jeſu duntaxat ſecundum opinionem communem, non adjunxiſſet, quæ ſequuntur, & probant aperte, eum credidiſſe, Jeſum fuiſſe Chriſtum. *Eodem tempore*, inquit Hiſtoricus iſte, *fuit Jeſus vir Sapiens ſi tamen virum eum oportet dicere*. Porro ille, qui hoc pacto loquitur, non credebat, Jeſum abſolute hominem eſſe. Poterat ne clarius mentem ſuam aperire? Sed ne quis de hoc adhuc ambigeret, ſubdit: *Hic erat Chriſtus*; utque indicaret, talem eſſe ſententiam ſuam, rationem affert: *erat enim mirabilium patrator*. Quare igitur verbum *erat* hic ſumitur ſenſu obvio, non autem cum dicit: *Hic erat Chriſtus*?

Non diffiteor, fortaſſe ſuppleri potuiſſe, *dicebatur*; niſi Joſephus ſtatim addidiſſet, Prophetas Reſurrectionem ejus prædixiſſe, aliaque id genus multa, quæ fecerat, & docebat eos, qui veritatem cum gaudio ſuſcipiunt. Cum ergo hæc univerſa Jeſu attribuat, nonne idem eſt ac dicere, eum fuiſſe Chriſtum? Ex quo conjicies, Joſephum eodem loco partim loqui ex ſententia ſua, partim ex opinione vulgi?

Si neceſſe eſt ſupplere *dicebatur*, quando Joſephus ait: *Hic erat Chriſtus*, opus erit pariter idem præſtare in reliquis verborum illorum partibus. Quod manifeſte repugnat verbis Joſephi, atque intellectui, quem illis præbent Sapientes. Quanquam enim ratum habeant, verba hæc: *Hic erat Chriſtus*, ſignare, *dicebatur*, Joſephumque non loqui, niſi ex populari de Jeſu Chriſto opinione; non tamen putant, reliquum textum eodem modo eſſe intelligendum.

Joſephus narrat, ut Evangelium ipſum teſtatur: *Jeſum accuſatum fuiſſe a Principibus Judæorum, Cruci addictum a Pilato, & tertia die vi-*

ventem apparuiſſe &c. Quod ſi accurate expendas verba hæc omnia, perſuaſum tibi erit, ſenſum alium habere non poſſe, niſi hiſtorici narrantis eventa ea ratione, qua illa cognovit, & exiſtimat contigiſſe. Porro quis mente concipiat, Joſephum affirmatiſſime dicentem: *Jeſum apparuiſſe viventem tertia die, ut carmina Prophetarum vaticinata fuerant &c.* nolle nobis demonſtrare præterquam ea, quæ de prodigiis iſtis vulgi ſermonibus ferebantur?

Quid prodeſt etiam addere, *dicebatur*, ſi Doctores iſti cognoſcunt, & fatentur, Joſephum ex animo loqui, cum dicit, Prophetas vaticinatos fuiſſe Reſurrectionem ejus, aliaque ab ipſo mira facta multa. Promiſcue nanque poſſumus legere in contextu Orationis Judæi hujus: *Hic dicebatur*, vel *hic erat*; verum nanque ſemper erit affirmare, Joſephum cognoviſſe, Jeſum eſſe Meſſiam; quippe qui declarat, cum e mortuis ſurexiſſe, & fatetur, Prophetas Reſurrectionem ejus, & alia prodigia vaticinatos eſſe.

Rogamus eruditos homines, quibus placet cum Hieronymo in contextu Ioſephi: *Hic erat Chriſtus*, ſupplere, *dicebatur*, ut nos doceant, cur potius audiendus ſit Divus Hieronymus, quam Euſebius, ſine præſcriptione legens: *hic erat Chriſtus*? Quare præferendus ſit Codex Hieronymi Codicibus Euſebii, Iſidori, Rufini, aliorumque omnium cum Græcorum, tum Latinorum? Denique quonam pacto conciliare poterunt interpretationem ſuam cum authentica loci hujus veritate, qui nullius frugis evadet ad ſtatuendum contra Judæos adventum Meſſiæ?

Vel etenim Joſephus tam honorifice de Jeſu Chriſto loquitur, utpote ſibi noto ſtudio Divinorum Bibliorum, exitu Prophetiarum, aliiſque certis ſignis; vel de illo meminit inſtar Hiſtorici, narrantis tantum, quid de illo ſentiret vulgus, & ſententiam ſuam reticentis? Si Joſephus non credidiſſet, Jeſum Meſſiam eſſe, illuſtre ne adeo de illo teſtimonium reddidiſſet? Tot ne laudibus cumulaſſet hominem, opinione ſua falſum Meſſiam, & deceptorem, qui nomine adulterini Meſſiæ populum in fraudem induxiſſet?

Si dicamus, Joſephum mentionem non feciſſe de Chriſto, niſi ritu Hiſtorici dicentis, quæ mundus totus de illo tum dicebat, quid fiet de celebri hoc teſtimonio, quod ſapientes Critici iſti ſuſpiciunt, veluti maximæ opportunitatis noſtræ Religioni? Fruſtra illud objiciemus Judæis, qui reſpondebunt, Joſephum non credidiſſe Jeſum Meſſiam eſſe, ſed attuliſſe tantummodo, quæ vulgus crederet. Et parum intereſſe Religionis ſuæ, Joſephum populi mentem de Meſſia nunciaſſe; & propterea parum referre, num verba hæc ſint nec ne in Scriptis Joſephi, ſi ea, quæ de Chriſto habet, nihil ſunt, niſi narratio eorum, quæ plebs affirmabat,

bat, non vero ille ſentiebat. Vides igitur quonam pacto Critici iſti hinc exterminant Joſephi locum, quam illinc ſtatuere conantur; ut tandem præclarum hoc teſtimonium exiguæ utilitatis futurum ſit ad coarguendos Judæos, donec vim habebit ipſorum interpretatio. Oportet igitur confiteri, vel Joſephum coguoviſſe Meſſiam, vel locum ipſius ſpurium eſſe.

§. IV.

Si Loci hujus adverſarii rite argumentantur, deberent eum propugnare.

QUI hoc Joſephi teſtimonium exiſtimant ſuppoſititium, huic uni ferme principio innituntur. Nemo diſcrepat, Hiſtoricum hunc Judæum fuiſſe, in Religione Patrum ſuorum ad mortem uſque perſeveraſſe, atque e Secta Phariſæorum fuiſſe, qui Jeſu Chriſto, & Joanni Baptiſtæ ſemper adverſati ſunt. Porro quis ſibi perſuadeat, hujus ingenii Scriptorem ſerio ea dixiſſe, quæ in contextu illo continentur. Qui fieri potuit, eum cognoviſſe, Jeſum fuiſſe Chriſtum, hunc ſurrexiſſe a mortuis, ut Prophetæ prædixerant, ſicuti alia prodigia ab ipſo perpetrata? Quis credat his omnibus eum referciſſe hiſtoriam ſuam, quin ut Chriſtianus, atque Evangelii ſectator loqueretur? Nullo modo igitur, colligunt, fieri potuit, adeoque abſurdum eſt, atque incredibile, hæc Joſephum de Chriſto teſtatum fuiſſe; & mente vacaſſe, ſi illa in hiſtoriam ſuam intuliſſet. *Bibliotħ. Crit. Tome 2. c. 2.*

Ut autem rectum eſſet argumentum hoc, nefas erat diſſimulare, immo æquum erat adjungere, Joſephum, quantumvis eſſet Judæus Sectæ ſuæ ſtudioſiſſimus, pervicax, & Chriſtianis infenſiſſimus, nihilo tamen ſecius ſummo ingenio præſtitiſſe, atque, ut illum appellat S. Hieronymus, Titum Livium Græcorum fuiſſe, cujus ſcripta, & indoles illum præ ceteris Judæis excellere fecerunt, quique Hiſtoriæ ſuæ elegantiæ ſinceritatem, & fidelitatem ſociavit. Quapropter Suidas Joſepho tribuit, loco propriæ nomenclaturæ, titulum amatoris veritatis. Denique eruditiſſimus erat in Lege Moyſi, & ſingulari ſtudio ſacris Litteris animum adjecerat. Quæ omnes dotes ſi addantur aliis Judæi, & Phariſæi, tantum abeſt, ut ſit incredibile, Joſephum ſcripſiſſe locum iſtum ipſi tributum, ut potius inde colligere poſſimus oppoſitum, videlicet percipi non poſſe, Hiſtoricum hunc tot, tantaque eventa ſilentio præteriiſſe. *Hieron. de Viris Illuſtr. c. 13. Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 9. Suidas in Joſepho.*

Poterat ne, citra quam amitteret nomen egregii, & fidelis Hiſtorici, & totius orbis exprobrationibus pateret, poterat ne, inquam, non loqui de adventu Meſſiæ? Res, quæ Judæorum ſermonibus adeo pervagata fuerat, quæque Joſephi ætate non minus erat per totum Romanum

Imperium propagata, quam ipſa Hieroſolymæ everſio? Nonne germanus hiſtoricus debet ingenua fide res, uti contigerunt, enarrare, licet vel ſuis, vel Gentis negotiis parum faverent? Vir probus, atque ingenii excellentis nonne debet veritati adhærere, abſque eo quod privata ſua conſilia reſpiciat? Si igitur huic indoli hominis ingenui, quam nemo a Joſepho alienam putat, addas, eum calluiſſe Legem, & Prophetas, perfecte imbutum fuiſſe opinionibus Eruditiſſimorum gentis ſuæ ſuper adventu Meſſiæ; expleta vidiſſe ætate ſua ſigna a Prophetis enunciata, incredibile videbitur, Joſephum in Hiſtoria ſua tot celebria Facta reticuiſſe.

Huetius Demonſtr. Evang. prop. 9. c. 25. num. 5.

Judæi tempore Auguſti præſtolabantur Meſſiam, ipſique Gentiles aliquam de eo notitiam habebant, ut probat Huetius; & fidei locus erit, Joſephum, qui Prophetarum promiſſa exitum habuiſſe videbat, & Chriſtianam Religionem toto orbe diſperſam, Joſephum, inquam, ignoraſſe, quod univerſus Orbis ſciebat? Si Meſſiam igitur, ut probavimus, cognovit, ſique, ut convenit inter omnes, ritu prudentis hiſtorici ſcripſit, nonne fidem ſuperare videbitur, eum nihil de Jeſu Chriſto litteris commendaſſe. Denique licet Joſephus plenus eſſet nativitatis ſuæ præjudiciis, & diem obierit in tenebris errorum ſuorum, neque Chriſtianam Religionem amplexatus fuerit; id tamen non prohibuit, quominus veritatem patefaceret; ut animadvertit Theodoretus: *Chriſtianam quidem prædicationem non admiſit, veritatem tamen occultare non ſuſtinuit.* Videlicet eum, ut Judæus, de Meſſia loqui non debuiſſe, ut tamen hiſtoricus fidelis, coactum fuiſſe, ut miracula, quæ patraverat, aperiret.

Theod. in fine comment.

Quot ſuppetunt exempla virorum, qui res omnes ſuas, & præjudicia perdiderunt, ut veritatis jus tuerentur? Sed neque fieri poteſt, ut vir probus, atque intelligens alio modo ſe gerat. S. Gregorius narrat, Leovigildum, Viſigothorum Regem, morti proximum oraſſe S. Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, qui S. Hermenegildum ad Fidem converterat, ut idem præſtaret erga Recaredum filium ſuum. Incredibile porro videtur, hæreticum Principem iſtum in erroribus ſuis vitam claudere voluiſſe, & tamen hortatum fuiſſe Sanctum illum Epiſcopum, ut filium ſucceſſorem ſuum in Fide Catholica inſtitueret.

Si conſilium Regis hujus, ut Ariani, atque agentis adverſus negotium ſectæ ſuæ perpendamus, videbitur riſu excipiendum; nihilominus, ſi illum conſideremus, uti virum prudentem, atque ingenuum, quique perſpexerat, catholicam Religionem eſſe germanam; plenum fiet, æquiſſimam eſſe ejus agendi rationem. Rectæ nanque intelligentiæ vir omnia cognitæ veritati devovere debet: *Nam quia vera eſſet Fides Catholica agnovit....,*

Lean-

Leandro Epiſcopo, quem prius vehementer afflixerat, Recaredum Filium ſuum, quem in ſua Hæreſi relinquebat, commendare curavit, ut in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exortationibus feciſſet. Greg. Dial. l. 3 c. 31.

Sed ne in proximis ſæculis exempla rei, quam tradimus, inveſtigemus, ii ipſi, qui loci Joſephi falſitatem propugnant, rei hujus perſpicuam ſufficiunt probationem. Si quiſpiam hoc pacto argumentaretur: Blondellus erat verus hæreticus, in ſua falſa Religione vixit, & mortuus eſt, Fidemque Catholicam impugnavit; fieri igitur non poteſt, immo incredibile eſt, atque abſurdum, Blondellum pro Eccleſia Romana ſcripſiſſe? Licet principium verum eſſet, conſecutio recta non eſſet, immo falſa; quia hæc duo invicem non opponuntur: nimirum Blondellum Proteſtantem eſſe, & tamen adverſus Joannæ Papiſſæ fabulam conclamaſſe. Erroris ſui præjudicia, & ſectæ res, eum, utpote bonum Calviniſtam, movere poterant, ut fabulam tueretur; ſed uti prudens autor, cum perſuaſionem habuiſſet de Hiſtoriæ illius falſitate, eam adorſus eſt, & ſententiam ſuorum deſeruit, ut ad opinionem Romanorum tranſiret, veritatis evidentia coactus.

Huetius nos docet Tanaquilum Fabrum, *Ætate maturiorem, & conſilio in eum ſinum Eccleſiæ Catholicæ redire rurſum, & agnitum errorem ejurare geſtiviſſe, quemadmodum paucis ante obitum annis pro candore ſuo Litteris ad ipſum datis ſignificaverat.* Si quis probaturus Epiſtolæ hujus falſitatem, ita ratiocinaretur: Faber Salmurienſis miniſter erat ſtudioſiſſimus præjudiciorum, & Calviniſmi pertinax, qui Romanam Eccleſiam oppugnaverat, atque in ſua Religione diem obiit. Incredibile igitur eſt, immo abſurdum, eum Epiſtolam ipſi reddendam ſcripſiſſe. Huetius ibidem.

Tametſi conſecutio hæc vim habeat in conjectura non parum veriſimili, nihilominus, ſi qualitati veri Proteſtantis addas, Fabrum fuiſſe ſincerum hominem, ingenio perſpicaci, illuſtri, quique diu laboraverat, ut novæ Reformationis robur, & levitatem inveſtigaret; fidem ne excedit, præclarum hunc Miniſtrum aperte declaraſſe, perſuaſum ſibi fuiſſe ſectatores ſuos in errore verſari? Immo neceſſe eſſet, cenſere Fabrum; tanquam hominem mendacis fidei, ſine honore, probitate, & judicio, ſi perſpectam habens Calviniſmi falſitatem, haud confeſſus fuiſſet errores ſuos. Si non extaret in manibus omnium vetus Liturgia Latina, vulgata a Flacco Illyrico, quis crederet, Proteſtantem e ſitu vindicaſſe ſcriptum, in quo tantum momenti eſt ad ſtatuenda Dogmata multa, quæ cum ſectæ ſuæ homines, tum etiam ipſe, ardore flagranti rejiciunt. Sed ſi eruditus Criticus ille, quatenus heterodoxus, ſupprimere debebat, potius, quam edere Miſſam illam Latinam; nihilo ſecius bona fides, vel

fortaſſe res alia privata eum fateri coegerunt. Liturgiam hanc vetuſtiſſimam eſſe, atque illam in publicum emittere; licet id Sectæ ejus prejudiciis, immo ſuis quoque contrarium eſſet. Falſo igitur arguunt, qui volunt, Joſephi locum genuinum non eſſe, quod ſcilicet Judæus fuerit, atque in ſua Religione e vita migraverit; quandoquidem qualitates iſtæ cum aliis fidelis hiſtorici dotibus ſocietatem fecerunt; ſique priores eum compellebant, ut Jeſu Chriſti laudes ſubtraheret, aliæ eum compulerunt, ut veritati teſtimonium haud detraheret.

§. V.

Objecta argumenta refelluntur.

Bibl. Crit. T. 2. c. 2. Gall. UT moleſtas repetitiones declinem, hic non repetam id, quod centies dictum eſt in loci hujus veritatem authenticam, & videri poteſt in Scriptoribus a nobis citatis. Inſiſtam tantummodo objectionibus Autoris Diſſertationis, quæ Bibliothecæ Criticæ adjecta fuit. Si nanque illum audias, quæſtio hæc ſecundum eum videtur eſſe diremta; contenditque, homines acris ingenii, quique præjudicia depoſuerunt, fidem ſenſim haurire, quod Fabro cauſſa eſſet, cur illud affirmaret, & ſtudium unum partium, atque præventionem obſuiſſe, quominus ipſi jus fieret. *Atque hoc*, inquit, *oſtendere curabo in hac animadverſione*. Nunquid non diceres eum inſtruere validiſſimas probationes, atque objecta, quæ reſponſiones fugiant, atque aliis Scriptoribus ignota fuerint? Sed miraberis, nihil aliud eum urgere, niſi toties cuſa, & recuſa, & quidquid de ſuo ſubtexit, peſſimas eſſe argumentationes.

Ibidem pag. 26. I. Argumentum. „ Fatendum eſt bona fide, inquit, Scriptores omnes „ poſt Euſebium quæſtionem hanc ad vivum non reſecaſſe, uti præſtitum eſt hoc ævo, quod excelluit Criticis bene multis audacibus, atque ingenioſis. „

R. Hic eſt locus communis plerorumque Criticorum, cum aggrediuntur ad impugnandas veteres Traditiones, quæ ipſis non arrident. Sed ſi plerique Scriptores, qui rem hanc ad ſeveriores Criticas præceptiones exegerunt, eadem tamen habent præjudicia, quæ antiqui Scriptores, quorſum evadet objectio hæc? Blondellus, & Faber laudati nonne primas habebunt præ tot Sapientibus, qui locum illum defendunt? Ipſorum ſuffragium ſatis non erit, ut aliquid momenti accedat, & ſimilitudinis cum vero, opinioni totius antiquitatis?

II. Argumentum. „ Origenes teſtatur, Joſephum non habuiſſe Jeſum „ loco Meſſiæ. „ Hic locus Origenis rurſus ſub ſtilum veniet; interim

ani-

animadvertamus in ea, quæ addit autor noſter. „ Quæ hic aſſerit Origenes, eſſent ergo falſa, ſi locus controverſus ab Joſepho ſcriptus fuiſſet cum contra fatetur, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam. „ Videtur igitur hinc efficere: Quæ aſſerit Origenes falſa non ſunt; ergo Joſephi locus ſuppoſititius. *Ibidem pag. 28.*

R. Concluſa ne eſſet ſatis argumentatio hæc. Si Joſephus non ſcripſiſſet teſtimonium ipſi tributum, quæ Euſebius, Hieronymus, Iſidorus, & tota retro antiquitas dixerunt falſa eſſent: Sed Scriptores iſti Eccleſiaſtici decepti non ſunt. Ergo Joſephi locus ſpurius non eſt.

III. Argumentum. „ Judæum noſtrum loquentem inducunt inſtar „ Chriſtiani, Evangelio credentis. Neque enim credere quis poteſt Re„ ſurrectionem Jeſu Chriſti, abque eo quod Chriſtianus ſit. Et tamen „ aperte afferunt Joſephum dicentem, Jeſum in vivis apparuiſſe tertia „ die, ut Prophetæ vaticinati fuerant. Abſurdum itaque eſt, Joſephum „ hæc ſcriptis tradidiſſe. „ *Ibid pag. 30. & 31.*

R. Judæi non pauci cognoverant, Jeſum Chriſtum revera e mortuis ſurrexiſſe, ut firmiſſime probat Huetius. S. Epiphanius duas affert hiſtorias, quas ipſe, ut ait, e fonte rei hauſit, quibus oſtendit, plures Judæos extitiſſe, qui ratum habebant, Jeſum eſse Meſſiam, e mortuis excitatum, & filium Dei. Subjungit etiam, quoſdam Legis Doctores ſanitatem aliquando morti proximis attuliſſe his verbis: *Crede Jeſum ſub Pontio Pilato Cruci affixum, Dei Filium ex Maria genitum, Chriſtum eſſe Dei, & a mortuis excitatum, & ad mortuos, vivoſque judicandos eſſe venturum.* *Huetius Demonſtr. Evang. prop. 9. c. 142. Epiph. Hær. 20. c. 9. pag. 133.*

Mirum ne eſt, Joſephum dixiſſe de Meſſia, quæ de illo Prophetæ nunciaverant? In quot Pſalmis non reperiuntur ejus Reſurrectionis indicia? Non apparent ſigna hujus myſterii in Iſaja, Oſea, Iona, Sophonia? Quodnam incommodum eſt, Joſephum perfecte imbutum Sacris Litteris cognoviſse, quæ de Meſſia conſcripta erant, & veritate iſta convictum, de iis in hiſtoria ſua meminiſse, citra quam Evangelium agnoſceret, atque eſset Chriſtianus? Quot Judæi veritatibus iſtis aſsentiebantur, nec tamen convertebantur. Ethnici complures locuti ſunt honorificentiſſime de Jeſu Chriſto, ejuſque Diſcipulis, quamvis Chriſtiani non eſsent, nec Evangelium amplecterentur? Nonne Pilatus ipſe ſcripſerat res Chriſti nomini glorioſiores, quam quæ in Joſephi dicto leguntur. Interea Præſes hic, uti Chriſtianus Evangelio obtemperans minime loquitur. Num hæc duo ſeparari non poſſunt, mira ab ipſo Facta vulgare, & Chriſtianum eſse, ejuſque diſcipulum? Quod ſi id eſset, quam plurimi Gentiles Evangelium profeſſi fuiſsent?

IV. Argumentum. „ Noſter Judæus ambigit, num Jeſus Chriſtus, ut

Ibidem pag. 31. „ homo appellandus ſit: *Si tamen virum illum oportet dicere*. Hæc ver-
„ ba ſane oſtendunt deceptionem ejus, qui lineas illas in Joſephi textum
„ inſeruit. Judæi nanque credebant, Meſſiam, quem expectabant, fu-
„ turum ſolum hominem. Ita revera, & de re hac ætate Jeſu Chriſti
„ Judæis perſuaſum erat, non ſecus atque modo eſt.

R. Licet Joſephus cognoverit, Jeſum eſſe Meſſiam, non poſſumus tamen ex ejus verbis inferre: *Si tamen virum illum oportet dicere*, Judæum hunc ipſi Divinitatem tribuiſſe. Præter teſtimonium S. Epiphanii, qui teſtis eſt, Judæos multos credidiſſe, Meſſiam eſſe filium Dei, Huetius quoque validiſſimis rationibus probat, Judæos antiquos, quibus adjungere poſſumus nonnullos Rabinos recentiores, cognoviſſe ex lectione veteris Teſtamenti Meſſiæ Divinitatem. Sunt nanque reipſa tot Scripturarum loca, ex quibus facile eſt conjicere, Meſſiam promiſſum eſſe filium Dei, ut mirum eſſet, Doctores Legis, & Joſephum id ignoraſſe.

Huetius de Demonſtr. Evang. prop. 9. c. 25.

Ibidem pag. 32. V. Argum. „ Nihil eſt tam male conſtitutum, quam Locus hic, ſi con-
„ ſideres, ubi nam ſitus eſt. Ordinem nanque narrationis Joſephi inter-
„ ſecat; idque eo magis quo ea, quæ ſequuntur, hoc eodem modo in-
„ cipiunt: *Contigit eodem tempore infortunium aliud, quod Judæos per-*
„ *turbavit*. Quod tamen infortunium nullo modo referri poteſt ad il-
„ lud, quod dixerat de Chriſto Jeſu.

R. Quamvis ſæpe accidat Hiſtoricis attexere narrationes omnino diverſas ſecundum varietatem rerum agendarum, uti Huetius, Caſaubonus, aliique Sapientes multi fatentur. Nihilominus concipere poſſumus, quam accommodatiſſime Joſephus eo loci narrationem illam collocaverit. Cum addit: *Contigit eodem tempore infortunium aliud, quod Judæos perturbavit*: verba hæc referri poſſunt ad Jeſum Chriſtum; cum Joſephus cenſere potuerit, Judicium Pilati peperiſſe inter Judæos perturbationem magnam; populum excitaſſe tumultum grandem, urgentibus Pontificibus, cujus eo loci Joſephus meminit. Qua de re hiſtoricus hic dicere potuit, *contigiſſe eodem tempore aliud infortunium, quod Judæos perturbavit*.

Caſaubonus Exerc. 11. in Baron. ad ann. 31. art. 11.

VI. Argum. „ Contendo, inquit autor noſter, fieri non poſſe, ut Jo-
„ ſephus de Joanne Baptiſta laudes illas ſcripſerit, quæ ipſi tribuuntur.
„ Erat nanque e Secta Phariſæorum, qui Joanni Baptiſtæ vehementer
„ adverſati fuerant, atque ipſius Baptiſma recipere noluerant. „ Argumentum autem, quo evincit falſitatem verborum, quæ attinent ad S. Joannem Baptiſtam, & S. Iacobum, facit vim in eo, quod „ tempore
„ Origenis Chriſtiani pia quadam fraude cœperant corrumpere textum
Ibidem pag. 33. „ Joſephi, aſſuentes pro D. Jacobo in Hiſtoria de bello Judaico, quæ
„ narrat Origenes Libro primo contra Celſum.

R. Ec-

R. Ecce via admodum facilis, qua de medio tollas Scriptorum teſtimonia, quæ tibi negotium faciunt. Sed cui autoritati innititur falſitas laudis S. Joannis Baptiſtæ? Aliquam ne ſuper hac re rationem affert? Ultra ne fidem eſt, Judæos ſervaſſe adhuc ſingularem S. Joanni Baptiſtæ venerationem, & putaſſe, exitium Herodis pœnam fuiſſe necis, S. illi Præcurſori ſeptem ante annos illatæ, ut animadvertit Euſebius? *Euſeb. Hiſt. 1. c. 11.* Certum nanque eſt, locum illum de morte S. Jacobi ſatis eſſe cum reliquis connexum, ut in controverſiam vocari non poſſit. Interea tamen S. Jacobus ibi non indicatur alia nota, quam fratris Jeſu, *qui dicebatur Chriſtus*. Quod non parum facit, ut videamus, eum non caviſſe quin loqueretur de Chriſto, immo de illo ſuperius locutum fuiſſe. Si vero Joſephus non meminerat de illo, neque de S. Joanne Baptiſta, quis eum purgabit a culpa adverſus Hiſtoriæ leges? Nimis enim illuſtria erant, & publica eventa hæc, ut ſilentio obruerentur.

VII. Argum. Ut infirmet teſtimonium Euſebii de his locis, habeto *Ibidem pag. 58.* qui arguat Autor noſter. „ Quod attinet ad Euſebium, ipſe quoque Joſephum falſo, & male citavit de vocibus, quæ in Templo Hieroſolymitano clamarunt: *Exeamus hinc*. „ Unde concludit, Euſebium accuratiſſimum non eſſe in citationibus ſuis, & præſertim in iis, de quibus nunc agimus; atque autoritatem Euſebii tanti non eſſe, ut adverſarii Fabri magnificant; neque tam firmiter ea fultos eſſe, quam ſibi blandiuntur. Porro eandem probationem adhibet ad extenuandum teſtimonium S. Hieronymi.

R. Multis in locis oſtendimus, quam leves ſint argumentationes iſtæ, & quam ſubvertant penitus Scriptorum omnium autoritatem. Cum etenim nemo ſit, qui aliquando in errorem non offenderit, quoties libitum erit ab eorum teſtimonio recedere, ſatis erit cauſſari, eos non eſſe ſemper in citationibus accuratiſſimos. Si Euſebius, & D. Hieronymus decepti ſunt in afferendo hoc loci Joſepho, errorem ſuum deinceps cognoverunt, atque in ſequentibus ſuſtulerunt, ut fatetur idem argumenti Autor.

VIII. Argum. „ Ut invicte pateat, inquit, primos Chriſtianos, immodico ardore flagrantes, alias Joſephum interpolaſſe, oportet in medium adducere teſtimonium Scriptoris anonymi, fuſis verbis a Suida deſcriptum, *verbo Jeſus*. Anonymus hic fabulam narrat, excogitatam a quodam Judæo, nomine Theodoctione, vel nomine ejuſdem Judæi, qui contendebat, in Synagoga Tiberiadis cuſtodiri Librum, in quo legebatur, Jeſum a Judæis electum fuiſſe Sacerdotem. Deinde teſtatur, ſe legiſſe in Hiſtoria de Bello Judaico Joſephi, Jeſum Chriſtum in Templo cum Sacerdotibus Sacrificium obtuliſſe. „ Attende

„ con-

Ibidem pag. 38. „ concluſionem. „Crediderim neminem eſſe, qui fide ingenua non conſentiat, teſtimonium hoc de Sacerdotio Jeſu Chriſti ſecundum Ordinem Aaronis nunquam a Joſepho conſcriptum fuiſſe, ſed aſſutum ejus Operibus circa tempora Juſtiniani a quodam imperito Chriſtiano.

R. Quibus autem machinis opus eſſet, ut inde traheretur conſecutio illa, quam Autor intendit? Anonymus quidam narrat fabulam a Judæo confictam, atque allatam a Philippo menſario, qui teſtatur, ſe hæc cum reliquis a Judæo didiciſſe. Ergo nemo eſt, qui bona fide non fateatur, teſtimonium hoc de Sacerdotio Jeſu Chriſti nunquam extitiſſe in Joſepho, ſed ab imperito Chriſtiano in ejus Opera importatum fuiſſe. Id autem dicemus rite argumentari, & Litteratorum Reipublicæ perſuadere, Chriſtianos intuliſſe in Joſephi Libros non modo locum de Sacerdotio Jeſu Chriſti, ſed alia quoque de Sanctis Joanne Baptiſta, & Jacobo? Id nanque opus erat probare, atque Autor aggreſſus fuerat oſtendere. Quis credat, Chriſtianum hominem tam male inſtitutum ſua Religione fuiſſe, ut immanem hanc inſulſitatem hauriret; & crederet, maxime conducere ad Religionis negotium, ſi intuliſſet in textum Joſephi, Jeſum Chriſtum electum fuiſſe Sacerdotem a Judæis, atque in Templo cum aliis Sacerdotibus ſacrificium obtuliſſe?

Tandem Autor noſter finem imponit egregiæ Criticæ ſuæ alio argumento, quo oſtendere nititur, Chriſtianos Joſephi Opera corrupiſſe. „ „ Nemo negaverit, ait, impudentem aliquem Chriſtianum ſibi libertatem vindicaſſe ſociandi Libros Hiſtorici hujus cum Actis Apoſtolorum. Euſebius quidem aſſerere volens Hiſtoriam Actorum iſtorum ex Antiquitatibus Judaicis, non omiſit, quominus animadverteret, mentionem in eis fieri de ſeditione Theodæ, de qua loquitur Gamaliel Actorum cap. 5. verſ. 36. „ Sed cum Scriptor noſter opinetur, in Chronologia peccare locum Joſepho tributum, ita concludit. „ Diceret fortaſſe aliquis, lapſum fuiſſe eo loci Joſephum, niſi ſub Præſi-
Ibidem pag. 40. „ de Fado vixiſſet. Unde colligere licet, Joſephum in hujuſmodi anacroniſmum incidere non potuiſſe.

R. Hoc argumentum probat ne, impudentem Chriſtianum Joſephi ſcripta depravaſſe? Judæus hic, inquit, in hujuſmodi anacroniſmum incidere non potuit. Sed nunquid menda alia multo graviora in ſe ſe non admiſit? Sed ponamus, Judæum hunc in re hiſtorica peccare non poſſe. Sequitur ne, errorem propterea eo loci latere; atque hunc ab impudente Chriſtiano commiſſum fuiſſe? Quid confert Religioni Chriſtianæ, ſeditionem Theodæ accidiſſe ante mortem Herodis, vel tempore Præſidis Fadi ſub Imperatore Claudio poſt exitum Caligulæ, quadra-

geſimo

geſimo ſexto Æræ noſtræ anno. Acta Apoſtolica, in quibus hæc Hiſtoria deſcribitur, non merentur ne, ut ipſis fides adhibeatur, licet non conveniant cum Joſepho, vel ejus ſuffragio non confirmentur?

Quamvis daremus ultro, Anacroniſmum hunc oriri ab aliquo impudente Chriſtiano, effici ne inde poterit, loca, in quibus Joſephus teſtatur de Jeſu Chriſto, de S. Joanne Baptiſta, & de S. Jacobo, adjecta ejus Operibus fuiſſe a Chriſtianis? Veteres citarunt alia loca complura hujus Judæi, quæ interciderunt. Nemo igitur alius præter Chriſtianos hujus criminis inſimulare poterimus? Quæ hactenus extant, & ſemper in eo lecta ſunt, anne ipſa quoque ab immoderato Chriſtiani alicujus ardore immiſſa fuerunt? Opus certe eſſet, vel teſtem aliquem, vel probationem tot accuſationum afferre.

Fortaſſe dicendum eſſet, ſi Autorem noſtrum audiamus, Chriſtianos primos exiſtimaſſe Libros Joſephi, tanquam unicum Evangelii fulcimentum; atque, ut illud munirent, neceſſum habuiſſe, iis addere, quæ videbantur ipſis Religioni favere, & abradere, quæ poſſent illam infirmare. Lectoris erit, judicium ferre, num Autor Diſs. hujus optime præſtiterit ea, quæ promiſerat; nimirum oſtendere, nunc incipere homines fidem Fabro præbere, ſtudiaque tantum, & præventionem obfuiſſe, quominus cum ipſo initio juſte actum ſit. Si ita eſt, non quidem tribuendum erit novis rationibus, quas adjunxerit aliis Miniſtri illius, vel argumentorum ſuorum firmitati.

§. IV.

Alia Argumenta.

MAxima difficultas, quæ rem hanc involvat, ſita eſt in conciliando Joſepho cum Origene. Ille nanque apertiſſime ait, Jeſum fuiſſe Meſſiam. ὁ Χριςὸς ὄυτος ἦν, quod indicio eſt, illum ab Joſepho cognitum fuiſſe. Cum tamen hic affirmet, Hiſtoricum hunc in Jeſu Chriſti notitiam non veniſſe. Hæc repugnare videntur, adeoque coegerunt defenſores teſtimonii Joſephi, ut dicta illius temperarent, ſubintelligendo: λεγόμενος, *dicebatur*. E contra qui propugnant, locum hunc vitioſum eſſe, adhærent mordicus verbis Origenis, & conficiunt, Joſephum, cum per Patrem iſtum non cognoverit Meſſiam, ea ſcribere non potuiſſe. Sed argumentatio illa nihilo rectior eſt, ac iſta alia, videlicet. Joſephus ait: *Hic erat Chriſtus*, adeoque Meſſiam cognovit, ergo Origenis locus ſuppoſititius eſt, qui contrariam partem affirmat.

Sed Eruditorum omnium iſtorum hallucinatio, qui vel Joſephi locum

impugnant, vel propugnant, apertiſſime patebit, ubi ambiguitatem ſuſtulero, atque oſtendero, Origenis, & Joſephi loca nullo modo inter ſe repugnare. De ſententia Judæi illius pronunciandum nobis eſt ex verbis ſuis, non autem ex illis Origenis. Porro ille non poterat clarius mentem ſuam aperire, quam cum dixit: *Hic erat Chriſtus*, quod verbis alterius non contradicit.

Hæc duo poſſunt optime congruere inter ſe. Joſephus ratum habuit, Jeſum fuiſſe Meſſiam, & in infidelitate ſua perſeveravit. Miraculorum evidentia, & Prophetiarum exitu coactus non potuit Meſſiam non agnoſcere. Ceterum tot prodigia dubitationes omnes, quas habebat, non removerunt. Non erravit, cognoſcendo Meſſiam, licet corde Judæus perſeveraverit. Quoniam igitur ea ſcripſit, quemadmodum noverat, & ſecundum perſuaſionem ſuam, mirum non eſt, Joſephum litteris mandaſſe locum controverſum, & tamen Meſſiæ, quem noverat, doctrinam non ſectatum fuiſſe.

Id autem apprime reſpondet menti Origenis. *Et vero mirabile eſt, quod cum Jeſum noſtrum non agnoſceret eſſe Meſſiam, nihilominus tale juſtitiæ teſtimonium Jacobo dederit*. Pater hic monere vult, rem eſſe admirandam, Joſephum, quamvis Jeſu Chriſti doctrinæ non aſſentiretur, tam illuſtre Jacobi Juſtitiæ dediſſe teſtimonium. Porro fieri non poteſt, Hiſtoricum hunc laude afficere S. Jacobum, tanquam hominem juſtum, & ſanctiſſimum, quin ſimul cognoſceret, talem fuiſſe Magiſtrum ſuum, in quem Jacobus credebat, nimirum Meſſiam. Admiratio itaque Origenis ſita eſt in eo, quod Joſephus, cum non eſſet diſcipulus Jeſu Chriſti, & Religionem ſuam minime deſeruiſſet, tam celebre teſtimonium Jeſu Chriſto reddat, dum declarat, hominem ea ſanctitate, qua erat Jacobus, illius ſe diſcipulum profiteri.

Quæ explicatio innititur etiam verbis ipſius Origenis; quæ Græce ita habent: ὐ καταδεξάμενος εἶναι Χριςὸν, *cum non ſuſcepiſſet Chriſtum*, non vero, *cum non agnoſceret Chriſtum*. Suſcipere Chriſtum eſt, amplecti Religionem ejus; cognoſcere autem eſt, ſcire quinam ſit, atque de eo aliquam exiſtimationem habere. Joſephus itaque reddere poterat teſtimonium juſtitiæ Jacobi, quin eſſet diſcipulus Chriſti; ſed non poterat tot cum laudibus celebrare, niſi Meſſiam cognoviſſet Jeſum Chriſtum, cujus diſcipulus erat Jacobus.

Ecce, ut mihi videtur, explicatio difficultatis hujus, quæ torſit adeo loci Joſephi propugnatores, & argumentum dedit falſitatis ejus, quod defenſoribus ejus validiſſimum viſum eſt. Atqui inepta argumentatio, ut diximus, eſt: Joſephus Judæus erat. Ergo neque Chriſtum cognovit, neque laudibus proſecutus eſt. Quot virtutem percipiunt, & verbis honeſtant,

neſtant, ſed illam exercere detrectant? Leovigildus Viſigothorum Rex, Faber, & tot alii de Religionis Catholicæ veritate perſpectam cognitionem habuerunt; illam tamen amplexati non ſunt. Quot Judæorum cognoverunt, Jeſum fuiſſe Meſſiam promiſſum, prodigia ejus admirati ſunt, eaque in vulgus ediderunt, non tamen doctrinam recipiebant? Quis cumulatiores Chriſto laudes dedit, quam Pilatus, *& ipſe jam*, ut animadvertit Tertullianus, *pro ſua conſcientia Chriſtianus*, nimirum tot oſtentis convictus, cum eſſe Chriſtum Domini; nihilo ſecius Pilatus Ethnicis erroribus addictus e vivis exceſſit.

Tertull. in Apolog. c. 21.

Quod ſi interroges, unde ortum ſit, Joſephum, qui alias rectus, atque ingenuus vir eſſe videbatur, poſtquam Jeſum cognovit Meſſiam eſſe, & Chriſtum a Prophetis prænunciatum; poſtquam Reſurrectioni ejus teſtimonium dixit; poſtquam vidit, Religionem ab eo inſtitutam ſuccreſcere in ruinis Judaicæ, & Sacerdotii Aaronis; nec non ætate ſua per univerſum Romanum Imperium propagari; unde, inquam, ortum ſit, cum huic Religioni nomen haud dediſſe? Tillemontius ſapienter reſpondet, veritatis amorem, non cognitionem tantum Chriſtianos facere. Spiritus ubi vult ſpirat; nec licet hominibus explorare, cur hunc afflet, alium vero relinquat. Amor, quo Joſephus erga veritatem ferebatur, ipſi non conceſſit, ut denegare poſſet, quæ oculis ipſis cernebat, & ſole ipſo meridiano clariora erant. Quare autem veritas hæc ab ejus mente ad cor non manaverit, myſterium eſt, quod inveſtigare non poſſumus, atque ad forum Criticum non pertinet.

Tillem. Hiſt. Imper. Tomo 1. art. 41. de Ruina Judæorum. Gall.

Tametſi Dupinus declaret, ſe nihil ſuper hac quæſtione ſtatuere velle; nihilo ſecius poſtquam attulit objecta Fabri validiora, quibus de hoc Joſephi teſtimonio detrahit; ut argumentum poſitum in ſilentio Photii magis ac magis roboret, ſubjungit. „ Quod ſigillatim animadverto, eſt, „ memorare Photium, extitiſse ætate ſua Librum de Univerſo, tributum „ Joſepho, atque ab eodem Photio habitum inter adulterinos, quod ſci„ licet nimis honorifice de Jeſu Chriſto loquatur; additque præterea, ſe „ didiciſſe Librum hunc eſſe Caii Preſbyteri Romani. Fortaſſe itaque lo„ cus, qui nunc reperitur in Libro Antiquitatum, decerptus fuit ab hoc „ Libro Caii, qui nomen Joſephi ferebat, atque in Antiquitatum volu„ men illatus.

Dupinus Biblioth. Tomo 1. pag. 69.

Hæc tamen animadverſio Dupini eruditionem non redolet. Ecquis nanque ſcire poterit, quidnam in eo libro Caii contineretur; cum Photius nihil dicat, atque a ſtyli varietate cognoverit, Librum illum ad Joſephum non ſpectare? Si Photio de hac re perſuaſum erat, quid poſsumus ab eo libro colligere adverſus authenticam veritatem loci Joſephi de Jeſu Chriſto? Quare nullius frugis eſt conjectura iſta. Quidquid autem ſit

de hoc Caii Libro, quis crediderit, detracta ab illo fuiſſe verba laudata; ut in decimum octavum Antiquitatum Librum inſerrentur? Quorſum id feciſſent? Quibus uſibus res futura eſſet? Si opinio erat, Librum illum Joſephi eſſe, quare ab eo locum memoratum auferre? Si autem Caii habebatur, cur illum ad Joſephi opus traducere? Denique intereſſet oſtendere, a quo, & quo tempore hæc in Joſephi Libros translatio facta fuerit. Ceterum non vereor, quin conjecturæ hujuſcemodi imponant hominibus, vel petant authenticam teſtimonii Joſephi veritatem.

F I N I S.

TA-

TABULA
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

ÆRa Chriſtiana communis, 21. huic Æræ inniti non poſſumus quod attinet ad Cyclos Solis, & Lunæ, 25. 26, a quo conſtituta ſit, ibid.
Agapes deſcripſit Tertullianus, pag. 150
Agni ex Cera benedicta Sabbato Sancto, 99. quandonam incœperit mos iſte, ibid. compoſitio Imaginum ex cera, 100. S. Gregorius aliquas ex his ad Regem Aigulphum miſit, 101
Alcuinus confecit unicum Miſſale ex Gelaſino, & Gregoriano, 143
Anatolius primus eſt, qui locutus ſit de Cyclo 19. annorum, 45
Angli quo tempore converſi ſint ad Fidem, 152. Fugatius, & Damianus eam ipſis prædicarunt II. Sæculo, ibid.
Anonymi ſententia ſingularis de origine Agnorum cereorum, 99. parum ſollida, 100. 101
Annus confuſionis cur vocetur 24. annus Julianus, 21
Antigoni mors, 8
Antiochiæ reperta fuit lancea Jeſu Chriſti, 265
S. Antonii Reliquiæ num ſint Arelatæ, 314.
Apoſtoli locuti ſunt Lingua Syriaca, 198
Ardor Chriſtianorum pro Reliquiis, multorum errorum origo fuit, 290
Aringhus ſermonem habuit de Urnis Lacrymarum, 249
Armeni rem ſacram faciunt ſermone vulgari, 231. 235
Aſtronomorum ſupputatio pro octo annis recta non eſt, 11. 16., & ſeq.
Aſtronomia aliquando fallitur in requirendo tempus Mortis Jeſu Chriſti, 3. 23
Auguſtus quo tempore mortuus ſit, 8. diviſio de initio Regni ejus, ibid.
S. Auguſtinus explicat partes Miſſæ, a D. Paulo memoratæ, 119. Liturgiam Africanam compendio dedit, 150. 151
S. Aviti Epiſtola ad Clodoveum de ejus Baptiſmate, 109
Aureliani contigit miraculum, 250
Autoris Chronologiæ Sacræ Tabula ſupputationum non ſatis progreditur, 11. Patres ignorantiæ accuſat de re Aſtronomica, 36., & ſeq. ejus conjecturæ de morte Jeſu Chriſti octavo Kalendas Aprilis, 56. Animadverſiones in conjecturas iſtas, ibid.

B

BAilleti opinio de Cereo Paſchali, 91. extenuat Miraculum ſacri ignis Sabbato Sancto accenſi, 97. quaſdam enunciationes habet parum probabiles, 98. 99. quid ſentiat de Titulo Crucis, 192. Animadverſiones in Tractatum ejus de Feria ſexta Major. Hebdomadæ, ubi loquitur de Sanguine Jeſu Chriſti, 99. hallucinatio Autoris hujus ſuper hac re, 100. ejus objecta de Columna Jeſu Chriſti, 263. ejus errata de Hiſtoria Lanceæ, 273. ejus principia periculoſa ſuper hac re, 274. 275. & ſeq. Chronicon Paſchale ab ipſo citatum ineptum eſt teſtimonium, 275. ejus opinio de Sancta Sindone, 322. & ſeq.
Baptiſma Sabbati Sancti, 102. non poterat conferri, niſi in Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes, 103. mos hic vetuſtiſſimus eſt, 103. Concilia interdixerunt, ne extra illa tempora conferretur, 104. quæ tamen regula exceptione non caruit, 105. mos hic miraculis confirmatus eſt, 106. in Galliis baptizarunt natalitio tempore, 108. alia argumenta pro eadem re, 109., & ſeq. Miracula in teſtimonium conſuetudinis hujus, 110., & ſeq.
Baptiſteriorum uſus antiquus eſt in Eccleſia, 102. quo pacto conſtructa fuerint, atque ornata, 103
Baronius ſequitur Traditionem perhibentem, Jeſum Chriſtum mortuum fuiſſe octavo Calendas Aprilis, 51., aliamque tradentem, eum e vivis migraſſe 34.

ætа-

ætatis ſuæ anno, 55
Baſilius Liturgias SS. Jacobi, & Clementis compendio dedit, 133. novam non fecit, 134
Beda exiſtimavit, Jeſum Chriſtum hinc exceſſiſſe 34. anno, 53., & ſeq. implicat ſe in ſupputando, 55
Beryti Paſſio Imaginis Jeſu Chriſti, 242. Illinc ortum ducit ſanguis, qui aſſervatur nomine Sanguinis Jeſu Chriſti, 243
Beſſæ Miſſam ſemper celebrarunt Lingua Latina, 236. quinam eſſent populi iſti, 235.
Bibliotheca Criticæ Autoris ſententia de loco Joſephi, 356. ejus objecta, 357
Biſſextus primus quando nam incœperit, 17
Biſſextilis annus primus non convenit, unde ſit incipiendus, 4. Tabula annorum Biſſextilium, 16. inverſa propter Sacerdotum imperitiam, 26. 27. Auguſtus reſtituit annos Biſſextos, 27. Jeſus Chriſtus natus eſt in 12. annorum altero, in quibus Biſſextum annum non interpoſuerunt, 27
Blondellus ſcripſit pro Eccleſia Romana, 355
Bocquillotius ait, Apoſtolos in Miſſa uſos fuiſſe Lingua vulgata populorum, quos ad Fidem convertebant, 212. & ſeq. 216
Bona Cardinalis propugnat authenticam veritatem Liturgiæ S. Jacobi, 124. ejus opinio de Præfationibus Eccleſiæ, 130. loquitur de Eccleſiis, quæ Liturgias Græcas ſequuntur, 134. quid ſentiat de MS. quod *Petavianum* appellat, 141. Non diſtinxit Miſſam Gallicanam a Gothica, 144. & ſeq. Quid opinetur de *Miſſa Latina*, 157., & ſeq., & de Communione quotidiana, 168
Brandeum quid ſit, 309. non unius rationis eſt, 310

C.

CAlendarium vitia multa paſſum eſt, 30
Calippo Mathematico tribuitur Cyclus 74. annorum, 44. 61
Calvini objecta in Titulum Crucis, 193
Canones de ſumptione Euchariſtiæ, 168
Canon Miſſæ tribuitur cuidam Scholaſtico, 175. 176. dicitur ab Apoſtolorum Traditione deſcendere, 130
Cantacuzenus Imperator meminit de Prodigio ignis ſacri, 96
S. Carolus Borromæus regulas condidit de Reliquiis, 324 & ſeq.
Caſſiodorus narrat Miraculum, quod contingere ſolebat in nocte Paſchatis, 106
Cavius S. Leandrum ſcribit fuiſſe Autorem Liturgiæ, 145
S. Cæciliæ Reliquias Eccleſiæ multæ habere ſe putant, 322
Cerei Paſchalis, ejuſque ceremoniæ origo, 88. opiniones Patrum de moris hujus antiquitate, 89. refutatur Bailletus in his, quæ habet de Cereo Paſchali, 90 Tabellæ deſcriptæ in Cereo Paſchali, 91., & ſeq. Miraculum Sabbati Sancti, quando accendebatur Cereus Paſchalis; 93. Origo Traditionis hujus, 94. Autores, qui teſtes ſunt Miraculi hujus, 95. Ignis e cælo Cereum hunc manifeſto accendebat, 96. Sententia Bailleti de hoc miro igne, 97. exploditur, 97. 98. effectus admirandi Cerei Paſchalis, 102
Chriſtiana Religio vetuſtiſſima in Hiſpania, 145. 146
Chronologia non eſt via tuta ad aſſequendam Epocham Mortis Chriſti, 2. 3
Chronologi non conveniunt invicem, 10
Clavorum numerus Jeſu Chriſti incertus eſt, 280. quo pacto multiplicati ſint, 281
Clavis aurea quare a Pontificibus miſſa, 311
S. Clementis Alexandrini Tabula duarum Chronologiarum Imperatorum, 73
S. Clemens Pontifex Liturgiam nobis reliquit, 133
Clodoveus baptizatus eſt in Feſto Nativitatis, 107. ejus exemplum in Gallia perſeveravit, 108., & ſeq. Miracula, quæ in ejus baptiſmate contigerunt, 109. Concedit celebre quoddam Diploma Monachis *vulgo Reomanenſibus*, 108
Collectæ inſtitutæ ab Apoſtolis, 129
Colore rubeo quare Veteres uterentur, 191
Ad Columnam Jeſus Chriſtus flagellis cæſus eſt, 262. extitit Hieroſolymis ad 13. uſque ſæculum, 263. quando, & a quibus Romam delata fuerit, 263. 264
Columnas Cereas Conſtantinus accendere faciebat in pervigilio Paſchatis, 92
Communionem olim ſumebant omnes in Miſſa, 168. mos hic paullatim obſolevit, 168. 171. 172. duplex Communionis genus, 170. Concilia, quæ ſtatuerunt tempus ſumendi Euchariſtiam, 171
Concilia edunt Leges adverſus eos, qui Reliquias furabantur, 267. prohibent Reliquiarum Sanctorum tranſlationem, 304.

Congregatio quid ſignificet, 184. 185
Conſecratio Altarium quomodo fieret, 296. mos hic antiquiſſimus eſt, 297
Corpora Sanctorum translata pepererunt confuſionem inter Reliquias, 302. Corpora Sanctorum, quæ multis in locis eſſe putabantur, 314
Criticis quæ fuerint fundamenta impugnandi Reliquias, 282. melius feciſſent, ſi illas adverſus Hæreticos propugnaſſent, 283. perturbationem haud modicam in Reliquias importarunt, 320
De Creatione mundi ſententiæ diſcrepantes, 4
Cycli Judæorum tuti non ſunt, 3 Solis, & Lunæ puncta fixa non habent, 17. 18. Tabula ad eos reperiendos, 22
Cycli Litterarum Dominicalium bifariam ſumuntur, 41
Cycli non unius generis, & a quibus inventi, 44
Cycli 84. annorum, ibid. eorum commoda, 45. a quo excogitati, 41. 42
S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus recitat Ceremonias Miſſæ. 126. 127

D

Dedicatio Eccleſiarum in cauſſa fuit, cur dividerentur Reliquiæ, 294. conſuetudo hæc vetuſtiſſima eſt, 295
Deſcriptiones multæ habitæ ſunt prope ætatem Chriſti, 6
Dionyſius Exiguus, Autor Æræ vulgatæ, 26
Diviſio mira Sapientum de anno, menſe, & die mortis Jeſu Chriſti, 15. 16. Patrum ſuper hac Traditione, 37. & ſeq.
Dupini conjecturæ de Actis Pilati, 343
Duſauſaius habebat priſcum MS., quod Miſſas particulares Sanctorum continebat, 141
Dyptica ſufficiunt optimum argumentum pro Reliquiis Sanctorum, 324

E

Ebroduni erant fontes baptiſmales admirandi, 311
Eclypſes multæ acciderunt anno, quo mortuus eſt Herodes, 65. 66
Eliſabeth Regina Anglorum Liturgiam inſtauravit, 154
S. Ennodius conſcripſit duas benedictiones Cerei Paſchalis, 95. videtur contendere, eum miro modo accendi ſolitum, 96
Epocha Nativitatis, Baptiſmatis, & Mortis Chriſti, 2. Difficultas reperiendi Epochas iſtas, 10. Epochæ quadrifariam differunt inter ſe, 24. Epocha Nativitatis Chriſti probatur, 63. 64. nec non alia Baptiſmatis, 67. & ſeq.

F

Fabri ſupputationes, 12. 13 14
Faſti Conſulares incerti, 4
Fideles mortem oppetunt, ut Reliquias cuſtodiant, 290. eriguntur templa in eorum honorem, 292
Flaccus Illyricus primus eſt, qui *Miſſam Latinam* edere fecerit, 155. errata Lutherani hujus ſuper hac Miſſa, 157. 158
Fœdus Sacrum in cauſſa fuit, cur Reliquiæ in Gallias traducerentur, 303. & ſeq.

G

Galliarum Reges juſſerunt, ut Reliquiæ multæ in hoc Regnum transferrentur, 302
Gelaſius Papa auxit Liturgiam Romanam, 138. Præfationes, & Hymnos compoſuit, 138. Galliæ uſæ ſunt ejus Liturgia, 141. & ſeq. Miſſales Gelaſini, 143. 144. omnes notas habent Miſſæ Gallicanæ, ibid.
Germanus Antiſſiodorenſis in Angliam pergit, ut ibi Fidem tueatur, 152
Gildas narrat converſionem Britonum, 151
Glaberius Monachus recitat hiſtoriam Crucifixi, qui ploravit Aureliani, 249. & ſeq.
Goartius narrat hiſtoriam παναγία, 112
Gotefridus Martellus ædificandam curavit Eccleſiam Vindocinenſem, in qua poſuit Lacrymam Sanctam, 258
Gothica Liturgia, 142
S. Gregorius Papa Miſſam Romanam aliter diſponit, 138. 176
Guibertus Nonigentinus teſtimonium affert pro Miraculo Ignis Sacri, 95

H

Herodis Mortis Epocha, 8. Difficultates in rem hanc, 64. 65. Eclypſis, quæ contigit in ejus morte, 66
S. Hieronymus Verſionem latinam conſcripſit.

pſit, 203

S. *Hilarius* Epiſcopus Pictavienſis duos Libros confecit, quorum alius Hymnos, alter Liturgias complectebatur, 140. 141. creditur Autor Miſſæ Latinæ, 175. 176

S. *Hippolytus* elaboravit Cyclum 16. annorum, 45

Hipparchus fecit Cyclum 304. annorum, ibid.

I

S. *Jacobo* tribuitur Liturgia, 122. Eccleſia Græca alias non habuit ab Ævis primis, 123. Eruditi homines eam habent inter ſuppoſititias, 123. 124

Jacobus Angliæ Rex reficit Liturgiam Anglicanam pro Puritanis, 154

Imagines cordium S. Auguſtini, & Thereſiæ, 305

S. *Joannes Chryſoſtomus* novam Liturgiam non adornavit, ſed in epitomen tantum redegit Liturgias S. Jacobi, & S. Clementis, 133. 134. In ea ſunt nomina peculiaria multorum Sanctorum, 173

Jeſus Chriſtus de Nativitate, Baptiſmo, & Morte ſua Scriptores in varias opiniones diſtractos habet, 9., & ſeq.

Indictionum inſtitutarum a Conſtantino initium, 28

Joſephi teſtimonium de Chriſto; 344. Scriptores diviſi ſunt ſuper loci hujus authentica veritate, 345. Secundum Traditionem ſuppoſititius non eſt, 346 Joſephus Meſſiam cognovit, 348. Sapientes, qui locum hunc tuentur, illum deſtruunt; 349. argumenta, quibus fit, Joſephum cognoviſſe Chriſtum, 351. 352. ii, qui in hunc locum ſcripſerunt, ei favent, 353

S. *Irenæi* ſententia de ætate Chriſti, 81. quid de hoc ſenſerint Autores multi, 81. 82. defenditur Sanctus iſte ſuper opinione ipſi tributa, 82. conjecturæ, quibus adjudicantur ipſi loca illa, leviſſimæ ſunt, 83. & ſeq. quid ſentiendum ſit de opinione ipſi tributa, 86. 87

S. *Iſidoro* tribuitur Liturgia Mozarabica, 145. ſaltem ipſi multa addidit, 146

Judæorum Cycli fallaces ſunt, 29. 30. tempore Auguſti Meſſiam præſtolabantur, 354

S. *Juſtinus* ſervavit compendium Liturgiæ S. Jacobi, 125. 126

K

Kepplerus exiſtimat, Aſtronomos reperire certo non poſſe tempus mortis Chriſti, 48

L

Lacrymæ Jeſu Chriſti extant in multis Eccleſiis, 248. non manarunt ex oculis ejus, 249. vera origo omnium lacrymarum iſtarum, 250. commodum eſt aſſerere, lacrymas iſtas omnes exiiſſe a Crucifixo Aurelianenſi, 254. præſertim lacrymam Vindocinenſem, 256. Hiſtoria vulgata ejus, fabuloſa eſt, 257. poſt decem ſæcula eam fingunt repertam Friſingæ fuiſſe, 259. Hiſtoria facti hujus parum tuta eſt, 318

Lamii demonſtrationes rectæ non ſunt, 15

Lancea, quæ Jeſu Chriſti latus aperuit; quomodo reperta ſit, 265. Miracula perpetrata coram hac Lancea, 266 Translatio Lanceæ hujus, 267. quomodo, & quare Romam tranſlata ſit, 268. Scriptores multi teſtantur Prodigium de Lancea, 269. & ſeq.

Lancea Conſtantini, S. Mauritii, & Caroli magni, 277. & ſeq.

Lazari corpus num ſit Maſſiliæ, 314

S. *Leander* laboravit in reſtituendis Officiis Eccleſiæ, ad Fidem convertit Recaredum Regem Gothorum, 246

Leovigildi Regis ſenſa, licet hæreticus eſſet, 354

Linguæ, quibus Eccleſia uſa eſt in rebus divinis, 188. adhibuit tantum Linguas Hebraicam, Græcam, & Latinam, 195. temporibus Apoſtolicis, 196. Miſſas non celebrarunt Lingua populorum, quos Chriſtianis myſteriis initiabantur, 197 212. Scriptura deſcripta erat Linguarum iſtarum altera ad uſque Sæculum IV. 198. 208. 209. Quare Eccleſia his ſolum tribus Linguis uſa ſit, 204., & ſeq. Objecta, quæ fiunt adverſus trium Linguarum iſtarum uſum, 217., & ſeq. 220. & ſeq. 222

Lingua communis, ſive vulgata quid ſit; 214

Lingua Cardinalis ea eſt; e qua multæ aliæ prodierunt, ibid.

Lingua Punica non erat Africæ communis, 201

Lin-

Lingua Hebraica, *Græca*, & *Latina* veterem integritatem ſuam non parum amiſerunt, 204. 205.
Lirinenſe Monaſterium Sæculo IV. utebatur Liturgia Gallicana, 152
Liturgiarum omnium Græcarum, & Latinarum origo, 121. Sanctorum Petri, Matthæi, &c. 122. quid ſentiendum ſit de his omnibus Liturgiis, 123
Liturgia S. Jacobi fundamentum eſt omnium Liturgiarum Græcarum, 124. Autores, qui contendunt eam eſſe legitimam, 124. conjecturæ de ejus antiquitate, 125. compendium hujus Liturgiæ, 125. Epitome ejus reperitur in S. Juſtino, 126. S. Cyrillus Hieroſolymitanus refert hujus Liturgiæ ceremonias, 127. in quo conveniant hæ duæ Liturgiæ, 128. Sunt in iis quæ deſcendunt ab Apoſtolorum Traditione, alia poſt eorum mortem addita ſunt, 129. 130
Liturgia Græca Sanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi depromptæ ſunt a Liturgia S. Jacobi, 133. 134. Eccleſiæ Orientis, quæ utuntur his Liturgiis, 135. hæ plurimæ ſunt, ibid.
Liturgia Eccleſiæ Romanæ, 136. dicitur S. Petrus ejus Autor, *ibidem*, S. quoque Clemens ejus collector, ſed haud certe, 137. Pontifices Gelaſius, & Gregorius multa ei addiderunt, 138. alii Pontifices non pauca adjecerunt, vel mutarunt, 139. Liturgia hæc inducta fuit in Gallias, & alibi, ibid.
Liturgia Vetus Gallicana erat quædam peculiaris ante tempus Caroli Magni, 140. in quo differret a Romana, 141. ajunt, eandem eſſe, atque illa Gelaſii Papæ, 142. Eruditi multi in re hac implicati ſunt, *ibidem*. In Galliis ante VIII. Sæculum nulla alia extabat Liturgia, niſi Gelaſii Papæ, 143. occurritur argumentis, 144. Cardinalis Bona Liturgiam hanc a Gothica non diſtinxit, ibid. IV. Sæculo in more erat Lirini. 152
Liturgia Mozarabica autorem vulgo habet S. Iſidorum Hiſpalenſem, 145. probabilius eſt, multorum opus eſſe, 146. appellata eſt Gotica, 147. Ritus hic Mozarabicus perſeveravit in aliquibus Eccleſiis Hiſpaniæ, 147. Ceremoniæ in hac Miſſa, myſteriis plenæ, cum dividunt hoſtiam, 148
Liturgia Eccleſiarum Africæ videtur aliquibus Mozarabicæ ſimilis, 149. ſed differunt inter ſe, 150. Tertullianus refert aliquas ceremonias Liturgiæ hujus, *ibidem*. S. Auguſtinus diligentiorem ejus ſpeciem nobis dedit, 151
Liturgia Eccleſiarum Angliæ creditur eadem eſſe, ac Romana, 151. dicitur S. Germanus Antiſiodorenſis in Angliam detuliſſe Liturgiam Gallicanam, 152. 153. ibi ſervatus eſt Ordo Romanus ad tempus uſque Henrici VIII., 153. Bucerus, & Calvinus multa inde detrahere fecerunt, 154
Liturgiæ tres fuerunt in Italia, 178. Index earum, quæ adhibentur in Oriente, 134. 135. S. Petri Liturgia eſt ſuppoſititia, 137. Liturgiæ omnes conveniunt in ſumma Sacrificii, 199
Liturgia. Vide *Miſſa*.
S. Lucas memorat deſcriptionem factam ante ortum Chriſti, 7
Ludovici Capellæ ſupputationes de anno 19. Æræ communis, 61. 62

M

M*Abillonius* contendit, *Miſſam Latinam* ſolemnem eſſe, 164. 165. objecta ejus contra authenticam Miſſæ hujus veritatem, ibidem, propugnat Lacrymam Vindocinenſem, 257. & hiſtoriam, quæ fabuloſa eſt, 258. argumenta ejus pro hac Lacryma, 259. ejus conjecturæ leviſſimæ ſunt, 260. & ſeq.
Maldunenſis loquitur de miro igne Hieroſolymitano, 95
Marcus Antonius renunciare fecit Herodem Regem Judæorum, 8. Antigonum neci dedit, *ibid.*
De *S. Mauritii* miro ſanguine, 313
Menardi conjecturæ de *Miſſa Latina*, 166. & ſeq. Miſſam S. Gregorii ad Latinam emendavit, 180. & ſeq.
Meſropius invenit caracteres Armenos, 127
Metonius Athenienſis excogitavit Cyclum 19. annorum, 44
Miraculum Ignis Sacri, quod patrabatur Sabbato Sancto in Eccleſia S. Sepulchri, 93. certæ probationes hujus Miraculi, 94. & ſeq. quandonam incœperit, 96. quando defierit, 97
Miracula in teſtimonium Baptiſmatis collati in Feſtis Paſchalibus, 105. 106. Deus multa patravit, ut Clodovei Baptiſmum celebraret, 107. Miraculum Ebroduni geſtum, quo confirmaretur

Baptiſmus Feſti Natalitii, 109
Miraculum S. Ampullæ quo in numero habendum ſit, 109. 110. item aliud Imaginis Jeſu Chriſti, affixæ Cruci a Judæis, 242. 243
Miracula facta virtute Reliquiarum, 299. 300. certum argumentum ſunt veritatis authenticæ illarum, 330. 331
Miſſam Apoſtoli non celebrarunt ante adventum Spiritus Sancti, 115. 116. Patres, qui teſtantur factum hoc, *ibidem* primis ſæculis celebrabatur brevi ritu, 118. & ſeq. conſtabat tantum verbis conſecrationis, & Oratione Dominica, *ibid.* S. Paulus quandam ejus formam nobis reliquit, 119
Miſſa ſolemnis quare in hunc modum appellata, 167. Omnes offerebant, & communicabant in hac Miſſa, 168. Concilia, a quibus imperata fuerat, *ibidem.* nunc obſolevit, 169. Miſſa ſolemnis non oberat, quin aliæ privatæ dicerentur, 172 S. Gregorius prohibet Monacis cantum Miſſæ Solemnis, 184
De Miſſa Latina opiniones variæ, 155. Lutheri Diſcipuli eam ſupprimendam curarunt 156. Eruditi, qui putant eam eandem eſſe, ac Miſſa Romana, 156. Objecta Card. Bonæ in hanc Miſſam, 157. 158. Miſſa hæc in epitomen redigitur, 159, & ſeq. Objecta Thomaſii & Mabillonii, 164, & ſeq. Expenditur ſententia Menardi de hac Miſſa, 166. vetuſtiſſima eſt, 167. compoſita fuit ineunte circiter ſæculo IV., complectitur ritus omnes Miſſæ Solemnis, 170. argumenta pro antiquitate Miſſæ hujus, 172., & ſeq. non reperitur in Canone nomen alicujus Sancti, 173. 174 vetuſtiſſima eſt omnium Miſſarum Græcarum, & Latinarum, 175., 176. ſunt qui eam tribuant D. Hilario, 176. conjecturæ, quibus efficitur, eam a Romana non deſcendere, 176. fons eſt omnium Miſſarum Græcarum, & Latinarum, 177. 178. Miſſa Gelaſii Papæ eadem eſt, ac Latina, 178., 179. Miſſa S. Gregorii originem ducit a Latina, 179. ea ad normam hujus emendata eſt, 180., & ſeq. reſpondemus objectis adverſus ejus antiquitatem, 182., & ſeq. addicta non fuit uſui alicujus peculiaris Monaſterii, 184. Dogmata perſpicue in hac Miſſa enunciata, 186., 187
De Miſſali Gallicano Sapientes implicati ſunt, 141, 144
Miſſalia Gelaſianum, & Gregorianum, 142., 143.
Mitra forma, uſus; & antiquitas, 259
Monaſteriis interdictus minime fuit mos canendi Miſſam, 185
Monumenta profana, in quibus mentio fit Jeſu Chriſti, 335
Mortui locum habent in precibus Eccleſiæ ex veteri more, 131
Muſæo Presbytero Maſſilienſi tribuitur Miſſa Gallicana, 140
Mozarabicus Ritus in more eſt apud quaſdam Eccleſias Hiſpaniæ, 147

N

N. Littera hæc adhibita fuit ante annos 800. ad deſignandum nomen proprium, 166
Nabonaſſarus annus nuncupatus, 61
Nativitas Jeſu Chriſti propria, & Dionyſiana, 21
Neomenia ſunt mendaces, 3
Nomina Sanctorum collocata in Canone, 173. Confeſſorum deinceps adjecta ſunt, 174 cauſſa fuerunt errorum multorum in Reliquiis, 313
In Numiſmatibus Regula diſtinguendi titulum Imperatoris a titulo Ducis militum, 79. 80

O

O*bjecta* contra Traditionem Patrum de tempore Mortis Chriſti, 36. Objectio prima, 37. ſecunda, 40. tertia, 44
Offerre neceſſe erat in Miſſa, ut jus acquireretur communicandi, 168. Canones Conciliorum de re hac, *ibid.* Oblationes non unius generis, 179
Olympiadum uſus reipſa conſtans non eſt, 4. a quo ſublatæ ſint, 28
Opinio de morte Chriſti quare incerta, 10

P

P*aganorum* corpora multis in locis culta ſunt, 301
Pagii ſententia de Eclypſi anni Juliani, 66
Panos Magni mors, 335. Hiſtoria mortis hujus, 336. fabuloſa eſt, 337. ſententiæ Criticorum de hac morte, 338
Παναγία Ceremonia celebrata a Græcis, 112. tempus, quo fiebat, 113. argumenta pro hac ceremonia, 114

Papa.

Papebrochius ait, neminem poſſe ex ratiocinationibus Aſtronomicis inire tempus mortis Chriſti, 48
Papirus efficiebat Ellychnium pro Cereis, & Lampadibus, 95. 96
Paraphraſes Chaldaicæ tam vetuſtæ non ſunt, ac vulgo dicuntur, 196
Parochi cautio pro cuſtodiendis Reliquiis, 326
Paſcatis Feſtum moderari non debemus ex Tabulis Aſtronomiæ rigidioris, 30. 31
Paſcha Annotina quid ſit, erroreſque Scriptorum ſuper hac re, 58
Paſchatis Cycli ex vetere Calendario, 22., & ſeq. Leges Eccleſiæ de tempore celebrandi Feſtum hoc, 23
Paſchaſinus Epiſcopus narrat Miraculum de Fontibus Baptiſmalibus, 105
Patres Eccleſiæ, qui exiſtimarunt, Jeſum Chriſtum mortuum eſſe anno 30. ætatis ſuæ, 33., & ſeq. diviſio eorum ſuper hac re, 37. in quatuor claſſes dividuntur, *ibid.* ſententiæ ſingulares aliquorum, 38. ad quas regulas confugerunt, ut indicarent tempus mortis Chriſti, 46. callebant initia Aſtronomiæ, 47. quinam ſenſerint, Jeſum Chriſtum mortuum eſſe 8. Kal. Aprilis, 49.
S. *Patricii* labores pro Converſione Hibernorum, 152
S. *Paulus* ſcripſit Epiſtolam Græce ad Romanos, 207
Pauli Mildeburgenſis Tabula ſupputationum accurata non eſt, 10. 11
Periodus Juliana Epocha eſt arbitrio poſita, 24. a quo excogitata, 25. complectitur tres Cyclos, 24. Periodus Victorii, 26
Petavii opinio de utilitate Aſtronomiæ, & Chronologiæ ad reperiendam Epocham Mortis Chriſti, 2. 3. 48
S. *Petrus* ſcripſit Græce ad Judæos, 207
Petro Presbytero Provinciali aperitur locus, in quo erat Lancea Chriſti, 265. tranſit per medium ignem, ut Lanceæ veritatem confirmet, 266. 267
Pilati Acta ipſi tributa 339. duplicia ſunt, 342. ex iis ſunt genuina, 340
Pilati Epiſtolæ ad Tiberium argumentum, 340. Euſebius de ea loquitur, *ibid.* Objecta in Epiſtolam, & Acta Pilati, 342. 343 falſa Acta ipſi adjudicata, 343
Populi, qui Fidem ab Apoſtolis receperunt, 207. 208
Præfationes continebant Synopſim Vitæ, & Martyrii Sanctorum, 141. ſunt, qui eas vendicent Gelaſio Papæ, 144
S. *Proclus* meminit Liturgiarum S.S. Baſilii & Joannis Chryſoſtomi, 133. quid ſentiat de Liturgiis iſtis, 133. per ipſum Patres iſti novas minime confecerunt, 134.

Q

Quartodecimani utebantur falſis Actis Pilati, 342
Quirinius præfectus erat Syriæ, de deſcriptione ab ipſo facta, 7

R

Rationes dividendi corpora Sanctorum, 292., & ſeq.
Regula pro internoſcendis Reliquiis 320. 324., & ſeq. ad cognoſcendum, num Traditio de iis habita vera ſit, 362., & ſeq.
Reliquiæ Jeſu Chriſti a quibus Autoribus memoratæ, 280. quare incertæ ſint, 285. Ethnici, atque Hæretici curarunt, ut eas perderent, 284. eorum rabies in Reliquias, 285. ſententiæ Patrum ſuper hac re, *ibid.* artes hæreticorum, ut eas miſcerent, 286. venditæ ſunt, & furto ſublatæ 287. Hiſtoriæ horum criminum, *ibid.* Concilia, quæ impietati huic obſtiterunt, *ibid.* jactura quamplurimarum referenda eſt in cuſtodes illarum, 288. exempla negligentiæ hujus, 289. pietas Fidelium contulit ad ſuſpicionem illarum, 289. redemptæ fuerunt a Chriſtianis, 290. diviſio illarum multas incertas reddidit, 292. rationes multæ eas dividendi, 292. 293. abuſus haud pauci de re hac, 297 Reliquiæ tranſlatæ, 302. hæc tranſlatio ſæpe errores peperit, 303. & ſeq. imagines Reliquiarum effingebantur, 304. 305. & ſeq. incertæ factæ ſunt vitio Scriptorum, 316. 317. qui eas propugnarunt, eaſdem in dubium adduxere, 318. Concilia jubentia, ut Reliquiarum Tabula conficeretur, 326. Miracula a Reliquiis patrata, 300. Vide *Regula*.
Reges locum ſemper habuerunt in precibus Miſſæ, 184
Rogerius Baco primus eſt, qui propugnaverit, Jeſum Chriſtum mortuum non eſſe VIII. Kal. Aprilis, 50

cani cum particula *Filioque*, 183

S

Samuel Petitus contendit, Jeſum Chriſtum e vita migraſſe anno 29. Æræ communis, 61
Sanctuaria erecta pro Reliquiis, 308. quid veniat hoc nomine, 309. multifariam erant, 310. pietas Fidelium pro Sanctuariis, 311
De Sanguine Jeſu Chriſti Traditiones multæ, 239. de eo, qui aſſervatur Mantuæ, 239. Sanguis hic miro modo profluxit, 240. Fabulæ, quæ narrantur in rem hanc, 241
Sanguinis in Anglia aſſervati hiſtoria, 241
Sanguinis Jeſu Chriſti, qui in multis Eccleſiis colitur, origo, 242. de Sanguine, qui extat Brugis, 244. qui manavit e Brachio S. Stephani, 313. diviſus eſt in multis Eccleſiis, *ibid.*
Scholaſticus ſapientem ſignificat, 175. Canon Miſſæ tribuitur homini Scholaſtico, *ibidem.*
Senior ſignificat Archipresbyterum, 185
Sepulchra erecta in honorem Sanctorum, 296
Sidonius Apollinaris habetur Auctor Liturgiæ Gallicanæ, 140
Similitudo nominum, & rerum multas Reliquias reddidit incertas, 312
Simonius putavit, quemque populum Scripturam Sacram habuiſſe conſcriptam Lingua ſua, 207. 208. nimis Linguas multiplicavit, 209. Objecta ejus in hiſtoriam de Lancea Jeſu Chriſti, 269. non probat Miſſas de Lancea, & Clavis Domini, 290
Sindones videntur Bailleto Reliquiæ ſuſpicioſæ, 322
Sirmondi error de Baptiſmo Clodovei, 107
Slavi Officium vulgari Lingua celebrarunt, 233. Pontifices deinceps id prohibuerunt, 324. initio id non fecerunt, niſi permiſſu Papæ, 233
Suppedaneum erat Chriſto Crucifixo, 194. Factum iſtud autoritate Traditionis firmatur, *ibid.*
Supputationes Pauli Mildeburgenſis, 11. Autoris Chronologiæ Sacræ, 12. Fabri, 13. Aſtronomicæ ad reperiendam mortem Jeſu Chriſti, 13. incertiſſimæ ſunt, 17
Symbolum Apoſtolorum quando cœperit

T

Tabula annorum Biſextilium, 16. Cyclorum Solis, & Lunæ, & Feſti Paſchatis, 22. ejus explicatio, 23. 24
Tabula Paſchalis affixa Cereo Paſchali, 91. recitatur una ex his tabellis, e S. Sacello Pariſienſi, 92. in qua mentio fit Reliquiarum ejus Eccleſiæ, 92. 93
Tabulæ Aſtronomicæ non ſunt certiores ratiocinationibus Chronologiſtarum, 14 18 27
Tanaquili Fabri opinio de loco Joſephi, 345. ejus Epiſtola ad Huetium ſuper converſione ſua, 355
Templa ædificata in honorem Reliquiarum, 290
Thamo quid dictum fuerit de morte Panos, 335
S. Thecla Reliquiarum inventio, 325
Thierii Critice ſuper Tunica Inconſutili Jeſu Chriſti, 320. de Lacryma Vindocinenſi, 256. ſtatuit regulas parum firmas de Reliquiis, 257
Thomaſius edidit tria Miſſalia, quibus utebantur Galli, 142. argumenta ejus in Miſſam Latinam, 164
Thiara, Vide *Mitra*,
Tiberii Imperii initium incertum eſt, 8. 9. duo initia habuit, 68. quid faciat in rem hanc, *ibid.* ejus Imperium Proconſulare ſtatuitur, 69. vim habet in exemplis ductis a Scriptura, 71. Autor Chronologiæ Sacræ contemptui habet Imperium hoc Proconſulare, 72. probatur teſtimonio Patrum, 73. 74. 75., & ſeq. Objecta, quæ urgent adverſus duplicem hanc Epocham, 76., & ſeq. Statuitur ejus Imperium Proconſulare, 79. 80
Titulus Imperatoris quibus tribueretur, 78. fuerunt duo ſimul Imperatores ante tempora Marci Aurelii, 78. 79
Titulus Crucis conſcriptus triplici Lingua, 188. quo pacto ſervatus ſit, 189. inventus a S. Helena, 190. qualis ſit in hanc diem, 191. de eo, qui extat Toloſæ, 192
Toſtati Alphonſi ſententia de Morte Chriſti VIII. Kal. Aprilis, 50
Traditio audienda eſt, ut cognoſcatur tempus Mortis Chriſti, 32., & ſeq. conſtans Traditio Patrum de hoc, 33. 34. 35. quæ opponantur huic Traditioni, 36.,

36., & ſeq. Traditio de Morte Chriſti VIII. Kal. Aprilis, 48., & ſeq. Eccleſiæ Græcæ ſuper hoc, 51. Autores, qui ſectati ſunt Traditionem hanc Eccleſiæ Græcæ 52. Concilium Cæſareenſe, in quo decretum eſt, Jeſum Chriſtum mortuum eſſe X. Kal. Aprilis, 52. quinam ſit germanus Concilii ſenſus, *ibid.* Autores, qui male Canonem hunc intellexerunt, 51. Traditio de morte Chriſti 34. ætatis ſuæ anno, 54. ignota fuit primis ſæculis, 55

Traditio de morte Chriſti anno 29. Æræ communis, 59. argumenta pro hac Epocha, 60. accommodari poteſt calculis aſtronomicis, & tolluntur objecta in eandem, 61. 62. Traditio Reliquiarum quo pacto ſervata, 328. Regulæ pro eadem, *ibid.*

Typicus Liber eſt Eccleſiaſticus, 113

V

V*erſio Syriaca* in magno pretio eſt habita apud Orientales, 199. Officium peragebatur hac Lingua, 200. Indi ea uſi ſunt, 201

Verſiones Latinæ erant communes tempore D. Auguſtini, 199. Italica celeberrima fuit, 200. Eccleſia Occidentalis ſemper uſa eſt Verſione hac, 201. nec non uſum habuit in Hiſpania, & Gallia, 202

Verſionibus Græcis quinam uſi ſint in Sacris Myſteriis, 199. 200

Verſio Gotica omnium vetuſtiſſima, 222. Ulphilas ejus autor eſt, *ibidem*. Gothi eam adhibuere, 223

Verſio Coptica quare ita apelletur, 223. Uſum habuit in Ægypto, 224

Verſio Æthyopica confecta non fuit ante Concilium Nicœnum, 225. ſed tantum poſt Ordinationem S. Frumentii, *ibidem*. Abiſſinis uſitata non fuit Verſio hæc in Officio publico, 226

Verſio Armenorum elaborata eſt a quodam nomine Ruphan, 227

Verſiones tributæ S. Joanni Chryſoſtomo, & S. Hieronymo, 229. 230

Verſionum Lingua Punica meminit S Auguſtinus, 230

Verſio Slava eſt cujuſdam Cyrilli, *ibid.*

Verſiones Arabicæ, *ibid.*

Victor Capuanus laboravit in Periodum Victorii, 26

Victorius autor eſt Periodi 532. annorum, 25. 26. 44

Vindocinenſis Lacrymæ hiſtoria, 251

In *Viſitatione* Reliquiarum regulæ obſervandæ, 331. 332

Ulphilas autor eſt Verſionis Gothicæ, 222

Umbilici Jeſu Chriſti Hiſtoria parùm tuta, 317

Urbanus V. explicat effectus Agnorum cereorum. 101

Urnæ Lacrymales; ſcilicet vaſa, in quibus lacrymas claudebant, 249

ὡρολογιον quid ſignificet apud Græcos, 112

Uſcanus Epiſcopus edendam curavit Bibliam Armenorum, 227

Vulcelii ſententia quod attinet ad *Miſſam Latinam*. 155. 157

FINIS TABULÆ.

DIS.

DISSERTATIO

R. P. HONORATI A SANCTA MARIA,

Carmelitæ Discalceati

De Inſcriptione S. Faciei Monſtrolienſis, in qua reſpondet Scripto, cui titulus eſt:

Explicatio Græca Inſcriptionis Veronicæ, propugnata a S. P. I. D. C. Gall. *

** Certo conſtat Scriptum hoc eſſe Patris Harduini e Societate Jeſu.*

HAbetò Inſcriptionem, de qua diſputamus, cujus litteris ſuppoſui numeros, ut facilior evaderet intelligentia eorum, quæ dicenda erunt.



Hæc Inſcriptio legitur ſub Tabula picta Sacræ Faciei, quæ colitur in Eccleſia Monialium Monſtrolii prope Laudunum. Mabillonius eam affert in quodam Opere ſuo; ſed eruditus hic Monachus ingenue fatetur, ſe Inſcriptionis illius Litteras ignorare.

Mabill. Iter Italic. Tom. 1. pag. 69.

In Additione vero ad Ephemeridem Sapientum Martii 1707. appoſita eſt imago Sanctæ hujus Faciei cum Inſcriptione; atque addita Interpretatio Harduini Jeſuitæ, cui placet; eam Græcam eſſe, atque hos verſiculos reddere.

Ὠἕρας δή γε γραφὶς σχίμα Παινιάυ ἄκουσα.

Qui Latine vertuntur.

Diviſit utique penicillus figuram Chriſti invitus.

Sed cum argumenta Viri hujus Religioſi non admodum concluſa mihi viſa ſint, ut me in ejus ſententiam adducerent, putavi non ſine ratione poſſe me propugnare in Diſſertatione de Sancta Facie, Inſcriptionem hanc deſcriptam fuiſſe Lingua Moſcovitica, non vero Græca.

Animad. in Reg. Crit. Tomo 2. l. 4. Diſ. 8. art. 3.

Interea Monumentis Trevoltienſibus Menſis Auguſti 1717. adjunctum eſt Scriptum anonymum hoc titulo; *Explicatio Græca Inſcriptionis Veronicæ propugnata*. Autor Tractationis hujus quinque præſtat: 1. perſuadere

dere nititur, Moſcovitas, quos in conſilium adhibui, me decepiſſe. 2. affert argumenta, quæ illi firmiſſima viſa ſunt, ut efficerent, Inſcriptionem illam Græcam eſſe 3. refellit rationes, quibus permotus exiſtimavi, eam eſſe Moſcoviticam. 4. quoſdam adhibet dicendi modos, qui videntur ab æquis hominibus probari non poſſe. 5. interpretatur Inſcriptionem ſuperpoſitam januæ Eccleſiæ S. Georgii Mediolani. Nos porro pergimus, hæc omnia ſequentibus articulis ad judicium vocare.

ARTICULUS PRIMUS.

An Moſcovitæ, quos in conſilium adhibui, me deceperint.

UT omnibus liquido oſtenderet, Moſcovitas, quos conſului, mihi fucum feciſſe, opus erat, Autorem bonas rationes in medium afferre, non vero ſatis habuiſſe, cum aſſeruit in univerſum: *Quod ſi quis Moſcovita ei ſecus dixit, ac legimus in eorum Libris, nonne belle ipſum luſit?* pag. 1336. *Si hæc novo Critico affirmarunt ..... certe bono homini impoſuerunt.* pag. 1340. *Nunquid ut moleſto Critico indulgerent, advenæ iſti ſpecie tenus difficultates oſtentare potuerunt, atque ingenuum hominem decipere?* pag. 1344. *Omnia itaque eo ceciderunt, ut bonum hunc Virum Religioſum in errorem inducerent.* pag. 1349.

Quo autem argumentum hoc de medio tollamus, ſatis erit, me palam rationem reddere, quid nam ſuper hac re præſtiterim. Statim fateor, me nunquam Linguæ Moſcoviticæ dediſſe operam, præterquam pro re nata hujus controverſiæ. Quare Inſcriptionem hanc Moſcovitam eſſe defendi, fultus duntaxat teſtimonio duorum Medicorum, ortu Moſcuenſium, qui conſulto aliorum etiam Nationis ſuæ Eruditorum reſponderunt mihi, Inſcriptionem illam Lingua ſua ſcriptam eſſe, & Latine reddi, *Imago Domini in Sudario*.

Deinde cum Moſcovitarum Imperator Pariſios veniſſet, hanc arripui occaſionem, ut rurſus in trutina ponerem Inſcriptionem illam. Quapropter *Mareſcallus de Teſsè* pro ſua humanitate oblatam miſit ad Principem *Kourakinum* Imaginem S. Faciei, & ſuppoſitam Epigraphem. Atque hæc ſunt verba epiſtolii ad Principem ab ipſo Gallice dati. *Principem Kourakinum orat Mareſcallus de Teſsè, ut oculos conjicere velit in hanc Imaginem, quam coram illo ſtatuet cubicularius meus; & dijudicare, num carecteres eidem Imagini ſuppoſiti ad Linguam Eſclavonicam pertineant, quidque ſignificent, ſi modo eos norit.*

Prin-

Princeps vero Kourakinus examinata Inſcriptione, ſub eadem ſchedula, cujus Archetypum apud me eſt, reſponſum hoc item Gallice poſuit: *Superiores notæ interpretantur*: *JESUS CHRISTUS; inferiores autem*: *IMAGO SALVATORIS, VEL DOMINI IMPRESSA IN SUDARIO, SIVE VELO, AUT LINEA CALANTICA VERONICÆ*.

Princeps hic, qui ingenio, comitate, aliiſque præclaris dotibus ſuis totius Galliæ in ſe admirationem excitavit; quique Gallicam Linguam probe callet, ut faciliorem intellectu redderet interpretationem ſuam, ſatis non habuit dicere ſimpliciter: *Imago Salvatoris in Sudario*, ſed addidit: *impreſſa in Sudario Veronicæ*; certum nanque eſt, verba hæc in Inſcriptione non exprimi, ſed tantum ſubintelligi. Icciroo autem Princeps Kourakinus adjecit in explicatione: *impreſſa in Sudario Veronicæ*, ut indicaret Traditionem Eccleſiarum Ruſſienſium, quæ perhibet, quod multi alii Moſcovitæ mihi teſtati ſunt, Jeſum Chriſtum ad Calvarium euntem Sanctæ Faciei ſuæ imaginem reliquiſſe in linteo, quod ipſi obtulit mulier quædam, nomine Veronica.

Ne vero quidpiam præteream eorum, quæ ad rei hujus claritatem facere poſſunt, poſt editum a me Librum, habui in conſilio Zeikanum moderatorem duorum fratrum *de Nariſquin*, Principum Moſcovitarum. Doctus hic Ruſſienſis, qui Latinam, Gallicam, aliaſque Linguas optime loquitur, quique exquiſitæ ſapientiæ, & reconditæ eruditionis opinionem habet, in ſchedula ad me miſſa ſcripſit, Inſcriptionem S. Faciei Moſcoviticam eſſe, & ſignificare: *Imago Dominica in linteo*. Adjecit quoque, in ea eſſe quaſdam Litteras translatas, quæ lectionem ejus difficiliorem efficiebant. Cum pariter ſeorſim interrogaſſem Virum Religioſum ex Ordine S. Baſilii, qui *Eleemoſinarii* Officio Principibus iſtis comitatur, dixit, conſtare Inſcriptionem verbis iſtis: *Obraz Goſpoden Naoubrous*, quæ ſignificant: *Imago Domini in Linteo*. Alius item e famulis Moſcovita, qui aderat, & Gallice nonnihil loquebatur, perſpecta Inſcriptione, faſſus eſt, ſe cognoſcere elementa illa, atque eſſe Ruſſienſia. Quæ adjuncta omnia ideo ob oculos poſui, ut facile Lectorem perſuaderent, Inſcriptionem illam Moſcoviticam eſſe, non autem Græcam.

Ex qua brevi narratione duo conficiuntur. Primo, licet ii, quos conſului, me decepiſſent, quod quidem paradoxi loco habendum dixerim, me tamen vituperatione dignum non eſſe, ſi ex illorum teſtimonio propugnavi, Inſcriptionem eſſe Moſcoviticam. Deinde, homines illos omnes de tribus apprime convenire. 1. Inſcriptionem interpretari: *Imago Domini in Sudario*, ſive vox *expreſſa*, aut alia ſimilis, ſubintelligatur, ſive deſit. 2. Inſcriptionem Moſcoviticam eſſe, non autem Græ-

cam. Tandem, explicationem Moſcovitarum nihil afferre, quod ad Harduini mentem accedat.

ARTICULUS II.

Argumenta, quæ evincunt, Inſcriptionem Græcam eſſe.

INterea præſtat examinare ſententiam Harduini ea prorſus ratione, qua expoſita eſt in Additamento Ephemeridis Sapientum; atque aliam Autoris Scripti adjecti Monumentis Trevoltienſibus, ſive duo Autores ſint, ſive idem. Ut autem ordinatim in diſquiſitione hac procedamus, videndum eſt primo. An Inſcriptio Græca ſit. 2. Num carmen efficiat. 3. Utrum Græcæ Litteræ in ea repertæ id, quod intendunt, ſignificent. 4. artificium, quo ex illa Græcas notas emergere faciunt.

An Inſcriptio Græca ſit.

Addit. Ephem. pag 99 Gall. Monum Trevolt. 1327. Gal.

1. Argumentum primum Autor noſter hoc plane modo digeſſit: „ „ Ante annos decem opinio fuit, verba illa Græca eſſe, ſed ſecundum „ partem ſcripta litteris Latinis a Manu Latina. Id evidenter fit, 1. „ ex conſenſione litteræ Græcæ C., quæ bis in Inſcriptione reperitur, „ atque eadem eſt, ac in $\overline{\text{IC}}$. $\overline{\text{XC}}$, quæ in parte ſunt ſuperiore. 2. ex „ convenientia Litterarum Latinarum a, b, & q.

Si recta eſſet argumentatio hæc, poſſemus propugnare, verba iſta: ΛΑΒΙΔ ΠΡΟΦΗΤΟΥ ΚΑΙ ΒΑCΙΛΕΟC ΜΕΛΟC, quæ leguntur in fronte Pſalterii Græci, quod eſt inter MS. quædam Bibliothecæ Regiæ, verba, inquam, iſta Latina eſſe a Græca manu conſcripta. Id evidenter fit, inquiet aliquis, ex convenientia litterarum Latinarum, atque ex figura quinque, vel ſex Græcarum. Cum etenim ſint 29. viginti latinæ ſunt, ceteræ Græcæ. Contra vero in Inſcriptione Sanctæ Faciei extant ſex duntaxat, aut ſeptem caracteres affines Græcis; a, b, & q. Latinis. Quod attinet ad alias Litteras, nihil habent proximum, vel Græcæ Linguæ, vel Latinæ. Quare etiam non liceret tueri, verba illa Pſalterii Coptica eſſe, vel Ægyptiaca, & Eſclavonica; quandoquidem Litteræ omnes, ſi modo quatuor, aut quinque excipias, certe in *Alphabetis* Coptico, & Eſclavonico reperiuntur.

Quid pariter ſentiret Autor noſter, ſi quis vi rationis hujus propugnaret, Inſcriptionem S. Faciei Copticam eſſe, vel Ægyptiacam, ſcriptam a manu Latina, vel Græca? Id evidenter fit, diceret, ex convenientia Litterarum P. Γ. C. Π. N. Ι'., quæ Copticæ ſunt, atque ex figura duarum

rum, vel trium Latinarum, aliarumque Græcarum. Hæc opinio numquid non eſſet veriſimilior, quam alia Autoris noſtri; quoniam liquet, eſſe in Inſcriptione ſex ſaltem Litteras Copticas, quin enumerem Litteras N. C.; quarum utraque bis repetita eſt. Propterea inter caracteres 59., quibus conſtat Inſcriptio, octo Coptici ſunt, at reliqui Græci, & Latini.

Inſuper præter Litteras Copticas, Græcas, & Latinas ſunt in ea caracteres quartæ cujuſdam Linguæ, nimirum Ruſſienſis, qui tribus aliis nihil ſimile afferunt, nimirum 2.,5.,& 6. Qua de re ex principio Auctoris noſtri dicere quis poſſet, Inſcriptionem S. Faciei confectam eſſe Litteris quatuor Linguarum, ſcilicet Græcæ, Latinæ, Copticæ, & Ruſſienſis. Sed addere quoque fas eſſet, ſi Autoris noſtri viam ſequeremur, Inſcriptionem Eſclavonicam eſſe; * cum plures hujus Linguæ Litteras habeat, quam Græcas, & Latinas.

Si vero Inſcriptio Græca eſſet a Manu Latina exarata, oporteret; litteras omnes Græcas eſſe & Latinas. Porro certum eſt, notas. 2.,4., 5.,6.,10.,14.,15.,16.,18., &, 20. neque Græcas eſſe, neque Latinas, ſed Ruſſienſes, & Eſclavo nicas, ut ex Linguarum iſtarum *Alphabetis* apparet.

In duabus vocibus iſtis *πανονὰυ ἄχυσα* explicationis Græcæ, littera A. quater repetita, & tribus diverſis modis efficta eſt. Quænam autem Grammatica Græca, rogamus Autorem noſtrum, docet, A triplici ratione deſcribi. Illud certe perſpicuum eſt, ſecundam litteram verbi Πα, quæ eſt 10. Inſcriptionis, atque hoc pacto efformata eſt , nihil habere conſonum A. Græcæ, vel Latinæ, cum ſit vere Δ; ſed neceſſario vertenda in A, ne totam Inſcriptionis Græcæ ſtructuram evertamus. Quod eſt duarum *a*, quæ ſunt in verbo *ἄχυσα*, videlicet nota 10., & 20, „ ſunt *a* „ inquit autor noſter, ſimiles aliis MSS. veterum; niſi quod, ſubdit, ut „ eas ementiretur, Pictor apertiores & altior es effecit.„ Non ſunt itaque duæ germanæ *a*, ſed *a* adulteratæ? *Addit ibid. Monum. Trevolt. p. 1328.*

II. Nunc expendamus, an Inſcriptio verſum componat. „ Si hoc præ- *Num Inſcriptio carmen efficiat.*
„ judicio legeremus, (nimirum in ea eſſe litteras Græcas, & Latinas)
„ primum verbum *ἴθρας*, atque ultima *Πανονὰυ ἄχυσα* conficerent tres pe- *Monum. p. 1328.*
„ des cum dimidio carminis Hexametri; atque adeo poſſemus præſume-

* Duplex eſt caracterum genus in *Alphabeto Illyrico* vel *Serviano*. S. Hieronymus priorum autor eſt, aliorum Cyrillus quidam, qui vixit ſub finem ſæculi IX. Horum autem poſteriorum mentionem facio, cum voco caracteres Eſclavonicos. Vide *Vualton in Proleg.* 2. pagina 13. *Proleg.* 5. pagina 35. *col.* 2. *initio*.

„ re, additis litteris, quæ explicandæ ſupererant, Inſcriptionem edere „ integrum verſiculum. Præterea cum vox ἄκυρα ſit nomen adjectivum „ fœminei generis, cogit nos ſubſtantivum ejuſdem generis nomen inqui- „ rere. Igitur perſuaſum nobis fuit, carmen in eis reperiſſe, duabus lit- „ teris loco duorum verborum acceptis.„

Ponamus cum Autore noſtro, primum, & duo poſtrema verba ſuæ Inſcriptionis Græcæ tres pedes efficere cum dimidio; ex quo conflabit duos alios pedes cum dimidio, qui deſunt Hexametro carmini perficiendo? Attende myſterium. Ex tribus, quæ in Inſcriptione ſuperſunt, litteris, quatuor effingit verba; vult nanque, primum ex his tribus elementis, quod eſt in Inſcriptione ſextum, atque hoc pacto efformatum  adverbium eſſe compoſitum ex δὴ, atque enclitica γε, quæ per ipſum ſummatim ſcripta ſunt ſecundum duas tantummodo verborum illorum conſonantes, quæ ſimul conjunctæ ſunt. Sed quomodo duas conſonantes reperies in unico duntaxat caractere?

Additam. ad Ephem p. 99. „ Harum duarum conſonantium, „ inquit, altera alteri ſuperpoſita eſt, ut Δ ſit loco baſis, & Γ ſuperſtet, ſed ita converſa ꓶ. „ Interea tamen neceſſe eſt notam hanc, quæ plane ꓶ. arithmeticum eſt, *gamma* haberi, alias qua via carmen inire poteris?

Poſtquam vero duo verba ex unico elemento confecit, alias duas voces reperit in duabus litteris, quæ ſequuntur: *gamma* vertit γραφὶς, *penicillum*, & C. videtur ipſi poſitus, ut ſignaret σχῆμα formam, figuram. Confidit porro quatuor iſtis verbis, quæ ex tribus duntaxat litteris aſſurgunt, fieri duos pedes cum dimidio, qui, ſi addantur tribus aliis pedibus cum dimidio, verſus Hexameter emerget.

Non eſſet quidem multi operis oſtendere, Autorem noſtrum poſt tot Litterarum contextus ſummo negotio reperturum ibi eſſe carmen Hexametrum. Sed illum ulterius non implicemus, qui plus ſatis etiam involutus eſt, ipſique concedamus ultro, elementa illa omnia in unum complexa verſum Græcum Hexametrum edere. Quo poſito integrum ſane nobis per ipſum erit interrogare, qui fieri potuit, ut modo Hexametrum carmen in ea Inſcriptione reperiat, quæ decem ante annos ex ejus mente verſum Spondaicum efficiebat? Nunquid decem annorum ſpatio carmen

Additam. p. 100. illud naturam mutavit? „ *Facile eſt*, tum dicebat, *in hac Inſcriptione verſum Spondaicum Græcum animadvertere.*

At quid reſponderet Autor noſter, ſi ex ipſis ejus verbis demonſtrem, jactatum hunc verſum Græcum, neque Hexametrum eſſe, neque Spondaicum? Nihil ſine probatione affirmemus. Habeto quid ille affirmabat de-

Addit. p. 101. cimo ab hinc anno. „ Hoc eſt conſtanter carmen Græcum; quæ aſſertio

„ omni

„ omni difficultate vacare videtur; niſi ſi præſtet dicere, loco carminis „ Spondaici, carmen potius eſſe ejus generis, in quo nihili fieret quanti- „ tas, modo verborum numerus ſatis quadrare videretur: ut multa hu- „ juſmodi reperiuntur in ſimilibus Inſcriptionibus.„

Quod ſi Inſcriptio hæc carmen eſt ejus rationis, in qua nihili fit quantitas, quo pacto in eo decem ab hinc annis apparebat verſus Spondaicus, modo autem ſe prodit Hexameter, niſi ſit ex illis, in quibus non attenditur quantitas, modo verborum numerus ſatis quadrare videatur? Quis unquam fando audivit verſum Hexametrum, vel Spondaicum, in quo quantitas non attendatur? *Num Græca verba, quæ extare volunt in Inſcriptione, id ſignificent, quod intendunt.*

III. Iucunda ſane res eſt videre, quam elaboret Autor noſter, ut in verbis Græcis a ſe excogitatis reperiat ingenioſi Pictoris ſui cogitatum latine expreſſum. Unum tantum exemplum ſubjicio. Exiſtimavit, ultimum verbum eſſe πανωνευ quod interpretatus eſt *Chriſti*. Sed quam opus fuit, cum Græcam Linguam, tum mentem ſuam diſtorquere, ut id aſſequeretur? Statim ait, vocem hanc conſtare ex πᾶν, *omnis*, & verbo ὠνάω, *emo*. *Ibidem p. 100.* Poſtquam igitur rem longiſſime accerſivit, & diſtorſit ſuper verbo ὠνάω, illudque cum πᾶν conjunxit, efficit inde πανωνάως, quod per illum ſignificat *omnium emptorem, vel Redemptorem*. Ne autem teramus tempus in perquirendo apud Lexica verbo iſto, bona fide fatetur, illud pro libito inventum eſſe. Audi verba ejus: πανωνευ *vox eſt de induſtria confictа, ut hominum Redemptorem ſignificaret*. *Addit. ibidem.* Verumtamen in explicatione ſua non ſcripſit *figuram Redemptoris, ſed figuram Chriſti*.

IV. Sed nondum abſumpta eſt Autoris noſtri eruditio in interpretatione ſua; alia ejus argumenta præſto ſunt. *Artificium ejus, ut in ea Græcam Linguam reperiat.* Ut Lector paretur ad rem ſingularis hujus inventi, meminiſſe neceſſe eſt, Inſcriptionem tres duntaxat voces complecti. Quo animadverſo, audi verba ejus.„ Id carmen Spon- *Addit. Ephm. p. 101.* „ daicum efficit, ſex pedibus conſtans, atque alternis pedibus ſepara- „ tum, niſi quod ſecundus pes totus in prima diviſione non eſt. Ex „ tribus nanque Syllabis duas tantum habet; vox etenim, cujus prima „ ſyllaba ſecundum pedem claudit, exprimitur prima tantum vocis lit- „ tera; atque æquius erat, litteram hanc addere ſecundæ diviſioni, ut „ in hac ſex litteræ reperirentur, quemadmodum ſeptem ſunt in pri- „ ma, atque octo in tertia. Quæ diviſio carminis in tres partes con- „ ſulto facta fuiſſe videtur, ut carmen explicatu difficilius eſſet. „

Atqui opus erat, Pictorem hunc longe ingenioſum eſſe, ut tot modis cogitatum ſuum noviſſet abſcondere, & tantum ingenii acumen in trium verborum complexione oſtendere, quo Græcæ hujus Inſcriptionis explicationem difficiliorem redderet. Vide quot myſteria media vox complectatur? Prima Littera adjungi debebat ſecundo pedi primæ diviſionis,

nis; ſed cum accommodatius eſſet ex hac Littera integrum verbum efficere, Pictor noſter ſcite illam ad diviſionem ſecundam reſervavit. Littera, quæ ſequitur, aliam vocem conſtituere debet; ſed quid rei eſt, tres Litteras inſequentes tres item voces minime efficere. Propterea ſane fuit, inquiet, quod Pictor earum non indigeret ad verſum ſuum Hexametrum, vel Spondaicum efformandum: idque eo magis, quo intererat maxime, ſubjungit Auctor noſter, ſervare litteram Π. quæ prima eſſet verbi Παντὸς; ſed ut emergat vox iſta, per illum adjungendæ ſunt quatuor litteræ ſecundæ vocis tribus aliis alterius inſequentis.

Sed hic rei ſumma non eſt. Quamquam quarta Littera vocis hujus ſit Δ. omnium Grammaticorum confeſſione; opus tamen eſt eam eſſe A. alias univerſa carminis, & Inſcriptionis Græcæ machina corrueret. Quinta nota verbi primi eſt conſtanter Z. in hunc modum depicta ; ſed ex mente Autoris hæc debet eſſe Ʒ. inverſa, quantumvis Grammatica

Addit. p. 99. Ruſſienſis repugnet. „ Quia; inquit, in quibuſdam Latinis, Græciſque „ Numiſmatibus videre eſt Ʒ. iſtas inverſas. „

Verum tametſi Autor noſter conſenuiſſet inter rubiginem Numiſmatum Græcorum, & Latinorum, non putarem, illum indicare poſſe exemplum vel unum, in quo Ʒ. inverſæ efformatæ ſint inſtar caracteris, qui eſt in Inſcriptione: contra vero hujuſmodi litteras offendet in Libris Ruſſianice, Moſcovitice, atque Illyrice conſcriptis, in quibus ſemper Z. ſignificat, quæ in Ruſſiana Grammatica vocatur *zemla*, additque, illam Z. Anglicæ, & Gallicæ reſpondere. Verum etiam eſt, Gruterum in Inſcriptionibus Latinis aliquando ponere Ʒ. inverſas; attamen hanc ſemper ſpeciem exhibent Ʒ., nunquam vero ſimilem quintæ Litteræ Inſcriptionis.

Quod ſi his omnibus addas verſutiam Pictoris, qua ita ſextam litteram diſpoſuit , ut eam poſſet Autor noſter in duas partiri, atque in illa feliciter reperire Δ. & Γ., quæ duas voces per ipſum efficiunt: neceſſe erit confiteri, Interpretationem Autoris noſtri collocandam eſſe inter præclariora Critices inventa temporibus noſtris de re Inſcriptionum. Nihilo ſecius non deſunt homines tam modicæ, immo corruptæ intelligentiæ, quod attinet ad peregrinas diſquiſitiones, ut impudentes ſint in propugnando, totam hanc notarum illarum occultarum explanationem olere Cabalam Rabinicam, atque inania verba quorundam Antiquariorum.

Sunt pariter, qui audeant explicationem hanc cum illa conferre, quam vulgavit Abbas Baldus cujuſdam veteris Inſcriptionis Eugubii inventæ, quæ creditur conſcripta eſſe vetere Lingua Etruſca, atque habet litteras

Latinas

Latinas majoris magnitudinis, nonnihil immutatas. Bernardinus Baldi, qui obrutus erat Libris Annii Viterbienſis, quique pro certo habebat, veterem Linguam Etruſcam dialectum fuiſſe Hebraicæ & Chaldaicæ, hoc fundamento innixus, aggreſſus eſt ad illam interpretandam. Duo primæ voces Inſcriptionis hujus ſunt: *RUDUFUCIFU DADAUF*, quas vertit hoc modo: *REX NOSTER, DOMINUS NOSTER*.

Equidem tam acri ingenio, inquiunt, opus eſt, ut quis percipiat, duo verba iſta Hebraica eſſe, quam ut in Inſcriptione S. Faciei Græcam Linguam agnoſcat: Multo nanque apertius, concludunt, Chinenſis in utraque Inſcriptione hac Linguam ſuam reperiret, ac Judæus, vel Græcus Hebraicas, Græcaſque dictiones detegeret. Denique rumor eſt, ſemidoctum quendam, qui præſtantis ingenii famam ſibi vendicat, utramque interpretatiorem hanc appellaſſe: *sfoghi di Cervello*.

Sed pace dixerim Criticorum iſtorum, ſenſa hæc, & frigida joca in Explicationem Græcam proficiſci nequeunt, preterquam ab illorum præoccupatione, vel ignorantia; atque argumento ſunt explorato, eos ingenio eſſe retuſo; cum Viri clariſſimi, iidemque peritiſſimi, qui exquiſite de rebus pronunciant, longe abſimiliter de his ſentiant. Quorum judicium eo libentius amplector, quo me non latet, Harduinum Jeſuitam, cujus nomen in Republica Litteraria celeberrimum eſt, atque inter eruditiſſimos ætatis hujus Antiquarios recenſetur, in Explicatione ſua Græca neſcio quid magnum, probeque conſultum aperire.

Id didicimus ab Autore Additamenti ad Ephemeridem Sapientum, qui hoc pacto ait: *In ea Harduinus Jeſuita reperit cogitatum inſigne, dignum Pictore Chriſtiano, & Tabulæ ipſi accommodatum. Digeſtum eſt carmine Græco Spondaico, cuius ſenſus ingenioſus eſt, & non parum exquiſitus*. Autor pariter Scripti, quod extat in Monumentis Trevoltienſibus addit: *Si in ea lateant verba Græca, ſenſum ipſis appoſitum elegantiſſimum eſſe, & Chriſtiano Pictore dignum*.

pag. 98. Gall.

Monum. Trev. p. 1331.

A R-

ARTICULUS III.

Objecta argumenta in Explicationem Moſcoviticam.

IN Diſſertatione mea de S. Facie admonui Lectorem, quaſdam in Inſcriptione difficultates occurrere, nimirum 1. Ex tribus ejus verbis, ſecundum, quod eſt *goſpoden*, compendio ſcriptum eſſe, atque in eo tres vocales deſiderari. 2. vocem ultimam compoſitam eſſe ex præpoſitione *na*, & *oubrous*, qui eſt nominandi caſus; eamque enunciandam eſſe, ac ſi in fine haberet *e*. 3. caracteres, quibus deſinunt ſingulæ voces iſtæ primum ſaltem, & ultimum, non eſſe Litteras, ſed *iers*, quæ non pronunciantur; ſecundum, qui eſt *ieer*, non ſecus, ac tertium *ier* inverſos eſſe. 4. quartam, & quintam Litteras ultimæ vocis eſſe B., & R., ſed inverſas; quæ quidem deberent eſſe diſpoſitæ, ut prima, & tertia Littera vocis *Obraz*.

pag. 1337. Autor explicationis Græcæ opponit adverſus primum Articulum: Verbum Moſcoviticum *Goſpoden*, cui reſpondet *Dominus*, nunquam in Biblia Moſcovitica reperiri, niſi contractum ad primam Litteram, atque ultimam ſyllabam cum ſpiritu aſpero, & accentu circumflexo.

R. Ubi nam reperit Autor, Pictorem debuiſſe ſcribere verbum *Goſpoden* ea ratione, qua in Biblia Moſcovitica deſcriptum eſt? Anne crimini dandum eſt, eum addidiſſe, Π & Δ, ut Inſcriptio clarior evaderet? Opus ne erat quoque, ut ſequeretur contractionem Bibliæ Moſcoviticæ, quæ edita fuit anno 1581., quamvis Inſcriptio, ut facta fuerit eo tempore, quo Monſtrolium delata eſt, ante trecentos certe annos depicta eſt?

pag. 1338. Objicit adverſus caput ſecundum. „ Quot verba, tot errores. 1. Quia præpoſitio *na* apud Moſcovitas non gignit verbum ex nomine,
pag. 1339. „ quod regit, compoſitum. 2. *Na* Moſcovitice non ſignificat Latine
„ *in*, niſi quando ſignificat Gallice *dans*, non vero quando reſpondet
pag. 1340. „ particulæ *ſur*. 3. Falſum pariter eſt *oubrous* interpretari *linteum*. 4.
pag. 1341. „ Non occurrit mihi in Biblia Moſcovitica *Ablativus* aliquis, qui in *e*
„ deſinat.

R. Sive præpoſitio *Na* ſejuncta ſemper ſit a verbo inſequente, ſive illi connexa, id ſane non obeſt, quominus *naoubrous* ſignificet *in Linteo*? Si Pictor ex *na*, & *oubrous* unum duntaxat verbum effecit, quid rei hujus rationem ab eo non repoſcis? Quod mea eſt, putavi, oportere

tere

tere Lectorem monuiſſe, in verbo *naoubrous* præpoſitionem, & ſubſtantivum nomen reperiri. Deinde *Na* Moſcovitice cum accuſandi, tum auferendi caſus regit ſecundum varias conſtructiones; non ſecus, atque *in* Latinum. Ceterum, quoniam Linguam Moſcoviticam minime calleo, idcirco dixi, vocem *oubrous* ſignificare *Linteum* teſtimonio eorum, quos conſului. Quando vero Autor probabit, ſe melius Moſcovitice ſcire, quam illos, tum in ſententiam ejus deſcendam. Ut autem evincat in Biblia Moſcovitica nullum *Ablativum* eſſe, qui in *a* deſinat, Autor affert exempla duo caſus iſtius deſinentis in *a*. Recta ne igitur eſt conſecutio: Ergo nullus eſt, qui *a* concludatur?

Objectio in tertium Articulum facta hujuſmodi eſt: „ *Jers* ſunt pu- *pag.* 1342.
„ rum putum mentis figmentum. Quemlibet provoco, ut vel unum re„ periat in tota Biblia Moſcovitica. Niſi fortaſſe, quod quidem neſcio, „ Moſcovitæ appellent *jer* duplicem hanc litteram, quæ ultima eſt in „ titulo Libri Jobi, atque hic effingo. Id unum exploratum eſt, in „ Moſcoviticæ Lingua multas hujuſmodi litteras occurrere: nimirum „ haud pauca in hac Lingua verba eſſe, quæ deſinunt in *ts*, vel in *tz*. „ Sed nota iſta vera littera eſt, quæ caſum ſtatuit.

Ut argumentum iſtud diluam, ſatis erit dixiſſe, me ſcire, Autorem jactaſſe, quod Moſcoviticæ linguæ dederit operam in quadam Grammatica Ruſſienſi, quæ aſſervatur in Bibliotheca Ludovici Magni; Grammaticam hanc apud ſe multos annos retinuerit; eamque abſque dubitatione ulla conſuluerit, ut reſponſum hoc lucubraret; id enim apparet pluribus in locis. Novi tandem, reperiri in *Alphabeto* Grammaticæ hujus characterem quodam nomine *jer* ejuſdem figuræ, ac ille, qui eſt in fine verbi *Obraz* in Inſcriptione, hoc pacto depictum  atque e latere *jer* hujus verba iſta poſita eſſe in *Alphabeto* Ruſſienſi: *Non effertur in pronunciatione*, nullamque litteram huic *jer* reſpondere.

Non eſt itaque *jer* purum putum mentis figmentum, non eſt vera littera; neque pariter ſignificat, voces deſinere in *ts* vel *tz*; quandoquidem hæ ſunt germanæ litteræ, quæ in pronunciatione efferuntur. Grammatica Ruſſienſis duas haſce litteras *ts* appellat *th*, atque exprimit nota hujuſmodi Ц. Accidit autem perincommode, *Alphabetum* Ruſſienſe Criticæ Autoris noſtri ſemper adverſari. Quoniam igitur me provocat, ut vel unum *jer* afferam ex tota Biblia Moſcovitica; nihil habeo quod reſpondeam, niſi me non ſemel evolviſſe Bibliam Moſcoviticam, quæ extat in Bibliotheca Collegii Ludovici Magni, & vidiſſe in Bibliotheca Sorbonica Opera Moſcovitica bene multa; atque offendiſſe in qualibet Librorum illorum pagella quamplurimas notas

hujuſmodi *jer*, immo aliquando lineas paginarum multis *jer* conſtantes. Qua de re illos appello, queis libitum erit eos examinare.

Cum autem affirmavi, *jeer* ſecundæ vocis inverſum eſſe, nec non litteram, quæ verbum Inſcriptionis poſtremum concludit, id affirmavi eorum teſtimonio, quos conſului, & ſatis peritos cenſui, ut illorum fidei ſtarem. Alia, quæ eſt in fine ſecundi verbi, deberet perinde ferme eſſe, ac *b*, vel b inverſa. Quod vero attinet ad *jer* in fine ultimæ vocis, efformandus eſt inſtar ejus, qui legitur poſt *Obraz* 

pag. 1330. & 1346. Argumentum in Articulum quartum hoc modo procedit. „ O egregium Criticum! Sed quantumvis ſit ferox, ne verbum quidem veri „ habet; rationum loco falſas congerit poſitiones. Niſi duæ litteræ „ inverſæ ſint, Moſcovitica Lingua non erit, erit autem, ſi invertantur. Id ſane dicendum eſt per demonſtrationem efficere, Inſcriptionem Moſcoviticam eſſe!

R. Non eſt quidem inverſio duarum litterarum ſub numero 16., & 17., atque *jers*, quæ Linguam reddat Moſcoviticam; ſed notarum illarum inverſio maxima eſt Inſcriptionis difficultas, quam diſſimulare nefas erat. Quænam ſunt tot concertationum inter Antiquarios argumenta, niſi caracterum hujuſmodi mutationes, vel adulterationes? Quæcumque tamen ſint mutationes, quas exaggerat in argumento, ſunt ne cum illis conferendæ, quas ipſe inducit, ut Græcum in Inſcriptione reperiat?

Porro audi ceteras objectiones. „ Falſum eſt propugnare, litteram *s.*
pag. 1337. „ non eſſe Ɛ inverſam, ſed S, quæ Moſcovitice exaratur, ut eſt in In„ ſcriptione  vel hoc pacto C:, nunquam etenim in hac lingua „ fuerunt *Sigmata* duplicis rationis; nunquam fuit ullum, quod quintæ Inſcriptionis litteræ ſimile quidpiam eſſet.

R. Id jure objicit, & fateor ingenue errorem meum. Opus erat, me ex quinta littera *Zemla* Z, non autem *Slovo* S ſignare. In eo quoque erravi, cum dixi, quintam Litteram Moſcovitis eſſe S; quæ vel in eum modum ſcribitur, vel ita C. Ponendum itaque erat *Obraz* non *Obras*. Nihilo ſecius Moſcovitæ in ſcriptione vulgari *Zemla*, & *Slovo* promiſcue utuntur. Atque hoc pacto res eſt in quodam *Alphabeto* MS.; quæ extat apud me, & Litteram Moſcoviticam Z aliquando cum *Zemla* ſcribit, aliquando cum *Slovo*; unde ego conjecturam meam mutuavi.

Contra vero cum adiiſſem Alphabetum editum Ruſſienſe, reperi, quintam litteram vocis *Obraz* eſſe *Zemla*, quæ reſpondet Z noſtræ, vel

Græ-

Græcæ; ſicuti C. Moſcovitice idem eſt, ac noſtra S, vel *Sigma* Græcum. Conſulat Autor Alphabetum Ruſſienſem, & oculis ejus ipſis patebit, litteram, quam ipſe Ɛ inverſam appellat, eſſe Z.

Autor fidenter opponit, *ne unam quidem in Inſcriptione Moſcoviticam litteram eſſe*. Mirum ſane eſt, eum ita loqui, cum Ruſſienſem Grammaticam verſaverit; mirum tot Moſcovitas in ea Linguam ſuam deprehendiſſe, & tamen ne una quidem Moſcovitica littera conſtare; tot demum peritos homines, Moſcuæ natos, atque educatos, Ruſſienſem Linguam non cognoviſſe! Annon ſunt iſta Paradoxa? *pag. 1311.*

Ipſe autem pergit: „ Si Moſcovitice deſcripta eſt Inſcriptio, a quo de„ ſcribi ea lingua potuit? „Cumque aſſeruiſſet, confectam eam non fuiſſe Hieroſolymis, vel Romæ, ubi nemo unus, per illum, Litteras intellexiſſet, concludit, potuiſſe Inſcriptionem primo fieri Monſtrolii.„ Quod „ ego ipſe credo, ſubjungit. Igitur cum probare nemo poſſit, Moſcovi„ ticam Linguam ibi notam fuiſſe, reliquum erit Inſcriptionem Græcis „ litteris conſtare. Ecquis enim eam Monſtrolii ſcripſiſſet Moſcovitice? „ Venit ne tum temporis in Gallias Moſcovitarum Imperator? *pag. 1310.*

R. Si rite deducta eſſet argumentatio hæc, iſta quoque concluderet: Cum probare nemo poſſit, Græcam Linguam Monſtrolii notam fuiſſe, reliquum erit Inſcriptionem Arabicis Litteris conſtare. Ecquis enim eam Monſtrolii Græce ſcripſiſſet? Principes Græci, qui capto Byſanthio ex urbe migrarunt, ſeceſſerant ne tum temporis in Gallias? O ineptam argumentationem!

Sequitur tamen Autor noſter: „ Moſcovitæ nunquam S. Faciem vide„ runt. Id Imaginum genus nunquam in regiones illas, neque in Græ„ ciam, neque in Septentrionem commigravit. „ Licet hæc omnia daremus ultro, conſequens ne eſſet, Inſcriptionem haud continere notas Moſcoviticas? *pag. 1312.*

Enim vero unde nam hauſit Autor noſter hoc Hiſtoriæ caput, Græcos nimirum, Moſcovitas, & populos ſeptemtrionales nunquam S. Faciem vidiſſe? Conjice tantum oculos in alterum Tomum Animadverſionum mearum in Criticen, & plane percipies, S. Faciem multa ante ſæcula, quam Romæ cognita fuerit, honore ſingulari a Græcis cultam fuiſſe. Quod attinet autem ad Moſcovitas, certo certius eſt, S. Faciem in illis regionibus perſpectiſſimam eſſe, & ſumma veneratione ſervatam. Viri quoque multi fidei integerrimæ mihi teſtati ſunt, unam ex iſtis Imaginibus, ornatam gemmis maximi pretii extare Moſcuæ in Æde primaria; immo in omnibus ferme repoſita eſt aliqua ex ipſis: quodque animadverſione magis dignum eſt, audivi a Zeikano, cujus mentionem ſuperius feci. in ingreſſu pene omnium Templorum, in quibus Sacra celebrantur, S. *l. 2. Diſſ. 2. art. 2.*

Faciem præcipuum eſſe ornamentum, quod appareat. Quæ cum ita ſint, fidenter admodum affirmat: *Moſcovitas nunquam vidiſſe S. Faciem*.

pag. 1331. Aliud argumentum. „ Si Inſcriptio ſenſum Moſcoviticum redderet; „ non modo inutilis, & redundans eſſet, ſed etiam abſurda. „ Huic Autoris noſtri judicio libenter aſſentirer, ſi probationes, quas affert, ut tria hæc conſtituat, mihi rem efficere viſæ fuiſſent. Lectoris erit de illis pronunciare. Interea ſuperſedeo ab illis refellendis, non ſecus ac a difficultatibus multis minoris momenti, & aliquibus vitiis, de quibus me redarguit, licet negotium noſtrum minime attingant.

pag. 1333. Ex. gr. me admiſiſſe Barbariſmum, cum ſcripſi: *L'Image du ſeigneur
pag. 1335. dans un linge*; per ipſum nanque dicendum erat, *ſur un linge*: me falſum
pag. 1337. aſſerere, ut Lectori fucum faciam: ut Moſcovitica verba ex mente mea
pag. 1342. ibi deprehenderem, ubi non ſunt, mihi licere arbitratum fuiſſe pro cer-
pag. 1348. to ponere, Inſcriptionem accuratam non eſſe: Inter ea paucula, quæ jacto de Lingua Moſcovitica, memoria mihi excidiſſe Linguam Latinam: Criticorum eſſe, accuratione præſtare, & Latine, Græceque ſcire, antequam Moſcovitice loquantur, licet nullam ejus linguæ notam vide-
pag. 1349. rint: Venia dignum non eſſe Criticum, qui tot errores fundat, ſive rei certior ſit, ſive ignarus. Exprobrat tandem mihi, Litteratos Viros omnes Græcam Linguam tenere, meque non imitari, qui tam oſcitanter exſcribo verſiculum Græcum Autoris, quem impugno, ut neque ſpiritus, neque accentus appingam.

Ceterum cum menda iſta ad me pertineant, nefas eſt ex illis colligere, Inſcriptionem Moſcoviticam non eſſe, de quo in præſentia diſputamus, non vero an Barbariſmum admiſerim; an Lectori fucum facere voluerim; an Græce, & Latine ſciam; utrum notas Moſcoviticas viderim; atque Editor ſuper Græcum Carmen ſpiritus, accentuſque poſuerit. Hæc, inquam, omnia Inſcriptionem Moſcoviticam haud labefactant. Quod tamen non facit, quin exiſtimem, mea eſſe, admonitionem hanc, aliaſque ab ipſo mihi liberaliter factas cum gratiarum actione ſuſcipere.

ARTICULUS IV.

Reſponſiones aliquibus Autoris dictis.

Simile vero ſit, Autorem noſtrum vehementer adeo commotum fuiſſe ab aliquibus dictis, quæ in ejus Scriptum irrepſerant, ut nomi-

ne

ne illud ſuo inſignire auſus non ſit. Alii exiſtimarunt, eum clam in Monumenta Trevoltienſia opus hoc intuliſſe ſine uſitato, & neceſſario Superiorum Religionis permiſſu, & propterea non commiſiſſe, ut illud adoptaret.

Quidam etiam reponunt, Autoris prudentiæ non fuiſſe, de ſummo ſe gradu dejicere, quem tenet in Republica Litteraria, atque in apertum certamen deſcendere cum *Scriptore novitio*, qui non meretur, venerandum Sapientem, in acie Litteraria ſenem factum, coram eum adoriri; quandoquidem ſolum ejus nomen in fronte hujus Tractatus illum obruere potuiſſet. Ego vero hanc nominis prætermiſſionem tribuo ſingulari ipſius modeſtiæ, quæ nunc laude digniſſima cenſenda eſt. *pag. 133.*

Quocumque igitur ductus fuerit Autor conſilio, ut nomen ſuum reticeret, id unum reſpondebo ſenſis omnibus ejus inofficioſis, hic ſcilicet colligendo egregia pronunciata, quæ ſummi Ævi noſtri Scriptores tradiderunt, ut optimam Criticen ad priſtinam dignitatem revocarent, corruptamque a Litterariæ Reipublicæ finibus exterminarent. Quo autem immortale hoc conſilium opere implerent, veri Sapientes deformem reliquerunt imaginem Critices hujus, quam comitatur ſemper turba vitiorum, atque errorum, ab exquiſitæ mentis homine fugienda.

Peſtilens morbus iſta eſt, ajunt, cujus venenum, corrupta prius ejus, in quem primo ſe effudit, judicii ſanitate, immedicabili malo per ſcripta quoque, & perſonas diſpergitur. Nimia celeritas in judicando a Critice prava ſeparari non poteſt, æque ac impetus quidam ingenii, a quo Critici ſapientiores aliquando rapiuntur. *Lectio Patrum p. 2. c. 7. Gall.*

Nulla fere diſtinctio ſit inter malum Criticum, & Pædagogum. Pædagogi eſt, ut perhibent eruditi Magiſtri noſtri, res minutulas arguere, ſcientiam oſtentare; abſque delectu Græca, & Latina congerere; injurias vomere, & lacerare eos, qui aliter a nobis interpretantur Suetonii locum, perinde ac de Religione, atque imperio ageretur. Pædagogi eſt, hominem eruditum iraſci de verbuſculo, quod excidit imprudenti; atque in maledicta provehi ſine modo, *Homines literati*, inquit Clericus, *facile detrahunt, & propter levem injuriam, aut quod interpretantur injuriam eſſe, convitiorum plauſtra in adverſarios conjiciunt.* *Joann. Clerc. Ep. Crit. 5. pag. 90.*

Pædagogi eſt nobis conatu omni perſuadere velle, Titum Livium, Terentium, Ariſtotelem &c. linguam ſuam haud calluiſſe; & Pariſienſem in Urbe Regni capite educatum Gallice neſcire. Quidam recens Poeta facete carpit Criticos iſtos litteratores in hunc modum.

Amyntas a pour l'Ode un talent merveilleux,
Mais il lit peu le Grecs, ne parle pas comme eux;

Eſſais ſur la Critique, imité de l'Anglois

 Pour

de M. Popè d'Amſterdam 1717.

Pour n' avoir pas puisè dans des ſources ſi pures,
Dorinde l'en reprend par un torrent d' injures.
Par tout pour ſon Lecteur elle perd le reſpect,
Et chez elle on eſt fou pour ignorer le Grec ......
Que ne puis-je, Damis, avoir le Privilege
D' oter aux vieux Sçavans la craſſe du College?

Quæ latine verteres:

Arte valet mira, Lyricum ſi carmen Amyntas
Fundat, ſed parum Græcos legit, atque imitatur;
Quodque e tam puris haud fontibus hauriat undas,
Multa in eum maledicta procax Dorinda retorquet.
Undique Lectorem merito defraudat honore,
Perque ipſam inſipiens eſſet, quem Græca laterent......
An non jura mihi, Damis, conceſſa putabo,
Ut maculas priſcis tergam ſapientibus omnes?

Baill. Judic. Sap. Tomo 1. cap. 14. pag. 91. & ſeq.

Genium ſubdole litigandi aliud vitium eſt pravis Criticis ſatis commune, quod ferme ſemper ſequuntur peſſima fides, calliditas, amor ſui, & cupiditas nocendi aliis. Litigatoris ars eſt, lites ſerere de levi particula, vel articulo, qui ſenſum non invertit; ſejungere conſulto litteras, aut verba, vel ea, ſi diviſa ſint, conſociare, ut ſententia immutetur, vel nova gignatur: in Opera ſolutæ orationis carmina requirere, invitis muſis omnibus, atque Autore; inſtar illius Sophiſtæ, qui verbum in duas partes dividebat, ut in Iſocratis Orationibus verſus detegeret; in Scriptorem demum rejicere Editoris vitia, cumque de accentus prætermiſſione injuria vexare.

Critice revera acerba nimium, & mordax pretium extenuavit quamplurium Scriptorum Italicorum, qui ſub XV. Sæculi exitum vixere; & propter illam male audiunt uterque Scaliger, Garaſius, Gretſerus, Gruterus, Fevardentius, Salmaſius, & præ aliis Scioppius, qui poſtquam eruditiſſimum Scaligerum injuriis oneravit, contendit, ſe poſſe illum redarguere quingentorum mendaciorum, quæ in una duntaxat Epiſtola commiſit.

Contra Autores docti, & prudentes, qui in eo laborant, ut ab Operibus ſuis fructum, utilitatemque propoſitam percipiant, levitatem, & vitia, ſi quæ habent, occulere debent, ubi ad aliquem refutandum aggrediuntur. Certum nanque eſt, Autorem vehementer ſcribentem, ſponte præſtantiam amittere, qua adverſariis ſuis præ cauſæ bonitate eminebat; quoties in Operibus ſuis morum, atque affectionum æſtus fervere patitur. In rem hanc ſcripſit Deſpravius:

Sou-

Souvent ſans y penſer un Ecrivain, qui s'aime,
Forme tous ſes Heros ſemblables a ſoi-même;
Tout a l'humeur Gaſcone en un Auteur Gaſcon:

Deſp. Art. Poetique chant. 3.

Quos verſiculos interpretari licet:

Sæpe ſui Scriptor ſtudioſus, quemque ſuorum
Exprimit Heroum ſimilem ſibi, quin teneat rem:
Omnia Vaſconico ingenio ſic Vaſconus Autor.

Quare modo non eſt animus hoc Ævo, in quo exquiſita judicandi ratio dominatur, ſuſtinere Scriptorum ruſticitatem, & pædagogicam hanc dictionem, contumelioſam, præcipitem, quæque ſermonem ex trivio petitum redolet.

Bona, & prudens Critice affectionibus conſtat ſatis diverſis, effectuſque omnino oppoſitos parit. Nunquam non ſtipata eſt ingenuo veritatis amore, charitate, ſuavitate, ſapientia, humanitate, atque inviolata fide. „ Et profecto, inquit eruditus Præſul, quo inviſior eſt prava Cri- „ tice, eo iſta amabilior iis ipſis, quos in quæſtionem accerſit, ſi ta- „ men veri Scriptores Eccleſiaſtici ſint.

Godeo. Hiſt. Eccl. tomo 1. in Praf. Gallice.

Hanc merito appellare poteris beneficum quoddam lumen, quod corpus, unde effunditur, perficiens, homines quoque, & res, ſuper quas aſpergitur, illuſtrat. Hæc demum illa eſt egregia Critice, quæ publicam exiſtimationem meretur, & Sæculi noſtri efficit ornamentum.

Ecce præclara, & doctiſſima enunciata germanorum Ævi noſtri Sapientum; quæ fuſius non uno in loco Voluminis primi Animadverſionum mearum reperies. Ego vero pretium operæ feciſſe non ſum arbitratus, cum aliis ob oculos poſui leges tam prudentes, e Magiſtrorum noſtrorum eruditiſſimorum Scriptis collectas; ſed nihil quoque, ut mihi videtur, præterii, ut eis accurate re ipſa obtemperarem. Ergo ne auderem ſuper hoc blandiri mihi de optima conſcientia officii mei? Eorum judicium ſit, qui Opera mea evolverunt. Quod ſi poſt tot a me adhibitas cautiones, vel negligentiæ, vel ingenii vitio in aliquem hac de re errorem impegi, læto, & grato animo excipiam aliorum monita, perinde ac excipio, quæ propugnator Explicationis Græcæ objicit mihi, me ſcilicet parum urbane egiſſe cum Autore ejuſdem Explicationis, ubi dixi pag. 452. *Summa profecto admiratione digna eſt acutiſſima Harduini acies ingenii, atque eruditio toti Litteratorum Reipublicæ perſpecta, ut e phraſi Moſcovitica carmen Græcum ſpondaicum erueret, & ſolertiſſime Moſcoviticum in Græcum transfiguraret.* Non repugno, ſenſa illa aliquanto feſtiviora eſſe,

Menum pag. 1330.

atque

atque exultantia; neque animadvertiſſe me, ea labeculam nonnullam aſpergere Harduini accurationi pene inimitabili, & maxime adverſari eruditioni ejus de rebus Moſcoviticis, qui omnes illius Linguæ elegantias novit. De quo judicium ferre poſſumus ex ejus verbis: *Teſtari merito poſſum*, ita habet, *Autorem Explicationis Græcæ non unum Moſcoviticum Librum evolviſſe*. Deinde enumerat Libros Moſcoviticos, quos evolvit. *Vidi ego*, inquit, *Bibliam Moſcoviticam, eorumque Codicem Eccleſiaſticum in Bibliotheca Collegii Pariſienſis.*

pag. 1332.

pag. 1342.

Conqueritur pariter, me dixiſſe ibidem: *Sententia, ſive Inſcriptio ſub Sancta Facie poſita, nihil habet cum Græco affine, neque cum ſenſu, quem ipſi dedit peritus hic Jeſuita. Inde autem orta deceptio eſt, quod in hac Inſcriptione &c.* O ſuperi! O auſum! Harduino de Lingua Ruſſienſi deceptionem tribuere! Verbum hoc *deceptio* tam ipſi contumelioſa viſa eſt, ut ex ejus ore amariſſimam iſtam, ſed æque juſtiſſimam querimoniam elicuerit. *Audi verborum acerbitatem! Num Autor Explicationis Græcæ parum liberaliter locutus eſt de novis Critices Regulis, quas non ita pridem in vulgus edidit Cenſor? Si ita res eſt, ultionis fortaſſe cupiditate in eum modo ſtomachum erupit.*

pag. 1331.

Ut igitur me ipſe corrigerem de vitiis iſtis, deque aliis, quæ fortaſſe olim admiſi; utque impoſterum ab iis caverem, huc revocavi optimæ Critices pronunciata, ne unquam ab eis deficerem, quippe mihi ante oculos poſitis, neve ad peſſimæ errata declinarem. Quare pro certo habeant ii, qui me afficient honore redarguendi culpas meas, vel opiniones impugnandi, me ſemper reſponſurum ſecundum moderationem, & regulas Critices rectæ, caſtigatæ, honeſtæ, atque æquiſſimæ. Sique ipſi præferent acerbis dicendi modis iracundiam, tantum aberit, ut eos imitari velim, ut potius exempla ſecuturus ſim S. Gregorii Nazianzeni in Eunomium, atque Auguſtini in adverſarios ſuos, qui maluerunt injurias diſſimulare, quam vices rependere.

ARTICULUS V.

Explicatio Inſcriptionis, quæ eſt in faſtigio portæ S. Georgii Mediolani.

NOluit Autor finem imponere Scripto ſuo, quin alia Litterariæ Reipublicæ ſtudii ſui indicia præberet, tradens ipſi novam inveſtigationem

tionem a ſe factam, atque hactenus ignoratam, quæ fructus eſt vigiliarum ſuarum, quas laude digniſſimas jamdiu Litteratorum Reipublicæ commodis nuncupavit, & Eruditorum natio uſque ad poſtrema ſæcula plurimi faciet.

Poſtquam dixit: „ Criticum ſe peregrinum in re Inſcriptionum oſten- *pag. 151.*
„ dere, cum admiratur, integrum verbum ex una duntaxat littera erui: „ ſubjungit: Pergo nunc aliam exponere, in qua fortaſſe Criticus hic „ Moſcoviticam linguam deprehendet, potius quam tot voces Græcas, „ quot litteras, agnoſcere.„ Ut igitur Criticum tam rudem ſuper hujus reconditæ Litteraturæ capite erudiat, recitat ille Inſcriptionem, quæ ſemicirculum efficit in faſtigio portæ Eccleſiæ S. Georgii Mediolani; at nos diligenter admonet, ſe illius interpretationem aſſecutum fuiſſe: *In rem erit, ait, id Mediolani vulgare, ubi eam crediderim nondum intelligi.*

Habeto Inſcriptionem.



Deſcripta eſt in marmore nigro verbis aureis, quam putat Autor noſter Græcam eſſe, & ſingulas ejus Litteras verbum ſignificare.

Sed verendum eſt, *ne quis novitius ſcriptor, nulla in Inſcriptionibus experientia confirmatus*, ingratiis teſtimonii colendi Autoris noſtri, mordicus tueri velit, Inſcriptionem Mediolani Ruſſienſem eſſe, a manu Latina, vel Græca exaratam; immo aggrediatur ad propugnandum, eam Eſclavonicam eſſe, a manu Latina inſculptam. Atque optimis ſane momentis fulcietur, ſi utrumque Paradoxon iſtud probabit principiis ipſis propugnatorum Explicationis Græcæ S. Faciei. Audi quo pacto arguere poterit. Per Harduinum, *Græcum Inſcriptionis Monſtrolienſis Græcum eſt a manu Latina deſcriptum, quod liquido apparet ex utriuſque Linguæ Litterarum commixtione*. Per Autorem vero Explicationis Græcæ: *Ante annos decem opinio fuit, verba illa Græca eſſe, ſed ſecundum partem ſcripta litteris Latinis a manu Latina. Id evidenter fit 1. ex conſenſione Litteræ Græcæ C, quæ bis in Inſcriptione reperitur, atque eadem eſt, ac in IC. XC; quæ in parte ſunt ſuperiore. 2. ex convenientia litterarum Latinarum a. b. & q.* Porro ſubjunget *novus hic Criticus:* Ex 28. Litteris, quæ Mediolanenſem Inſcriptionem componunt, decem & octo, vel viginti Ruſſienſes ſunt, nonnullæ Græcæ, & duo, vel tres Latinæ. Licitum itaque erit colligere, Inſcriptionem Mediolanenſem Ruſſianam eſſe: Atqui ex principiis eorundem Autorum magis æquum erit aſſerere, Eſclavonicam eſſe, Lingua ſcilicet a Cyrillo inventa; quandoquidem notæ Inſcriptionis Mediolanenſis Illyricæ ſunt, modo tres, aut quatuor Latinas excipias. Earundem rationum vi

Addit. ad Ephem. Sap. pag. 99. Gall.

Monum. Trevolt. pag. 1328.

Ibidem pag. 1358.

poterit

poterit *novus Criticus* defendere, Inſcriptionem Mediolani elementis Copticis, vel Ægyptiacis conſtare; ſiquidem præter tria, aut quatuor, cetera Coptica ſunt, aut Ægyptiaca.

Interea redeamus ad Inſcriptionem Mediolanenſem, & probemus Autori noſtro, eam Latinam eſſe, non Græcam. Ita ſaltem opinatur Cl. Holſtenius, Canonicus S. Petri Romæ, & Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ, qui conſultus a Puricello, reſpondit, videri ſibi Latinam eſſe, litteris Græcis formatam, vel citius deformatam ab homine Latino, atque hanc fuiſſe X. ſæculi conſuetudinem. Holſtenius hæc verba legebat.

† VITÆ DA PORTA DEUM QUÆRENTIBUS ISTAM.

Hic porro animadvertamus: 1. videri, Explicationi huic nullam ſententiam ſubjectam eſſe. 2. non apparere, qui poſſimus in textu reperire vocem DEUM; non poteſt enim efformari tribus his Litteris ΔCW quæ voci DEUM reſpondent.

Quod ſi integrum eſſet, tot Eruditorum animadverſionibus meas quoque ſubtexere, auderem ita conjicere: videlicet Litteras Inſcriptionis malum hunc verſum Leoninum edere:

-- VITÆ DA PORTAM DEUS O QUÆRENTIBUS ISTAM.

In Inſcriptione deſideratur M poſt PORTA, ſed auguror, artificem efficere voluiſſe AM ex ſola A; quoniam linea ducta per medium confecta non eſt inſtar aliarum A. ſed potius, ut media linea M. *Delta* Δ. vero, & *Sigma* C, quæ ſequuntur, poſſunt eſſe prima, & ultima Littera verbi DEUS, quæ ſummatim duabus tantum notis iſtis compacta eſt. Sub binis H apparet quoddam circumflexi genus, ut certe moneat, Æ diphtongum eſſe. Nota hæc , in voce QUÆRENTIBUS, eſt N. quæ haud abſimiliter IX. ſæculo efformabatur. Extant multæ ex his  in Monumento Benedicti Papæ III., atque in duabus *Bullis* Nicolai I. Opifex Inſcriptionis magis rotundum, altumque fecit latus hujus litteræ, quamvis eadem figura ſit, ut videre eſt in hac voce  quæ reperitur linea proxima ultimæ in Bulla Nicolai Papæ I. pag. 441. Quæ cum ita ſint, explicatio videtur rectiſſima, & ſatis convenit loco, in quo ſita Inſcriptio eſt. Apud Litteratos ſit de iſta conjectura judicium.

Mabill. de re Diplom. p. 438. 441. 443.

Autor vero noſter contendit, Inſcriptionem hanc Græcam eſſe, litteriſque Græcis pene omnibus exaratam, paucis interpoſitis Latinis. Ex quaque Littera verbum Græcum componit, atque adeo Inſcriptio univerſa Latine per ipſum hæc reddit. *Chriſte Fili Dei, Sol Juſtitiæ, Splendor*

dor Patris, conſtituens liberare a morte homines, gloriam tuam parvi feciſti, & nos dilexiſti, redimere nos per Crucem volens: Nos adjuva, & nos ſalva, Deus homo.

Non diffiteor, Explicationem hanc proficiſci non potuiſſe præterquam ab imaginatione acutiſſima, & fœcundiſſima, ejuſque ſententiam admodum piam eſſe. Ceterum Lector dijudicet, an Latinæ præferenda ſit, poſtquam animadverterit, quæ ſequuntur. Primo Explicationem Latinam optime congruere loco, in quo poſita Inſcriptio eſt, cum ex adverſo Græca, quantumvis elegans, non videatur Portæ Eccleſiæ, quam alteri loco, accommodatior.

Deinde ſupervacaneum omnino eſſe, excogitare in ſingulis Litteris verba ſingula, quando Litteræ ſimul junctæ conſentaneam vero ſententiam parere poſſunt. Tertio cogi eruditum Autorem iſtum, ut ſuam Interpretationem Græcam eſſe oſtendat, Litteris ſenſus apponere longe accerſitos, & multa addere, atque mutare. Denique ſenſus Interpretationis Latinæ tam obvius eſt, atque Inſcriptionis notis reſpondens, ut nullus alius fortaſſe æquare poſſit: contra vero in vocibus e ſingulis Litteris conſtitutis, multæ reperiuntur, quæ per eandem Litteram incipiunt, atque adeo ex iiſdem Litteris confici poſſunt Inſcriptiones diverſiſſimæ, immo maxime repugnantes cum verbis, tum etiam ſenſu. Quæ explicatio cum ſit arbitraria, qua ratione pro certo habebimus, intellectum allatum eum eſſe, quem ipſi dedit Autor, non autem alium ab ejus mente longe remotum; quoniam unicuique Interpreti jus eſt accommodandi vocem, quam maluerit, Litteris Inſcriptionis? Cujus rei exemplum nobis ſuppeditat id, quod contigit Æſopo.

Contemplabatur quondam cum Domino ſuo Xanto ruinas veterum Ædificiorum, atque animadvertit columnam cum hac Epigraphe: AB. ΔΟΕΘΧ. Xantus flagrans deſiderio intelligendi ſenſum litterarum, Æſopus interpretatus eſt in hunc modum. A. ἀποϐὰς. B. βήματα. Δ δεκατέσσαρα. O. ὀρύξας. E. εὑρήσεις. Θ. θησαυρὸν. X χρυσίου. Quæ Latine ſignificant: *Aſcendens gradus quatuordecim, fodiens, invenies theſaurum auri.* Quod cum feciſſet Xantus, theſaurum invenit. Sed cum nihil Æſopo largitus eſſet, hic rurſus Dominum monuit, ut præſtaret ea, quæ ſcriptura juberet. Nimirum: A. ἀναλαϐόμενοι. B. βαδίσαντες. Δ. διέλεσθε. O ὃν. E εὕρετε. Θ θησαυρὸν. X. χρυσίου. Hoc eſt. *Tollentes, euntes dividite, quem inveniſtis theſaurum auri.* At Xantus nihil his verbis commotus, in cauſſa fuit, ut Æſopus ſubderet, opus eſſe, niſi ſecum theſaurum divideret, ut aliud juſſum Inſcriptionis exequeretur, videlicet: A. ἀπόδος. B. βασιλεῖ Δ. Διονυσίῳ O ὃν. E. εὗρες. Θ θησαυρὸν. X. χρυσίου; vertuntur autem: *Redde Regi Dionyſio, quem inveniſti Theſaurum auri.*

Exem-

Exemplum aliud in rem eandem, de qua mille non deeſſent; affert Kircherius *Tomo* I. *Ædip. Ægypti pag.* 88. qui ob oculos ponit figuram veteris Sycli Judaici. In eo ſculpta eſt Urna litterata his verbis: *Hieruſalem Sancta*, & ſuperius *Aleph*. Doctus hic Jeſuita contendit, Litteram hanc ſignificare, Syclum illum integrum eſſe. Villapandus ait, *Aleph* interpretari *Adonai*. Vvaltonius Litteram hanc accipit loco *Abenet*, nomen Urbis, in qua cuſus erat. Alii denique volunt, notam illam primam *Alphabeti* Hebraici indicare annum primum Simeonis Machabæi Pontificis. Re enim vera Ethymologica ars admiranda eſt, ut ex ea, quidquid malumus, inveniamus. Ne autem aliunde exempla ſumamus, qui vellet verbum conflare ex qualibet harum Litterarum S. P. I. D. C., ſub quibus Autor nomen ſuum abſcondit, emergerent quidem laudes bene multæ P. Harduini; ſed quot etiam ſenſa parum urbana, atque officioſa parere poſſent?

En excerpta binarum Epiſtolarum Lucæ Holſtenii, quas dedit ad Puricellum anno 1647. de Inſcriptione Mediolanenſi. (apud Puricellum Diſſ. Nazaraica c. 47. pag. 247.) *Verba autem Latina Græcis caracteribus ſcripta ſunt pro ſæculi, ut puto, noni, aut decimi genio, hoc eſt barbare, & inſulſe. Tum enim cum litteris omnes reliquæ artes litterarum aſſeclæ iacebant extinctæ. Ideoque Autor ejus Inſcriptiunculæ verſui huic Leonino ſaltem litterarum Græcarum peregrinoſitate admirationem conciliare ſtuduit. Satis autem ſuperque notum eſt, quantopere Græciſmum ea tempora affectarint, cum Latine loqui dedidiciſſent. Sive quod artifices nonniſi Græcos, præſertim Sculptores, & Pictores tum haberet Italia, ut videre eſt ex Leonis Oſtienſis Chronico Caſſinenſi l. 3. c. 29. Sive quod mortales ab omni ævo Templorum foribus ænigmata apponere conſueverint. Verum ſæculi genium, barbarum & inficetum hæc Inſcriptio, ut dixi, teſtatur.*

In alia Epiſtola Italice ſcripta, Hoſtenius Puricello hæc habet: *Fateor quidem, cum mea, tum amicorum curioſitate aliquod me aſſecutum fuiſſe experimentum in Scripturis labentis, vel lapſi Imperii; & reperi non modo alias hujuſmodi Inſcriptiones Latinas caracteribus Græcis, ſed Chartas integras præſertim Amalphi, & Salerni, tum deſcriptas, quando Urbes illæ commercium cum Græcia gerebant: ſive quod notas illas paratiores haberent, ſive ut membranas Lingua omnibus perſpecta exararent.* Puricellus ait, Leonem Allatium in eandem ſententiam concedere.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google